J. VII. Ast

TRACTATUS
DE
MORBIS MULIERUM,

Solidam Theoriam praxi certiori & experientiis comprobatam complectens.

A C C E D I T

Catalogus Chronologicus Medicorum, quorum ſcripta de iis morbis extant.

A U C T O R E

J O A N N E   A S T R U C

PROF. REG. MEDIC. ET REGIS A CONSIL. MED.

In hoc gaudeo aliquid diſcere, ut doceam; nec me ulla res delectabit, eximia ſit, & ſalutaris, quam mihi uni ſciturus ſim. Senec. lib. 1. Ep. 6.

Gallico Sermone conſcriptus nunc Latino Verſus.

V E N E T I I S,

Typis & impenſis JO: ANTONII PEZZANÆ.
CIↃ IↃ CCLXXXIII.
SVPEPIORVM PERMISSV, AC PRIVILEGIO.

WELLCOME
HISTORICAL
[illegible]
LIBRARY

CELSISSIMO PRINCIPI

PRÆSULI AMPLISSIMO

JOANNI BAPTISTÆ REZZONICO

CLEMENTIS XIII. P. M.

NEPOTI

PROTONOTARIO APOSTOLICO,

ac totius ditionis Eccleſiæ

ARMORUM PRÆFECTO.

D. D. D.

CUI *bono*, CELSISSIME VIR, *nos ſummum honorum columen attigiſſe, aut dignitatibus decorari, vel eximiis frui ingenii facultatibus a* DEO OPTIMO MAXIMO *liberaliter conceſſis, cum ceteris hominibus (etſi impari*

fortuna donatis) prodeſſe nollemus: quid enim laudabilius (modo poſtulantis modeſtia PATRONI *decus, aut altitudinem non offendat) quem ſcientiarum, & artium cultores fovere, eoſque adverſa ſorte interdum defatigatos humaniter ſuſtinere?*

Me itaque in clientelam jam acceptum, iterum ſuſcipere ne renuas; quæſo: verum quidquid laboris in hoc opere mihi tribui poterit, TUIS *glorioſiſſimis auſpiciis obtegi ſinas; at ſi otium dederit, publico uſui utiliora admodum condere non deſpero* TIBI *grata futura, quæ niſi* MÆCENATIS *æquaverint amplitudinem, totidem ſaltem obſervantiæ erga* TE *meæ teſtimonia ſuppeditaverint.*

TUÆ CELSITUDINIS

XVI. Kalendas Decembris.

Humiliſſimus, Addictiſſimus, Obſequent.
I. T.

JANO PLANCO
PATRITIO ARIMINENSI.
ET IN EA CIVITATE
MEDICO PRIMARIO
LUDOVICUS TESSARI
S. P. D.

QUam familiaribus litteris mecum conſuetudinem inire non reſpuiſti, nunc, dum *Aſtruci* Eximii Viri laudes colligo publicis teſtimoniis proſequi non dedignaberis.

Speciales enim Medicinæ Tractatus, Vir præſtantiſſime, quanti pendantur neminem latet, cum in iis ſingulos morbos fuſius Auctores perpendere queant, ultimaſque differentias tum quo ad theoreticos, cum ad practicos canones ſpectat, determinare valeant. Hujus generis proſtat hujuſmodi egregium opus, omnes mulierum morbos complectens, quod ceteris uſque adhuc excuſis amplitudine, cenſu, tutiori praxi, atque nuperrimarum notionum numero facile præcellit, ut mendo ullo haud redargui poſſit.

Haud ſupervacaneum tamen cenſui nonnulla excerpere, quæ ne pro rei novitate dubium admitterent, aut aliquo modo operis exiſtimationem offenderent, candide breviterque declarare conabor.

Fateor itaque primum, etſi concinno ordine Auctor ſuos digerat labores, certa aliquali tamen prolixitudine ipſum peccare, quæ illos potius moleſtia afficere mihi ſuadeo, quibus libros mos eſt curſim pervolvere, quam iis qui pacato materies malunt animo perſcrutari. Quidam vero addunt crebro nimis ipſum remediorum ſeries in medium proferre, at animadvertant hujuſmodi cenſores, id inſtitutum fuiſſe non ut provectiores ſæpius quam par eſſet illas perlegerent, ſed ut tyrones unicuique ſpeciei magis idonea aptarent auxilia, atque formulas rectius ſubigere valerent: ea tamen parvi duco, quæ cum eximio opere comparata vix recenſeri merentur; alterum enim ſupereſt majoris momenti dubium circa novum, quod ipſe oſtendit vaſorum genus, quod mirifice difficiliora menſtruationis phœnomena explicat; id tamen minime lædit theoriam, aut praxim horum morborum, qui una perſiſtunt.

Si

Si quis unquam *Aſtruci* ſententiæ annuere contendat, duo priora Capita demat, quæ ad uteri ſtructuram tantum attinent, ceteraque amplectatur, quæ praxim potiſſimum reſpiciunt: nam ſedulo perpendenti apparebit præter lactea vaſa nihil prorſus afferre, quæ a celebrioribus Anatomicis comprobata non ſint.

Plexum itaque capillarium vaſorum reticuli more ex pluribus anaſtomoſibus conflatum uteri functiones ſatis declarant, tum horum vaſorum extremitates ad venoſam naturam accedere plerique recentiorum confirmant; appendices vero venarum, ut ipſe oſtendit diverſo nomine modo villorum, modo foraminum, modo cruentarum macularum plures indicarunt; vaſa denique lactea ab Auctore detecta, quæ catameniorum periodum præſertim, & mammarum cum utero affinitatem mirum in modum explanant; totidem glandulæ ſunt ſpeciali figura donatæ ad illum lacticinoſum humorem ſecernendum a natura fabrefactæ, quas negare nemo audebit, modo cadaverum ſectionibus uterum non inquirat, eaque organa nunquam reperiri poſſe demonſtret.

Quam ob rem cum id tentare adhuc nullus auſus ſit, Auctori fidendum erit, eoque magis cum phœnomenorum eorum explicationi noſtra magnopere faveat ſententia. De cetero vero quantum laudis in ſingularum mulierum ægritudinum cauſis explanandis, ſignis enunciandis, efficacioribus remediis ſeligendis, omnibuſque ſedulo percontandis ſibi promeritus ſit, quæ praxim tutiorem, certioremque reddunt, perlegenti facile innoteſcet, ut verborum lenociniis ipſum amplius extollere fruſtraneum videatur.

Tu igitur, Vir Præſtantiſſime, qui de Litteraria Republica tam bene meritus es, atque innumeris polles Scientiarum notionibus, ingenio, ac auctoritate dignum opus tueri ne renuas deprecor, & quidquid hujus laboris mihi tribui poterit, qua ſoles humanitate libenter feras, quod ſi mihi obtinere contingat, optatius accidere poſſe arbitrabor, Vale.

Datum Venetiis XVI. *Kal. Decembris* 1763.

P R Æ-

PRÆFATIO.

MEdicina in diem progreditur, at dum ipſa proficiſcitur, ejuſdem conſecutio difficilior evadit. Olim ad artem cum laude exercendam ſufficiebat præcipuos Hippocratis, & Galeni canones cognoſcere; medicorum controverſias conciliare; nomina, definitiones, atque cauſas morborum adparentes determinare; formulas nonnullas conſuetudine vetuſtiſſima receptas, ab auctoribus depromptas memoria tenere; tandem audacter occurrentibus difficultatibus qualitatibus occultis adverſari.

Impræſentiarum ut medici nomen mereamur, uberiores, & difficiliores notiones neceſſariæ evadunt; oportet enim humani corporis fabricam perſcrutari; partium functiones, & mechanicas leges, quibus exercentur, addiſcere; earum perſcrutationes proſpicere quæ morbos producunt, tum minimas differentias, quæ morborum ultimas ſpecies faciunt; ſingularum ſedem, indolem, & immediatam cauſam inveſtigare, deinde prognoſim, atque indicationes ſancire, quibus mederi neceſſum erit; omnia indagare auxilia, quæ materia medica ſuppeditat ſimplicia, vel ex his compoſita, efficaciora ſeligere, quæ magis propoſito ſcopo collineant, eaque, circumſtantiarum ratione habita, caute exhibere.

In earum notionum perquiſitione caute incedendum erit, ne conjecturas, aut hypotheſes erroneas pro veritatibus admittamus, poſtquam enim veterum jugum exuimus nimis fortaſſe hanc methodum proſecuti ſumus, ut medicina nunc fabulæ ſpeciem referat, eamque nonnulli etiam contemnant: nihil enim proponere debemus, quod partium ægrotantium cognita ſtructura non fulciatur; verum praxis obviis legibus communiter receptis, aut certis obſervationibus a celeberrimis medicis inſtitutis non confirmetur, modo enim aliquam hypotheſim amplecti conati ſimus ad difficiliora problemata explicanda, quæ paſſim occurrunt animadvertendum erit eam conjecturæ more eſſe proponendam, quam ſenſim proſequemur, ut tandem rei veritas eluceſcat.

Si hujuſmodi notiones medicis omnibus potiſſimæ evadunt, qui laudabiliter medicam artem exercere cupiunt, eo magis ipſi indigent, qui artem docendi munere fungi ſumunt, ſuoſque labores publici juris facere malunt.

Huic duplici oneri ſatisfacere & ipſe conor; pluribus enim ab hinc annis medicinæ ſcholas ſubſecutive Toloſæ, Monſpelii, & Pariſiis implevi, verum non pauca opera edidi; idcirco nemo negabit utrumque penſum perſentire, quod abſolvere uſque adhuc ſedulo ſategi.

Mea

Mea itaque prima ætate anatomiæ diligenter incubui, & neceſſarias tunc cognitiones adeptus ſum, quæ ad medicinam tum addiſcendam cum præcipiendam conducunt, diutina vero praxi plura didici, quæ paſſim in morborum pertractatione eveniunt, (*& ſunt quotidianæ occurſionis*) quæque potiſſimam medicinæ partem conſtituunt, tandem rariores hiſtorias ſum perſcrutatus quæ omnibus minime ſe efferunt (*non omnibus omnia*) pluresque medicos codices conſului.

Vix credideris quot pervolverim Auctores, quot inquiſiverim obſervationes; quæ etiamſi utiles evadant, nimis jam artem onerant, nonnullarum futilitatis ergo; etenim cum nihil ſit recta obſervatione difficilius, nihil idcirco æquo cenſore rarius fuerit, nihilo tamen ſecius multi ſe jactant, at rudiores plerumque illas peragere conantur, ut animoſe erroneas audeant obſervationes publici juris facere. Sane tot pervolvere libros me piguit, ut tantumdem Virgilium, Ennium perlegendo non tæduerit, at eo & ipſe collineo utiliora in præſentia congerendo inter tot futilia, idque meam ſuſtinuit patientiam.

Medicina ea cognitione deficit, qua magis eget, videlicet remediorum indolem cognoſcere, quæ pro ſingulis morbis proponuntur; ſi Scriptoribus materiæ medicæ fidendum eſſet, remediorum quodque plures morbos compeſcere valeret, verum dum experientias inſtituimus, innotuit eorum pleraque nemini mederi.

Hujus medicinæ pars utiliſſima nunquam elucet niſi repetitæ obſervationes, & a doctis medicis ingenuiſque inſtitutæ, circa ſimplicia medicamenta, rem declaraverint; minime ſperandum erit clinicos medicos id perficere poſſe: plerumque enim, qui praxi magis occupantur, vel minus idonei ſunt, vel otio carent, niſi enim auctoritate fulciamur, atque auſpiciis, incaſſum utiles obſervationes digerere conabimur, celebrioribus medicis onus committendo, qui in noſocomiis ſedulo effectus remediorum perſcrutentur.

Regis itaque noſtri pro ſcientiarum augmento eximia ſollicitudo ipſum excitavit, ut tum Zonam torridam cum glacialem verſus Aſtronomos mitteret, qui latitudinis gradus dimetirentur, nuper duos alios deſignavit quorum alter ad Septentrionem, alter ad meridiem Veneris tranſitum cis diſcum ſolarem obſervarent, hujuſmodi opera ſane Regiæ munificentiæ digna ſunt, at perficiendæ medicinæ inſtitutum virtutum remediorum detegendarum ſubjectorum conſervationi Auguſtæ Familiæ, & Sacræ ejuſdem Perſonæ utiliſſimum, nondum ejuſdem attentionem promeruit; ſperare tamen licebit hujuſmodi ſcrutinium cuidam jubere poſſe, modo ipſum excitemus.

Interim hac de cauſa, quod privati erat medici impreſentiarum vires omnes impendi, remedia cuique morbo propria, tutiora, & magis commendata attuli; tuta etiam, ſed a Medicis nonnullis jactata indicavi; nonnulla etiam ſingularia, quæ Scriptores nonnulli propoſuerunt non ad contemptum, ſed ad majorem rei claritatem cenſuravi.

Cum jamdiu perlegiſſem in Galliarum Collegio Tractatum, quem hodie publici juris facio, operis ingenium quod mihi propoſui plures exſurgere potuerint. Neminem latet diſcipulorum voluptas in edendis præceptorum ſcriptis his etiam invitis, quod multiplici ratione in hoc Tractatu potiſſimum expertus ſum.

Etc-

Etenim anno 1740. D. Maſſentius hodie Doctor, & Præſes Facultatis Pariſienſis, olim medicinæ Tyro, mihi theſes obtulit e meis Lectionibus excerptas, ut de iis judicium proferrem, cui libenter annui. Hujuſmodi theſes in publicis Scholis defendit ineunte an. 1741. D. Aragonius, qui tunc Bacalaureus renuntiabatur, ſub eo Titulo. *Utrum a mutuo ſanguiferorum, lactiferorumque uteri vaſorum niſu menſtrua purgatio?* Poſtquam oſtendit menſtruationis leges quales Lib. I. Cap. I. II. & III. reperiuntur, noſtratem ſe præbet.

Paullo poſt medicus Anglus, quem niſi per litteras initiales I. R. non recognovi, quibus inſignitur initio ſui libelli, iiſdem lectionibus interfuit, multum ex his & condiſcipulorum conſuetudine lucratus eſt; in Angliam vero redux codicem horum morborum excuſſit anno 1743. Londini in 8. ſub Titulo *A Treatiſe on all the diſeaſes incident to Women*, quare ipſo operis faſtigio ipſe fatetur ea ex meis lectionibus decerpſiſſe, quod amplius in Præfatione ſignificat, ubi ſat me laudibus extollit, quas utinam promeritus eſſem.

Haſce in medium protuli, ut pateret meas lectiones haud inutiles cenſeri. Remittite quæſo hanc vanitatis ſpeciem cum pro labore vix ultra adeptus ſim; at hujuſmodi aſpernor blanditias, cum mihi propoſuerim utilem tantum aliis evadere, eaque de cauſa ſtudiis incubuerim, ut ceteros inſtruere potis eſſem, *aliquid diſcere ut docerem*. Verum, ut initio operis indicavi, quas acquiſivi medicas notiones prorſus contemnerem, niſi aliis comunicarem, *quem nulla res delectabit, licet eximia ſit & ſalutaris, quam mihi uni ſciturus ſim*.

Hac ratione hoc penſum digeſſi publicæ utilitati conſulens; nihil omiſi, nihilque ſimulavi, undique veritatem expoſui; adverſus ſingulos morbos tutiora, uſitatiora remedia propoſui, ea rejeci, quæ futilia, aut ſuperſtitioſa mihi viſa ſunt; at cum medicorum nonnullorum auctoritate ſuffulta quædam referre coactus ſim, caute animadverti fallacias, quæ in iis reperiebantur.

Etſi innumeri circa muliebres morbos tractatus proſtent; plerique tamen indigeſtam præſeferunt materiem, tum theoriæ, cum praxis ratione; nemo uſque adhuc a veriori uteri ſtructura horum morborum theoriam deſumpſit, vel a functionum hujus partis legibus. Ad praxim quod attinet, ſibi ſatis putarunt invicem ſeſe exſcribere, quare, dum ab erronea praxi recedere tentarunt, mentis imagines proſequi maluerunt, in remediis præſertim ſeligendis nulla habita ratione indicationum, quas natura morbi præſefert.

Hujuſmodi errores cognovi, iiſque mederi ſategi, quod theoriæ ſaltem reſpectu obtinuiſſe putavi; utinam ad praxim quod attinet idem benevertiſſet, at, ut alibi enunciavi, materiæ medicæ incertitudo, & ſpecificorum remediorum exiguitas, verum ambages circa ea, quæ magis jactant, novas methodos curationis, tutioreſque proponere impedierunt: utinam ſi dum paupertatem, & incertitudinem hujus partis oſtendo, certi medici circa id perſentirent indigentias noſtras, atque auxilium pro opere præſtarent.

I. Nonnullas animadverſiones pro coronide addam.

I. In præfatione *tractatus tumorum* uſum contemno formularum, quæ in medicis libris inſeruntur: ideoque optimum conſilium putavi eas ab

hoc opere proſcribere, ne ignari, aut pſeudo-doctores illas citra ullam diſtinctionem ætatis, temperamenti, aut vitium ægrotantium, perperam adhiberent.

II. Acquievi in ſimplicium remediorum oſtenſione, quæ varias implent indicationes omnium morborum, & doſium enunciatione; dein methodos propoſui componendi varias remediorum formulas pro libitu, aut circumſtantiarum ratione remedia ſeligendo.

III. Id parando admonui quam fieri poſſit ea ſimplicius ſubigere; interdum enim obſervavi medicos nonnullos plura remedia virtute oppoſita ſimul congerere, idcirco hujuſmodi praxis præter ventriculi quæ excitat incommoda, impedit quominus innoteſcat remedii effectus, quam proſequi debebimus.

IV. Cum doſes, quas infra indicavi, modicæ ſint, idcirco autumo eas tuto poſſe adultis mulieribus, modo delicatiores valde non ſint, exhiberi; fortaſſe neceſſum fuerit illas augeri; at maluerim doſim intendere inefficaciæ remedii ergo, quam imminuere pro nimia ejuſdem activitate.

V. Cupiditas, qua gaudeo utilitatem omnibus afferre, me cogit hujuſmodi tractatum Patria lingua edere, ut ubique receptus eſſet; id tamen me valde angebat, cum de obſcenis rebus pertractare coactus eſſem, ſed minus propudioſa verba adhibui, hoc tamen auxilium minime in *furore uterino* ſat erat: ubi turpibus verbis huic morbo propriis uti coactus fui, quare in hoc capitulo tantum latinam linguam admiſi.

VI. Ad hujuſmodi operis calcem tandem Catalogum Chronologicum Auctorum expoſui, qui de morbis mulierum ſcripſerunt, primum ut edocerentur juvenes medici hujuſmodi artis vetuſtatem, ac de celebrioribus viris, qui ſubſecutive eam dilatarunt: deinde, ut animadverterent hujuſmodi ſcientiam, quam nonnulli incoſtantem vocarunt, eadem continenter fundamenta ſervaſſe, etſi vanitas, mercimonium, conſuetudo &c. eam deturpare tentaverint.

VII. Hujuſmodi opus patet incompletum eſſe; deeſt enim poſtremus liber de geſtatione, & qui eam conſequuntur morbi, ad quem lectores pluries mitto: ſpero brevi ipſum publici juris factum, & poſtremam conſtituet hujus operis partem, quæ ſeparatim proſtabit.

IN-

INDEX CAPITUM.

LIBER I. DE Morbis Mulierum ex menſtruatione. Pag. 1
Caput I. *De uteri ſtructura, appendicibus venoſis, & vaſis vermicularibus.* ibid.
§. I. *Deſcriptio uteri generalior.* ibid.
II. *Uteri ſpecialis ſanguineorum vaſorum deſcriptio.* 2
III. *Deſcriptio vaſorum lacteorum, ſeu vermicularium uteri.* 3
Caput II. *De menſtruorum profluvio, ſive de Catameniis.* 5
§. I. *Deſcriptio.* ibid.
II. *Cauſæ.* 6
III. *Conſecutiones.* 11
IV. *Explicatio eorum, quæ catamenia reſpiciunt.* 12
V. *Symptomata explicantur menſtrui obvia.* 15
VI. *Uſus catameniorum.* 16
Caput III. *Prima catameniorum eruptio, & antecedentium, aut concomitantium ſymptomatum.* 18
§. I. *Deſcriptio.* ibid.
Eruptionis gradus primus. ibid.
gradus ſecundus. 19
gradus tertius. ibid.
gradus quartus. 20
gradus quintus. 21
gradus complicatus. ibid.
II. *Diagnoſis.* 22
III. *Prognoſis.* ibid.
IV. *Curatio.* 23
Remedia uſitatiora primam ſanguinis eruptionem promoventia. 26
Caput IV. *Catamenia ſuppreſſa, aut imminuta.* ibid.
§. I. *Deſcriptio.* ibid.
II. *Cauſæ.* 27
III. *Differentiæ.* 29
IV. *Symptomata.* 30
V. *Diagnoſis.* 31
VI. *Prognoſis.* 34
VII. *Curatio.* 35
De repentina ſuppreſſione menſtrui adhuc ſluentibus. ibid.
De ſuppreſſione, quæ perſiſtentibus menſtruis ſenſim eorum implicat regreſſum. 36
Cautelæ in ſuppreſſionibus medendis neceſſariiſſimæ. 44
Innocua medicamenta in ſuppreſſionibus valde commendata. 45
Remedia minus tuta in ſuppreſſionibus evocandis uſitata. 48
Caput V. *De menſtruis ſuppreſſis organi vitio.* 50
§. I. *Deſcriptio.* ibid.
II. *Cauſæ.* 51
III. *Differentiæ* 54
IV. *Symptomata.* 55

V. *Diagnoſis.* 56
VI. *Prognoſis.* 57
VII. *Curatio.* ibid.
Circa eas operationes neceſſariæ cautelæ. 59
Caput VI. *De difficili menſtruatione, & laborioſa.* 61
§. I. *Deſcriptio.* ibid.
II. *Cauſæ.* ibid.
III. *Differentiæ.* 62
IV. *Symptomata.* 63
V. *Diagnoſis.* ibid.
VI. *Prognoſis.* 64
VII. *Curatio.* 65
Cautelæ. ibid.
Caput VII. *De menſtruis alio devolutis.* 66
§. I. *Deſcriptio.* ibid.
II. *Cauſæ.* 67
III. *Symptomata.* 68
IV. *Diagnoſis.* 69
V. *Prognoſis.* ibid.
VI. *Curatio.* 70
Caput VIII. *Chloroſis ſeu (les Pâles Couleurs).* 71
§. I. *Deſcriptio.* ibid.
II. *Cauſæ.* 73
III. *Symptomata.* 76
IV. *Diagnoſis.* 79
V. *Prognoſis.* ibid.
VI. *Curatio.* 80
CAput IX. *De menſibus nimiis, atque uteri hæmorrhagia.* 85
§. I. *Deſcriptio.* ibid.
II. *Cauſæ, quæ menſes nimios producunt.* 87
III. *Cauſæ, quæ uteri hæmorrhagiam inducunt.* 88
IV. *Differentiæ.* 90
V. *Symptomata.* 91
VI. *Diagnoſis.* 92
VII. *Prognoſis.* 94
VIII. *Curatio.* 95
Caſus primus de uberrima cruoris jactura, ſeu uteri hæmorrhagia: 96
Caſus ſecundus de modica ſanguinis jactura, ſeu cruento ſtillicidio. 100
Methodus præcavendi hæmorrhagiæ regreſſus. 106
Cautelæ neceſſariæ circa hujus morbi medelam. 107
Remedia in uteri hæmorrhagiis commendata: quibus utiliter, vel ſaltem innocue uti poſſumus. 108
Remedia adverſus eumdem morbum pariter commendata, futilia tamen, vel ſuſpecta. 111
Capnt X. *Fluor Albus.* 113
§. I. *Deſcriptio, & Differentiæ.* ibid.
II. *Cauſæ fluoris albi generaliores.* 114

Cau-

	Cauſæ fluoris albi lacticinoſi.	ibid.
	Cauſæ fluoris albi lymphatici.	116
III.	*Explicatio differentiarum albi fluoris.*	117
IV.	*Symptomata.*	118
V.	*Diagnoſis.*	120
VI.	*Prognoſis.*	124
VII.	*Curatio.*	125
	Curatio fluoris albi lactei.	ibid.
	Curatio fluoris albi lymphatici.	129
	Curatio eorumdem palliativa.	132
	Cautelæ neceſſariæ circa fluoris albi medelam.	133
	Remedia in hoc morbo commendata, quibus tute in quibuſdam ſaltem circumſtantiis uti poſſumus.	134
	Remedia adverſus album fluorem propoſita; nocua tamen, vel ſuſpecta.	135
Caput XI.	*De ceſſatione menſtruorum, & phænomenis, quæ ab ea procedunt.*	139
§. I.	*Deſcriptio.*	ibid.
II.	*Cauſæ, & ſymptomata.*	140
	Primus in hoc morbo uteri ſtatus.	ibid.
	Status alter.	141
	Tertius ſtatus.	142
	Status poſtremus.	ibid.
	Status uteri compoſitus.	143
III.	*Diagnoſis.*	ibid.
IV.	*Prognoſis.*	145
V.	*Curatio.*	146
	Cautelæ neceſſariæ in mulieribus pertractandis, quæ menſtruationem tandem amittunt.	147
Caput XII.	*De* Μητρομανία *ſeu Furore uterino.*	148
§. I.	*Deſcriptio.*	ibid.
II.	*Cauſæ.*	150
III.	*Differentiæ.*	154
IV.	*Symptomata.*	155
V.	*Diagnoſis.*	156
VI.	*Prognoſis.*	157
VII.	*Curatio.*	158
VIII.	*Remedia quædam, quæ adverſus Furorem uterinum commendantur.*	163

LIBER II.	DE morbis, qui a diverſa uteri conditione dependent.	167
Caput I.	*De uteri inflammatione.*	ibid.
§. I.	*Deſcriptio, & Differentiæ.*	ibid.
II.	*Cauſæ.*	168
III.	*Differentiarum explicatio.*	170
IV.	*Symptomata.*	171
V.	*Diagnoſis.*	173
VI.	*Prognoſis.*	174
VII.	*Curatio.*	176
	Cautelæ generales, quæ hujus inflammationis medelam reſpiciunt.	177
	Praxis a nonnullis Auctoribus propoſita, infirma tamen, vel ſuſpecta.	179
Caput II.	*De Gangræna, ſeu uteri ſphacelo.*	181
§. I.	*Deſcriptio, & Differentiæ.*	ibid.
II.	*Cauſæ.*	182
III.	*Differentiarum explicatio.*	183
IV.	*Symptomata.*	184
V.	*Diagnoſis.*	186
VI.	*Prognoſis.*	187
VII.	*Curatio.*	ibid.
	Remedia propoſita adverſus uteri Gangrænam, quibus tute uti poſſumus.	190
Caput III.	*De Apoſthemate, ſeu uteri abſceſſu.*	192
§. I.	*Deſcriptio, & Differentiæ.*	ibid.
II.	*Cauſæ.*	193
III.	*Symptomata.*	196
IV.	*Diagnoſis.*	197
V.	*Prognoſis.*	ibid.
VI.	*Curatio.*	198
Caput IV.	*De uteri Ulcere.*	199
§. I.	*Deſcriptio.*	ibid.
II.	*Cauſæ.*	200
III.	*Differentiæ.*	ibid.
IV.	*Symptomata.*	201
V.	*Diagnoſis.*	203
VI.	*Prognoſis.*	204
VII.	*Curatio.*	205
	Medendi ratio, & remedia generaliora circa omnes uteri ulcerum ſpecies.	ibid.
	Methodus idonea inſtantibus ulceribus, quæ prænunciant continentes, aut crebri uteri dolores, vel anomalum cruoris, aut albi fluoris effluvium.	207
	Tutior methodus & efficacior adverſus uteri ulcus confirmatum, ſed ſimplex.	ibid.
	Methodus curandi ulcera uteri Venerea.	209

		Curatio palliativa ulcerum uteri incurabilium.	210
		Remedia nonnulla propoſita adverſus uteri ulcera.	211
Caput	V.	*De uteri Scirrho.*	212
§.	I.	*Deſcriptio, & Differentiæ.*	ibid.
	II.	*Cauſæ.*	213
	III.	*Differentiarum explicatio.*	214
	IV.	*Symptomata.*	215
	V.	*Diagnoſis.*	216
	VI.	*Prognoſis.*	ibid.
	VII.	*Curatio.*	217
		Methodus curativa.	ibid.
		Methodus palliativa.	220
		Regimen, cui ſtudere oportet, ne ſcirrhus in cancrum degeneret.	221
		Remedia ſpecifica, adverſus uteri ſcirrhum.	ibid.
Caput	VI.	*De pſeudo-Scirrho, ſeu Steatomate, & Sarcomate uteri.*	222
Art.	I.	*De Steatomate, & Tumoribus uteri membrana incluſis, ſeu cyſticis.*	ibid.
§.	I.	*Deſcriptio, & Differentiæ.*	ibid.
	II.	*Cauſæ.*	223
	III.	*Symptomata.*	224
	IV.	*Diagnoſis.*	ibid.
	V.	*Prognoſis.*	225
	VI.	*Curatio.*	ibid.
Art.	II.	*De uteri Sarcomate.*	226
§.	I.	*Deſcriptio.*	ibid.
	II.	*Cauſæ.*	227
	III.	*Symptomata.*	ibid.
	IV.	*Diagnoſis.*	228
	V.	*Prognoſis.*	229
	VI.	*Curatio.*	ibid.
Caput	VII.	*De uteri Cancro.*	230
§.	I.	*Deſcriptio.*	ibid.
	II.	*Differentiæ.*	231
	III.	*Cauſæ.*	ibid.
	IV.	*Symptomata.*	232
	V.	*Diagnoſis.*	233
	VI.	*Prognoſis.*	ibid.
	VII.	*Curatio.*	234
		Remedia propoſita adverſus uteri Cancrum.	236
Caput	VIII.	*De uteri Hydrope.*	240
§.	I.	*Deſcriptio, & Differentiæ.*	ibid.
	II.	*Cauſæ Hydropis cum aſcite.*	ibid.
	III.	*Cauſæ Hydropis cum hydatidibus.*	242
	IV.	*Symptomata.*	244
	V.	*Diagnoſis.*	ibid.
	VI.	*Prognoſis.*	245
	VII.	*Curatio.*	ibid.

Cap. IX.	*De uteri Tympanitide.*	249
§. I.	*Deſcriptio.*	ibid.
Art. I.	*De Tympanitide vera, ſeu continenti.*	250
§. I.	*Cauſæ.*	ibid.
II.	*Symptomata.*	251
III.	*Diagnoſis.*	252
IV.	*Prognoſis.*	ibid.
V.	*Curatio.*	253
Art. II.	*De Tympanitide vaga.*	254
§. I.	*Cauſæ.*	ibid.
II.	*Diagnoſis, Prognoſis, & Curatio.*	ibid.
Art. III.	*De uteri expanſione, parietum augmento.*	255
Caput X.	*De uteri deſcenſu.*	256
§. I.	*Deſcriptio, & Differentiæ.*	ibid.
II.	*Cauſæ.*	ibid.
III.	*Symptomata.*	258
IV.	*Diagnoſis.*	259
V.	*Prognoſis.*	ibid.
VI.	*Curatio.*	260
Caput XI.	*De morbis, qui uteri deſcenſum reſpiciunt.*	263
Art. I.	*De Sarcomate, aut carnea vaginæ excreſcentia, ac de productione, aut prolapſu partis alicujus intimæ vaginæ membranæ.*	ibid.
§. I.	*Deſcriptio deſcenſus vaginæ.*	264
II.	*Cauſæ.*	ibid.
III.	*Symptomata.*	265
IV.	*Diagnoſis.*	ibid.
V.	*Prognoſis.*	266
VI.	*Curatio.*	ibid.
Art. II.	*De uteri obverſione in eo prolapſus ſtatu.*	268
Caput XII.	*De morbis Ovaria, & Tubas afficientibus.*	ibid.
Art. I.	*De morbis, qui ad Ovaria pertinent.*	ibid.
§. I.	*Deſcribuntur Ovaria, eorumque morbi.*	ibid.
II.	*Cauſæ.*	270
III.	*Symptomata.*	271
IV.	*Diagnoſis, & Prognoſis.*	272
V.	*Curatio.*	ibid.
Art. II.	*De morbis Tubas afficientibus.*	273
§. I.	*Deſcribuntur Tubæ, earumque morbi.*	ibid.
II.	*Cauſæ.*	274
III.	*Diagnoſis, & Prognoſis.*	275
IV.	*Curatio.*	ibid.
Caput XIII.	*De paſſione hyſterica, ſeu uteri ſuffocatione.*	276
§. I.	*Deſcriptio.*	ibid.
II.	*Cauſæ.*	277
III.	*Symptomata.*	281
	Quatuor Symptomata pathognomonica.	ibid.
	Symptomata, quæ abdomen reſpiciunt.	282
	quæ thoracem aggrediuntur.	283

quæ

quæ caput afficiunt. ibid.

quæ totum corpus. 285

IV. *Diagnoſis.* 286

V. *Prognoſis.* 288

VI. *Curatio.* ibid.

Medendi ratio intra paroxiſmum. 289

extra paroxiſmum. 292

Remedia ſpecifica, quæ adverſus hyſtericos vapores a nonnullis commendantur. 294

CATALOGUS CHRONOLOGICUS

Auctorum, qui de Morbis Mulierum ſcripſerunt.

EPOCHA PRIMA.

			Ann. Ant. C. N.	Pag.
	Hippocrates	*Chous*	432	300
	Aſclepiades	*Bithynus*	96	ibid.
			Ann. * C. N.	
Aurelius Cornelius	Celſus	*Romanus*	35	301
Claudius.	Galenus	*Pergamenus*	200	ibid.
	Soranus	*Epheſius*	250	302
	Areteus	*Cappadox*	350	ibid.
	Oribaſius	*Sardus*	363	303
	Aetius	*Meſopotamus*	380	304
	Paulus	*Æginета*	420	ibid.
	Moſchionus		500	ibid.
	Cleopatra	*Ægyptia Reg.*	800	305
Theodorus	Priſcianus	*Latinus*	800	ibid.
	Nonus	*Grajus*	915	ibid.

EPOCHA SECUNDA.

	Avicenna	*Mahumetanus*	1000	310
Joannes	Serapion	*Arabus*	1060	311
Haly	Abbas		1066	ibid.
Abubeter	Rhazes	*Arabus*	1070	ibid.
	Conſtantinus	*Cartagenus*	1070	ibid.
	Albucaſis	*Mahumetan.*	1085	312
	Avenzoar	*Vandal. natus*	1100	ibid.
	Averroes	*Mahumetan.*	1170	313
Nicolaus	Bertrutius	*Bononienſis*	1250	ibid.
	Trotula	*Salernitana*	1250	ibid.
Enricus		*De Saxonia*	1290	314
Bernardus	Gordonius	*Monſpeſſulan.*	1305	ibid.
Joannes	Platearius	*Salernitan.*	1350	ibid.
Valeſcus	de Taranta	*Luſitanus*	1418	315
Marcus	Gatinaria	*Papienſis*	1440	ibid.
Antonius	Guainerius	*Papienſis*	1440	ibid.

Anto-

			Ann. à C. N.	Pag.
Antonius	Cermeſonus	*Patavinus*	1456	316
Joannes Michaelis	Savonarola	*Patavinus*	1486	ibid.
Galeatius	de S. Sophia	*Patavinus*	1490	ibid.
Alexander	Benedictus	*Veronenſis*	1500	ibid.

EPOCHA TERTIA.

Leonellus	de Victoriis	*Faventinus*	1525	321
Jaſon	Pratenſis	*Zelandus*	1530	ibid.
Ludovicus	Bonacciolus	*Florentinus*	1536	ibid.
Dionyſius	Fontanonus	*Monſpeſſulan.*	1540	322
Nicolaus	Rocheus	*Gallus*	1540	ibid.
Leonardus	Fuchſius	*Rhætus*	1548	ibid.
Jacobus	Rueff	*Tigurinus*	1554	323
Jacobus	De la Boe	*Silvius Ambianus*	1554	ibid.
Joannes	Fernelius	*Clarimontanus*	1554	ibid.
Balduinus	Ronſæus	*Gandavenſis*	1555	324
Joannes Baptiſta	Montanus	*Veronenſis*	1555	ibid.
Petrus	Bayro	*Taurinenſis*	1558	ibid.
Victorinus	Trincavellius	*Venetus*	1560	ibid.
Gullielmus	Rondeletius	*Monſpeſſulan.*	1560	325
Thadæus	Dunus	*Locarnenſis*	1565	ibid.
Joannes	VVier	*Gravienſis*	1565	ibid.
Joannes	Guntherius	*Andernachus*	1570	326
Giovanni	Marinello	*Veneto*	1574	ibid.
Ambroſius	Pareus	*Lavellen. apud Cænomanos*	1575	ibid.
Joannes	Le Bon	*Heteropolitanus*	1577	ibid.
Ludovicus	Mercatus	*Valliſoletanus*	1580	327
Joannes	Liebaut	*Divionenſis in Sequana*	1582	ibid.
Hieronymus	Mercurialis	*Forolivienſis*	1582	ibid.
Martinus	Akakia	*Pariſienſis*	1583	ibid.
Felix	Platerus	*Rauracus*	1583	ibid.
Mauritius	Cordeus	*Remus*	1584	328
Albertus	Botonus	*Patavinus*	1585	ibid.
Gaſpar	VVolphius	*Tigurinus*	1586	ibid.
Hieronymus	Capivacius	*Patavinus*	1586	329
Petrus	Foreſtus	*Alchemarianus*	1590	330
Joannes Georgius	Schenckius	*Friburgenſis*	1590	ibid.
Alexander	Maſſarias	*Vicentinus*	1595	ibid.
Iſrael	Spacchius	*Argentinus*	1597	331
Gullielmus	Baillonius	*Pariſinus*	1600	ibid.
Rodricus	A Caſtro	*Luſitanus*	1603	332
Hercules	Saxonia	*Patavinus*	1603	ibid.
Æmilius	Campolongus	*Patavinus*	1604	ibid.
Joannes	Hucher	*Bellovacus*	1606	ibid.
Joannes	Varandeus	*Nemaucienſis*	1606	333
Joannes	Heurnius	*Ultrajectenſis*	1607	ibid.
Lazarus	Pè	*Gallus*	1609	ibid.
Hermanus	Corbeus	*Francfortinus*	1620	ibid.

Gre-

			Ann. à C. N.	Pag.
Gregorius	Horſtius	*Tregovienſis*	1625	334
Melchior	Sebizius	*Argentinus*	1627	ibid.
Franciſcus	Ranchin	*Monſpeſſulan.*	1627	ibid.
Joannes	Prevoſtus	*Rauracus*	1629	335
Michael	Doringius	*Uratislavienſis*	1630	ibid.
Claudius	Deodatus		1630	ibid.
Gullielmus	Fabritius	*Hildanus*	1630	ibid.
Daniel	Senertus	*Uratiſlavienſ.*	1631	ibid.
Zacutus		*Luſitanus*	1640	336
Nicolaus	Fontanus	*Amſtælcdamenſis*	1640	ibid.
Lazarus	Riverius	*Monſpeſſulan.*	1640	ibid.

EPOCHA QUARTA.

Jacobus	Primeroſius	*Burdegalenſis*	1650	345
Petrus Michael	de Heredia	*Complutenſis*	1660	ibid.
Antonius	Meniotus	*Pariſienſis*	1667	346
Franciſcus	de le Boe	*Silvius Hanovenienſis*	1667	ibid.
Thomas	Villiſius	*Anglus*	1667	ibid.
Nathanael	Highmorus	*Oxonienſis*	1670	347
Marius	Meudrach	*Alemannus*	1676	ibid.
Henricus	Cellarius	*Helberſtadienſis*	1677	ibid.
Paulus	Sorbeus	*Hiſpano-Belga*	1678	ibid.
Philippus Georgius	Grulingius	*Germanus*	1680	348
Michael	Ettmulerus	*Lipſienſis*	1682	ibid.
Thomas	Sydhenamius	*Anglus*	1682	ibid.
Joannes	Garmerus	*Hamburgenſis*	1684	349
Joannes	Doleus	*Haſſianus de Geiſmar*	1684	ibid.
Nathanael	Sprye		1685	ibid.
Gualtierus	Charleton	*Londinenſis*	1686	ibid.
Joannes Nicolaus	Pfiſer	*Germanus*	1691	350
Joannes Georgius	Sommers	*Germanus*	1691	ibid.
Franciſcus	Mauriceaus	*Pariſienſis*	1694	ibid.
Bernardus	Connor	*Anglus, vel Hibernus*	1695	ibid.
Philippus	Fravendorffer	*Auſtriacus*	1696	351
Chriſtophorus	Hellvvigs	*de Konigſuviſſen*	1700	ibid.
Chriſtianus Joannes	Langius	*Pegavienſis*	1700	ibid.
Joannes	Freind	*Londinenſis*	1703	ibid.
Joannes	Santorinus	*Venetus*	1705	ibid.
Hermanus	Boerrhaavius	*Viennenſis*	1708	352
Joannes Gabriel	Rudolphus	*Batavus*	1708	ibid.
Petrus	Freſart	*Leodienſis*	1712	ibid.
	Anonymus		1715	ibid.
Joannes Antonius	Terenzoni	*Piſanus*	1715	353
Joannes	Goldhammers		1717	ibid.
Gaſpar	Schoters		1721	ibid.
Henricus	Von Sanden		1722	ibid.
Georgius Erneſtus	Stahlius	*Hallenſis Batavus*	1724	ibid.
	Le Tellier	*filius Pariſienſis*	1730	354

Anto-

			Ann. a C. N.	Pag.
Antonius Cæleſtinus	Cocchius	*Romanus*	1730	ibid.
Joannes Auguſtus	Oehemens		1734	ibid.
Georgius Philippus	Nentherus	*Argentinus*	1735	ibid.
Fridericus	Hoſſmanus	*Hallenſis Borruſſus*	1740	355
J.	R --- n	*Londinenſis.*	1743	356
Richardus	Mead	*Londinenſis*	1751	ibid.
Jacobus	Lazerme	*Monſpeſſulan*	1753	ibid.
Gerardus	Firz-Gerald	*Monſpeſſulan. origine Hibernus.*	1758	357

ICONES

Explicantur, quæ internam uteri faciem oſtendunt.

IPſæ ex utero fuerunt effictæ mulieris nono geſtationis menſe diſſectæ, quando vaſa tum vermicularia cum lactea valde conſpicua erant; verum ut ſenſibiliores fierent ipſas bis majores delineare curarunt quam in cadavere repererunt.

Animadvertendum tamen eſt, intimam uteri tunicam hic translucidam putari ut ſubtuſpoſita vermicularia videri queant ex ea parte, quæ muſculari tunicæ adhærent; alias Icones duplicari neceſſum eſſet.

FIGURA I.

Vaſa nonnulla repræſentat arterioſa, & venoſa per internam uteri faciem perreptantia, quæ in menſtruationis negotio maximam partem habent.

A *Truncus arteriæ cum adnexis vaſis capillaribus, quæ poſtquam (eis lineam,* G F *) miris circumvolutionibus per uteri ſubſtantiam perreptarunt, anaſtomoſium ope pluribus lateralibus, & intermediis ramis cum venoſis capillaribus intertexuntur ramificationibus (trans lineam* F G *indicatis) quæ tandem in communem confluunt.*

B *Truncus venoſus.*

C *Rotunda foraminula in concurſu earum ramificationum locata ubi originem habent appendices venoſæ quas infra explicabimus.*

D *Appendices venoſæ, ſeu extremitates utriuſque generis ſimul confluentium capillarium vaſorum citra fluxum ex illa tantum parte recluſæ quæ parentem truncum reſpicit, ex oppoſita vero imperviæ; eæ tamen producuntur, & ex utraque parte patulæ fiunt ut perfoſſa intimiori uteri tunica in ejuſdem catamenia effundant.*

E *Vaſa lactea, ſeu vermicularia uteri (infra explicanda) quæ genitores appendicum ramos amplectuntur ipſoſque fluente ſanguine conſtringunt, ut fuſius Lib. I. Cap. I. II. & III. oſtendemus.*

FIGURA II.

Vas illud oſtendit lacteum (glandulam dicerem fimbriatam) ad lacterinum ſecernendum a natura fabrefactum.

A *Veſicula, ſeu melius, delvis, eſt exigua quæ a novem, aut decem vermicularibus vaſculis, ter, quaterve lineas oblongis lacticinoſum humorem recipit, quemque menſtrui tempore exuberantem per excretorium ductum in uterum effundit.*

E *Va-*

B *Vaſa vermicularia quæ in pelvim nuperrime indicatam lacticinoſum ab ipſis liquorem ſecretum devehunt.*

C *Vaſa capillaria lympatica quæ ab illa pelvi liquidorum laticis partem hauriunt, eamque amplioribus afferunt lymphaticis.*

FIGURA III.

Lacteum pariter vas repræſentat a præcedenti haud abſimile, cujus vermicularia ut in ſtatu naturali magis implexa conſpiciuntur.

FIGURA IV.

Portionem effingit intimioris uteri tunicæ, quæ ſuperius expoſitam vaſorum compagem cooperit, in qua patent.

A *Appendices venoſæ quales circa finem geſtationis apparent, quæ tamen catameniis fluentibus exiguiores fiunt, & citra menſes vix conſpicuæ ſunt, ut*

B *Minima foraminula æmulentur.*

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncediamo Licenza a *Gio: Antonio Pezzana* Stampator di Venezia di poter riſtampare il Libro intitolato : *Tractatus de Morbis Mulierum Auctore Joanne Aſtruc . Tomi due riſtampa* , oſſervando gli ordini in materia di Stampe , e preſentandb le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 24. Maggio 1782.

(*Andrea Querini Rif.*

(*Niccolò Barbarigo Rif.*

(

Regiſtrato in Libro a Carte 47. al Num. 438.

Davidde Marcheſini Seg.

TRA-

TRACTATUS DE MORBIS MULIERUM.

LIBER PRIMUS

De Morbis Mulierum ex menſtruatione.

CAPUT PRIMUM.

De uteri ſtructura, appendicibus venoſis, & vaſis Vermicularibus.

§. I.

Deſcriptio uteri generalior.

FUſiorem, atque completam uteri deſcriptionem exhibendi, neque locus hic eſt, nec inſtituti poſtulat ratio. Hinc quæ de ſitu ejuſdem: quæ de figura, mole, partibus, appendicibus, & aperturis; quæ de vaſis ſanguineis, aut lymphaticis; quæ de nervis tandem, & tunicis Anatomici detexerunt, ſatis lectoribus, ſive cadaverum inſpectione, ſive librorum evolutione, peſpecta ponimus. Neminem itaque latere cenſebimus.

1. Uterum veſica, & inteſtino recto interjacentem pelvi contineri, ima videlicet hypogaſtri parte, quam oſſa innominata, & ſacrum componunt, cujus marginem, fœtum gerens, uterus tantum ſuperat.

2. Figura pyrum referre apice obverſo in virginibus non nihil introrſum depreſſum, in Mulieribus pene ſphæricum, quæ nondum utero geſtarunt.

3. Uteri latitudinem a dextera ad ſiniſtram partem duplici circiter pollice abſolvi; craſſitiem ab antica ad poſticam uno, longitudinem a ſumma ad imam tribus, in iis quæ nunquam, paullo magis in iis, quæ pepererunt.

4. Uterum virgineum, vel adultum vix amygdalum capere, citra geſtationis tempus, quo unum vel duos ſæpe fœtus recipit.

5. Diſtingui in utero partem ſupremam interne ad lumbos inclinatam, quæ latior eſt, & *fundus* appellatur; tum inferiorem, anterioremque pubi propinquam, quæ arctior *collum* audit.

6. Uteri collum, quem tegit peritonæum ejus proceſſu, veſicæ, & oſſi pubis anterius necti, intus recto inteſtino, & oſſi ſacro; ad latera cum ileis conjungi.

7. Fundum utrinque firmare quatuor ligamenta, quorum bina, e peritonæi appendicibus producta, *ligamenta lata*, ſeu *aliformia* ſolent appellari; hæc a poſteriori uteri parte originem habent, nectunt ovaria, ſuſtinentque tubas; cetera bina *ligamenta rotunda*, ſeu *teretia* dicta ex uteri lateribus, circa originem tubarum oriuntur, & peritonæo obtecta per annulos muſculorum abdominis tranſeunt, atque oſſibus pubis extrinſecus inſeruntur.

8. Uteri collum in propinqua vaginæ cavitate protundi, canis catelli roſtrum effingens rima inſtructum, cum vagina communicanti, quam *uteri orificium* dicunt.

9. Fundum ex utraque parte tubarum extremis perfodi, quæ, in ejus cavitate patula, uſibus infra enunciandis inſerviunt.

10. Uterum diverſis partibus arterioſas, & venoſas ramificationes præbere, & recipere vaſa ſpermatica, hypogaſtrica, & hæmorrhoidalia.

11. Vaſorum lymphaticorum magnam copiam egredi ex utero, quæ in conglobatis inſeruntur glandulis ad aortæ deſcendentis bifurcationem ſitis, a quibus lympha in glandulas meſeraicas tranſducitur, ac tandem in Piquetianam ciſternam evehitur, ut lymphæ mos eſt.

12. Nervos accipere plurimos ab intercoſtalibus, & paribus ſpinæ, circa lumbos, & foramina oſſis ſacris prodeuntibus.

13. Tandem uterum triplici tunica conflari, quarum externam producit peritonæum, quod fundum, & latera uteri foris operit, ac in ſe reverſum cum partibus vicinis ejuſdem adhæſiones conſtituit; ſecunda carnea, & muſcularis eſt fibris plurimis circularibus, ſpiralibus, longitudinalibus, tranſverſis, & obliquis contexta invicem interſecantibus, quæ potiſſimum uteri craſſitudinem faciunt; tertia omnium ſubtiliſſima, carnoſa, ſive potius tendinea, ſcabra eſt, ex ea parte, quæ carneæ adhæret, altera vero facie æqualis eſt, & lævigata, ea parte excepta, quæ orificium induit, ubi anfractus oblique tranſverſi apparent, in quibus hydatides, ſeu veſiculas ſphæricas lympha ſaturas reperies, quas *Martinus Naboth* Medicus Lypſienſis pro ovulis fœtui fovendo perperam habuit.

§. II.

Uteri ſpecialis ſanguineorum vaſorum deſcriptio.

HIs explicitis reliqua ſunt *duo* magni ponderis adhuc ingnota, nunc ſpecialiter perpendenda: *primum* ad conformationem attinet, & diſtributionem vaſorum ſanguineorum, quæ inter mediam, & intimam uteri tunicam repunt; *alterum* ad ſtructuram pertinet vaſorum quorumdam peculiaris generis, quæ inter eaſdem tunicas reperiuntur, ibidemque ductuum funguntur officio, & naturam humoris ſecernendi oſtendit.

Uteri vaſa arterioſa illum perreptando in plures ramos diviſa, & ſubdiviſa tantum augentur numero, & minuuntur diametro, ut tandem capillarium indolem aſſumant, quæ undique ſerpendo per varias uteri tunicas multiplici methodo flectunt, deflectuntque viam, majori tamen copia, & implicatiori contextu per carnoſam, & nerveam reptant tunicas.

Hujuſmodi arterioſæ ramificationes multiplici ſubdiviſione pene oculos effugiunt, at ſedulo perſpectis, injectionis præſertim ope, obſervaveris, quamvis in novos canaliculos deſinere cavos, cilindraceos, quorum ſtructura æqualis, nonnihil amplior tamen, & patentior eſt ad inſtar priorum vaſorum, ſeu uteri venarum capillarium diviſionem.

Po-

Poſteriores hæ ramificationes, eo magis, atque magis implicantur, poſtea quam ſenſim, ſenſimque ſimul coalitæ repetito nexu ramos efformant ſucceſſive ampliores, qui tandem ad truncos venarum uteri confluunt; præter hanc directam venarum ramificationem, qua denique communem truncum aggrediuntur, lateras innumeras inter eas, & cum exilioribus arteriis anaſtomoſes conſpiciuntur, quæ injectione tumentes reticulum denſiſſimum progignunt; per illos anfractus ſanguis ab arteriis redux quaquaverſus viam flectit, ut natura, multiplici hac communicatione affluenti ſanguini multiplices videatur ſemitas paraſſe.

Uſque adhuc in utero ſanguineorum vaſorum diſtributio, aut nihil diſtat ab ea ceterarum corporis partium, aut maxima vaſorum, venarum præſertim, implicatione, & anaſtomoſium frequentiori commercio tantum differt.

At quod ſummum diſcrimen parit in circulatione per uterum ſanguinis, proceſſus ſunt, ſeu appendices quædam venarum perpendiculares, quæ cum venis unam craſſitudinem retinentes intimam tunicam perfodiunt, & in interiori uteri ſuperficie pateſcunt, hæ originem habent a concurſu anaſtomoſium, ubi vaſa ad angulum coeunt, confluitque cruor; ſæpe etiam a lateribus hujuſmodi venarum, aut anaſtomoſium erumpunt.

Hujuſmodi appendices in gravidis tantum, poſtremis præſertim menſibus, ſenſibiles fiunt, tunc per quatuor, vel quinque lineas prominent, ubi *placenta* utero adhæret, & ſuis proceſſibus aptos placentæ tubulos ſibi paratos intrant; Hinc ejuſdem cum utero adhæſioni magnopere favent; hinc tandem per patulas extremitates inter placentæ cellulas ſanguinem fundunt, qui a venis umbilicalibus receptus ad embrionem evehitur.

Tunc appendices illæ (variam tamen craſſitudinem præſeferentes) ita conſpicuæ fiunt, ut non ſolum oculis facile perſpici, verum ſpecillo facili negotio per lumen earum uſque ad venas a quibus oriuntur pervadi poſſint; at utero ad naturalem magnitudinem redacto, citra geſtationis tempus illas incaſſum permeare tentabimus, nam cum venis ſimul coarctantur ita, ut exilitatis ergo oculos penitus effugiant.

Has placentam invadentes in eam ſanguinem effundere, & in utero patulas catamenia producere judicavimus; iis tamen circumſtantiis exceptis oſtium, earum uterum ſpectans, exacte claudunt, quod, quo mechaniſmo fiat cum ignoremus, cuique licebit pro phænomeni explicatione, aut valvulas orificio extrinſecus applicatas, vel quod magis arridet, labiorum coeundi nixum, vel ſimplicem etiam fibrarum circularium conſtrictionem habere.

Verum enim quidquid eorum pro cauſa cognoveris, patet ſanguinem citra geſtationis, aut menſtruationis ſtatum per eas appendices erumpere nequire; ſanguis autem quovis alio tempore eo affluens, aut ſtagnare, aut quod magis veriſſimile eſt, & legibus circulationis conſonum, debet lentiſſime renovari, & per ſucceſſivas circulationes directas, quæ in venis contingunt ſenſim, ſenſimque lateralibus appendicibus communicari; eodem pene modo, ac motus aquarum per fluminis alveum ripæ ſinubus communicatus in iis contentum fluidum continenter removet, atque innovat.

§. III.

Deſcriptio vaſorum lacteorum, ſeu vermicularium uteri.

ALterum vaſorum genus per intimam uteri tunicam repit, quod tamen poſterioribus geſtationis menſibus, ut de appendicibus indicavimus, oculis etiam facile conſpicuum eſt.

1. Si obverteris uterum mulieris geſtationis fine, aut partu defunctæ leviter interiorem tunicam abſtergendo, ubi placenta abeſt, atque tunica magis compingitur, ibi leni preſſione guttulas erumpere obſervabis lacticinoſi humoris per tubulos, ſive foramina pene impercetibilia, quos totidem ductus vaſorum hujuſmodi humoris ſecretioni paratorum eſſe videbis.

2. At ſi macerationis ope aceto peractæ uterum interiori tunica exueris, eam leviter ſcindendo, apparebit tunc carnea tunica undique innumeris inteſperſa vaſculis exilibus, vermicularibus, albis, ſetæ craſſitiem ſuperantibus, tribus, quatuor, at quinque lineis oblongis lacteo illo liquore repletis, quem vaſa irritata, aut conciſa ſtillant, ei ſimilem ab utero ſuperiori experimento fluenti.

Vaſcula hæc multiplici, ac varia implicatione cum ramificationibus venoſis ſuper allatis, anaſtomoſibus, ſive lateralibus communicationibus mirifice intertexuntur & modo parallelo repunt tramite, modo ſuperius, modo inferius diriguntur ad rectos angulos, vel obtuſos ſe ſe interſecando, modo amplectuntur, & huc illuc deflectendo ſimul in ſpiras circumvehuntur. Verum quacumque incedant methodo ita venoſis ramificationibus intime copulantur, ut ſimul pulpoſam ſubſtantiam conſtituant intra carneam uteri tunicam, & internam interjacentem.

Si cui haud moleſtum fuerit hæc vaſcula ſecare, vel potius ſubtiliori cuſpide ſeparare, facile patebunt glomi quidam e quaternis, vel quinis vaſis compoſiti, quæ undique in eodem puncto coeunt, ibique expanſa, pelvis communis ſpeciem referunt, tum ab hoc unionis centro pori, ſeu tubuli excretorii ſurgunt, qui obtegentem intimam uteri tunicam perforando, quem continent, lacteum humorem effundunt.

Alter hujuſmodi vaſorum limes prorſus impervius eſt, ſed hoc nihil officit, quod ea vaſcula tum eorum extremis, cum lateribus non ſint a ſubtiliſſimis pertuſa ramificationibus vaſorum lymphaticorum, quæ humorem in eorum cavitate detentum dum tenuior eſt per eorum orificia exſugere valeant, vel ſi ſpiſſior fuerit, ut abs re ſit integrum penetrare, ſubtiliorem partem ſaltem abſorberi ſinant.

Nemo itaque anceps erit, quod hæc vermicularia vaſcula geſtationis tempore ſecretioni inſerviant humoris cujuſdam lacticinoſi ab illo haud abſimilis, quam vaſa ſpermatica in teſtium virorum compage ſeparant *ſperma* dictum: clare pariter percipitur, dum ea magis turgent, illum in uteri cavitate erumpere pro alimento fœtus, de quo plura infra dicenda.

Adhuc tamen in dubio hæremus, quibus uſibus ea in mulieribus citra geſtationem præſto ſint, vel qualem humorem tunc ſecernant; at ſi conjecturis locus eſt, cognita œconomia animalis, & ſimilis cum utero in mammis ſecretio judicium ſatis validum ſuppeditant, hujuſmodi humorem eadem indole pollere illius, quem veſiculæ mammariæ ſeparant, eaſdemque ſubire alterationes, a quibus, ſimilia phænomena producendo, ſympathica, hinc partium earum relatio oriri poſſit.

In puellis uſque ad annum quartum & decimum, tum uteri, cum mammarum liquor lympha eſt, vel ſaltem nonnullis chyloſis moleculis parum inquinata; quapropter hi humores cum fluidiſſimi ſint vaſa lymphatica e ſuis hydrophylaciis eos facile quanti eo pervenerint valent exantlare, tunc enim neque mammarum veſiculæ, neque uteri vaſa vermicularia ullam diſtentionem patiuntur, & illæ exiguæ, ac compreſſæ remanent, is durus compactus, ac contractus perſiſtit.

At decimum & quartum vitæ annum mulieribus attingentibus, corporis augmentum ſegnius fieri incipit, & ſanguinis diſpendium imminui, chyli præſertim qui ſanguificationis materiam ſuppeditat; aucto enim tunc ſupra nutritionis opus chylo, qui redundat, cum uteri, & mammarum lympha ſibi ana-

loga

loga remiſtus, eam continenter lacteam magis reddit, ut hujuſmodi humorum uterque pro acquiſita denſitate difficillime vaſa lymphatica valeat permeare, huic abſortioni dicata; illi humores vero in iis pelvibus morantes, eas ſucceſſiva collectione ſemper magis diſtendunt, ac proinde ſinum inflari, ac mammas amabili ſua rotunditate ſororiare videbis, tum uterum extendi, & inflari, quod in puellis pubertatem conſtituit, eaſque *viro maturas* reddit.

Hujuſmodi œconomiæ animalis in mulieribus proceſſus poſt conceptionem majorem alterationem patiuntur, tunc rationibus infra enunciandis, uberrime chylus cum his humoribus permiſcetur, & perfecte lacteus facit, impeditque quominus vaſa lymphatica quoad craſſiorem ſaltem ſui partem intrent, ideo coacervati magis, uteri, mammarumque ſubſtantiam augent, & copia ſuos reſervatorios dilatando per excretorios ductus ſibi pandunt viam in utero fœtui nutriendo, in mammis infanti in lucem edito alendo.

Ex his facile patet, vaſa vermicularia in mulieribus nondum fœtum gerentibus incaſſum inquiri, nam ubi exilitas viſui non obeſſet, color, humoriſque pelluciditas potis ſunt, ut oculorum aciem effugiant; apparet enim tunc ea vaſcula mera lympha, parum lacticinoſa, & translucida repleri, imo difficillimum, & impoſſibile pene erit tunc temporis ea a vaſis lymphaticis, vel a ſimplicibus fibrarum filamentis diſtinguere, quæ utraſque tunicas ſimul nectunt.

Hæc omnia clariora apparebunt figuras æneas conſpicientibus, quas initio operis poſui, perbelle adhuc expoſitam uteri ſtructuram referentes.

CAPUT II.

De menſtruorum profluvio, ſive de Catameniis.

§. I.

Deſcriptio.

Mulieres per certum vitæ curſum periodicæ ſanguinis evacuationi per uterum ſibi propriæ ſunt obnoxiæ; Hæc lex ita communis eſt, ut vix centeſimam reperies catameniis deficientem, citra morbum, vel conceptum.

I. Hujus evacuationis indicia quarto, vel quinto decimo ætatis anno in puellis ſolent ſupervenire, non deſunt tamen, quibus citiora, vel ſegniora appareant.

II. Catamenia ſemel incepta uno quoque menſe ſemel revertuntur, id ſaltem magis crebrum eſt, & in nonnullis procul a morbo bis in unico menſe, vel ter in duplici menſe interdum revehuntur.

III. Iſtiuſmodi enim evacuationis reditum patet menſis circiter revolutione abſolvi, id tamen aliquam varietatem patitur, nam pluribus fluxus menſtruus vigeſimo ſeptimo, aut vigeſimo octavo die, aliis quinta quaque hebdomada eſt recidivus.

IV. Ejuſdem diuturnitas inconſtans valde eſt, raro tertium diem non attingit, vel ſextum ſuperat, ut ſi intra hos limites fluxus non perſiſtat, pro morbo habeatur.

V. In eo tres gradus diſtinguuntur, initium videlicet & *incrementum; ſtatus; decrementum*, & finis, qui per æqualia intervalla dividuntur, integri curſus diuturnitati proportionalia, raro enim ſecundum naturæ leges repente erumpunt, vel fluere ſinunt catamenia.

VI. Difficillimum eſt in unaquaque evacuatione determinare quantum ſanguinis excernatur; hoc enim in ſingulis objectis, & menſibus differre ſolet, plerumque intra octo, aut ſexdecim uncias differentia conſiſtit; non deſunt tamen, quæ abſque morbo plus, minuſve ſanguinis amittant.

VII. Certam ſæpiſſime rationem ſequuntur catamenia methodicam valde,

quæ initium, & finem eorum ſpectant, nihilo tamen minus in nonnullis ſero deſinunt, quibus cito increbuerunt, & contra.

VIII. Plerumque duratio quantitati fluentis ſanguinis rationem habet, animadvertitur enim unoquoque curſu, quibus uberrime etiam diutius menſes fluere, & contra; ſunt etiam, quibus poſt duplicem methodicam menſtruationem, tertia ſuperadditur diuturna magis, atque abundans.

IX. Quamvis menſes ſine intermiſſione continenter excurrant, neque iterum appareant qui ſemel conſtiterunt, reperiuntur tamen nonnullæ, quibus poſtquam aliquantiſper fluxere, repente ſiſtunt, ac duobus, vel tribus diebus tranſactis remittuntur denuo per aliquod temporis ſpatium.

X. Sanguis meſtruus in ſanis mulieribus optimæ craſis, & ſalubris eſt; quidquid enim de ejuſdem deleteria indole, & acrimonia aſſerunt, ægrotis tantum refertur, in quibus vel infectus eſt ſanguis, vel ulcus uterum deturpat, vel cruor in eum irrumpens corrumpitur; aſt præter hunc triplicem caſum multum erit ſubducendum de morboſis effectibus, qui menſtruo ſanguini tribuuntur.

XI. Catamenia præcedit plerumque, & proſequitur lymphaticum effluvium, quod diutinum plus, minuſve, atque uberrimum eſt in ratione uteri, ac temperamenti conſtitutionis; dantur tamen ſanæ mulieres, quibus continenter rubeus ſanguis fluit.

XII. Utero graves poſterioribus præſertim menſibus hujuſmodi fluxu deficiunt, etiamſi in nonnullis ad tertium uſque menſem perſiſtat; nutrices pleræque eo carent, tum laborioſæ mulieres, & ruſticæ abſque noxa.

XIII. Menſtrua prænunciant futura, pubis, inguinum, ac lumborum dolor; pudendorum inflatio, vel rubræ papulæ; vaginæ tenſio, calor, ſenſuſque auctus; hæmorrhoidum tum externarum, cum internarum tumor; mictio dein crebra, & ardens; urinæ turbidæ ac mora facile corruptibiles; mammæ denique duræ, turgentes, & hyſtericæ ſuffocationes; capitis gravedo, atque vertigo ſopor, vel pervigilium; per ſubſultus tandem ſomni ſolutio, aut moleſta inſomnia &c. Hæc omnia prima vel ſecunda die pati ſolent mulieres ante eruptionem; raro enim per quinos dies præcedunt.

XIV. Hæc denique eruptio eadem methodo conſtanter revertit ad quadrageſimum uſque, quadrageſimum quintum, vel quinquageſimum ætatis annum, donec ſponte deſinat, incertuſque finis eſt, ut initium fuiſſe oſtendimus in ratione temperamenti, vitæ geſtæ, morborum indolis quos paſſæ ſunt, aut climatis ubi degere ſolebant.

§. II.

Cauſæ.

I. QUæ primum cauſarum indagini objicitur difficultas locum ſpectat e quo ſanguinem fluere ſoleat, alii enim ex uteri fundo, alii ex intima vaginæ tunica erumpere arbitrati ſunt, utramque ſententiam firmant auctoritas, & experientia; obſervationes tamen, quæ menſtrua ex uteri cavo ſtillare defendunt, ita conſpicuæ ſunt, & a Claris viris inſtitutæ, ut nullus dubitationi locus ſupereſſe videatur.

1. (a) *Veſalius*. (b) *Peyerus*, (c) *Mauriceus*, (d) *Littrius*, atque (e) *Schurigius* animadvertiſſe affirmant ſanguinem ab uteri orificio ſcaturire, quod perbelle conſpexerunt in illis, in quibus ipſe ad pudenda uſque erat prolapſus, poſterio-

(a) *De humanis corporis fabrica* Lib. V. c. 15. (b) *In Ephemerid. Germanic.* Dec. II. ann. 1. Obſerv. 84. (c) *Obſervations ſur la groſſeſſe*, Obſerv. 96. (d) *Hiſtoire de l'Accademie Royale des Sciences* Annèe 1720. p. 16. (e) *Parthenologia* Sect. II. Cap. 2. §. 4.

riores duo addunt, neque guttulam e vulva oriri, cujus interna ſuperficies tunc facile inſpici poteſt.

2. (*f*) Spigelius ait, *in mulieribus catameniorum tempore deceſſis reperiri internam uteri tunicam undique perfoſſam foraminulis fundum verſus præſertim, valde conſpicuis citra menſtruationem vix patentibus, quæ tunc cruorem effundebant.*

3. (*g*) Mauriceus aſſerit, *in ſectione mulieris cujuſdam delictorum cauſa, adhuc fluentibus menſtruis ſuſpenſæ, inveniſſe uteri fundum exiguis grumis interſperſum coagulati ſanguinis, & foraminula illa patentiora ibi quam circa collum quorum ora obducebat grumatus ſanguis hic perſiſtens*, idque pluries animadvertit, atque ſuis ſcriptis (*h*) alibi defendit.

4. (*i*) Littrius *mulieres comperit profluente ſanguine obitas, quarum uterus turgens & craſſior erat, ibique vaſa ſanguifera humore quo uteri cavum irrigari debebant imbuta, tum ejuſdem intimior pars undique tubulis inſtructa patenter ſanguine repletis, quem levi preſſione ipſi verſabant.*

5. Clariſſimus Morgagnus (*k*) tandem repetitis obſervationibus oſtendit, *in mulieribus in eo ſtatu diſſectis fundum uteri reperiſſe ſanguineis undique maculis diſtinctum, e quibus vel mediocri expreſſione cruentas guttas elicere nihil prorſus negotii erat, quod cum in vagina pari expreſſionis vi tentaretur, nihil omnino proficiſcebatur*; idque alibi (*l*) confirmat Santorini auctoritate, & auditorum ſuorum teſtimonio.

Tot enim experimentis ſententiam innixam nemo etiam alias præoccupatus audebit contendere ex uteri nempe fundo, non e vagina menſtrua profluere: id rationi non ſolum, verum cognitis matricis uſibus valde conſonum videtur: nam

1. Per uterum conſertiſſima repunt, & maxima copia vaſa ſanguifera, ergo ex iis menſtrua prodibunt.

2. Patet, ut infra clarius explicabimus, hujuſmodi ſanguinem fœtui in utero nutritionem præbere, id ergo uterus ſuppeditabit.

3. Videntur Lochia poſt partum ex iiſdem fontibus ſtillare, ac menſes citra geſtationem fluunt, quod cum uteri vaſa peragant, eadem ergo catamenia ſimul producere veriſimile eſt.

4. Tandem ſanguinis jacturæ, quæ utero gravi jure ſæpiſſime abortus metum inducunt, ex utero prodeunt, tunc enim ſanguis embrionem alere ineptus evaderet, ſi e vagina prodiret, quare circa menſtrui ſanguinis originem omnia confirmant, quod obſervationes ſupra docuerant.

Nihilo tamen minus numquam negare ſtatuimus uno eodemque tempore haud infrequenter tum uterum, cum vaginam menſtrua ſuppeditare; ſimilis enim harum partium textura, una pene in his ſanguinis diſtributio, ac ſumma vaſorum conferentia poſtulant, ut ſanguis in plethoricis præſertim ex utra parte ſibi apperiat vias, autumo etiam ſanguinem aliquoties e ſola vagina invite fluere, dum aliqua de cauſa ex utero erumpere impeditur; ex hoc rationem facile invenies cur nonnullos obſervaſſe (*m*) affirment in diſſectis ſub menſtruatione emortuorum cadaveribus uterum maculis cruentis, aut effluvii indiciis prorſus carere, vaginam vero ſanguine refertiſſimam eſſe; ex his ſimul conſtat cur in gravidis ſanguis abſque noxa, vel abortus metu per trinos menſes, vel integram geſtationem ſæpe erumpat; hæc tamen nihil favent contrariæ ſenten-

(f) *De humanis corporis fabrica* Lib. VIII. Cap. 20. (g) *Des Maladies des Femmes groſſes & accouchées* Liv. I. Chap. 10. (h) *Obſervations ſur la groſſeſſe*. Obſerv. 49. (i) *Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences* Ann. 1720. p. 16. (k) *Adverſaria Anatomica*. Adverſ. I. §. 33. (l) Adverſ. IV. §. 27. (m) Realdus Columbus *Anatom.* Lib. VI. Severinus Pinæus, *De notis virginitatis*. Lib. II. Cap. 1. Carolus Piſo, *De morbis a colluviæ ſeroſa*, Sect. II. Par. II. Cap. 7. Edit. *Lugduno Batavæ*. Joannes Bohnius, *Circul. Anatomic.* Progymnaſ. 16. Gothofredus Bergerus, *Phiſiolog.* c. 20.

tiæ, cum fluat tunc ſanguis e ſola vagina, uteri oſtio perfecte clauſo; qui ex hoc minime læditur.

II. Cum duplex ſit vaſorum genus per illum reptantium, arteriarum nempe, & venarum, in dubio adhuc verſamur quod eorum menſtrua producat. Auctorum ſententiæ circa hoc nondum compoſitæ ſunt; plerique tamen hunc ſanguinem venas ſubminiſtrare autumarunt, & ſane hujuſmodi color ſubniger fuſcus, ac ſegnities per quam guttatim ſtillat ut venoſo ſanguini mos eſt, valde ſuadent, idque maxime confirmat lochia in puerperis ex venis procedere, ac proinde menſtruationem etiam ex iiſdem derivare, unamque ſternere viam.

III. Veniet inquirendum e quibus venarum fontibus procedat; verum quæſtio pauci momenti erit, patente enim uteri contextu, vaſorumque allata diſtributione, facile apparebit venoſas appendices id peragere; hæ enim ſunt, quæ in uteri cavo magis protenduntur, quæque interioris tunicæ telam perfodiunt, earumque patula oſtiola, ut munere fungantur a circulatione diverſo, a natura fuiſſe conſtituta videntur; ſi ſpectemus etiam extremitates eſſe venarum, ut abſque laceratione valeant ſibi pandere vias: quare adhuc allata ſatis clare oſtendunt per illas appendices ſanguinem menſtruationis tempore eſſe fluxurum.

At cur conjecturis fidendum dum certas habemus obſervationes J. (a) Highmori, qui refert *ſecuiſſe femellam fluentibus adhuc catameniis emortuam, cujus interiorem uteri tunicam reperit undique orificiis venarum ibi patulis refertam.*

2. (b) Vinslovii, qui *uteri cavum animadvertit villis confertiſſimum exilibus rubro ſanguine infectis.*

3. (c) Spigelii, qui *illos ſub foraminum ſpecie vidit valde patentium, quæ ad menſtruum fluxum pertinere judicavit.*

4. (d) Mauricei, *qui in muliere ſcelerum cauſa cruce mulctata uteri fundum intus glomis inductum cruentis, plurimumque vaſa diſtenſa, imo ipſorum oſtia coagulato ſanguine turgentia ibi patula valde, comperit.*

5. (e) Littrii qui *internam hujuſmodi ſuperficiem interſperſam conſpexit* (*) *conſpicuis foraminulis, quæ preſſione facili negotio cruorem quo erant ſatura effundebant.*

6. (f) Morgagni tandem, qui intrinſecus uterum deſcripſit *cruentis maculis diſtinctum mediocri preſſione ſanguine manantibus.*

Procul dubio itaque conſtat *orificia* Highumori; *villos ſanguine intriſos* Vinslovii, *patula foraminula* Spigelii, atque Littrii: *oſtiola* Mauricei, ac *ſtigmata ſanguine madida* Morgagni appendices illas eſſe a nobis deſcriptas, quæ clariſſimis illis Anatomicis plus, minuſve craſſis, oblongis, patulis, aut cruore ſaturis apparuere pro diverſa ſubjectorum conditione, quæ ſecuerunt.

Tribus hiſce difficultatibus explicitis, totum menſtruationis mechaniſmum ſe ſe expedit; extremæ enim *appendices cæcales* venarum uteri naturaliter conſtrictæ, & obturatæ nequeunt catameniorum tempore in utero ſanguinem verſare, niſi

(a) *Corporis humani Diſquiſition. Anatomic.* Lib. III. Part. IV. Cap. 4. (b) Expoſit. Anatom. du bas-ventre *p.* 754. *Edit. in* 4. (c) *De humani corporis fabrica* Lib. VIII. Cap. 20. (d) *Maladies des femmes groſſes, & accouchées.* Liv. I. Cap. I. *Obſervations ſur la groſſeſſe*, Obſerv. 49.

(e) *Hiſtoire de l'Academie des Sciences* An. 1720. p. 16. (*) Littrius addit quod *a racconu ces memes trous de la ſurface interne de la matrici dans les femmes mortes pendant la groſſeſſe, mais beaucoup plus petis, & d'où il ne ſortoit au lieu de ſang, qu'une liqueur blanchatre & laiteuſe*; paullo poſt, at infelici eventu rationem oſtendere conatur, qua hujuſmodi foraminula modo arctiora, modo ampliora videantur, atque liquor ab iis erumpens diverſam naturam induat; miror enim quod celeberrimus anatomicus deceptus ſit, neve conſpiceret, *ces trous pleins de ſang*, quæ obſervavit *dans la matrice des femmes mortes pendant leurs règles*, in gravidis ampliari quam maxime, *ces trous-deux* ut ipſe deſcripſit 1701. (*Hiſtoire de l'Academie* 1701. *p.* 243.) *at ces alia trous*, e quibus tantum erumpebat *une liquor blanche, & laiteuſe*, in gravidarum utero, aliud fuiſſe foraminum genus ab eo procul diverſum, quod fruſtra inquiſivit tunc exilitatis ergo in mulieribus catameniis fluentibus deceſſis, conſpicuum tamen geſtationis tempore, quando partes uteri omnes ampliores fiunt.

(f) *Adverſaria Anatomica.* Adverſ. §. 33. & IV. §. 17.

niſi ſe ſe extricent, & patefaciant, plenitudo, ſeu cruoris redundantia potiſſimum valet eas reſerare, at hujuſmodi plethora duplex eſſe poteſt vel integræ œconomiæ animalis communis, vel uteri ſpecialis, ideoque ut harum appendicum apertionem explicemus, alterutra repletudinis ſpecies erit amplectenda.

Sane univerſa vaſorum repletudo ad menſtruorum ubertatem non parum conducit, ratio itaque, & experientia id confirmant, ex eo tamen minime arbitramur univerſalem redundantiam ſolam ſufficere ad hanc ſanguinis effluxionem producendam: at ſi recte examinemus eam ſæpiſſime, conſtanter, & methodice perſiſtere in mulieribus chronicis morbis emaciatis, aut tenui victu, vigiliis, doloribus, vel continuis cruciatibus defatigatis in quibus vix reliqua eſt in venis tertia ſanguinis portio, qua in ſtatu naturali turgere deberent, quo ergo nanciſci hujuſmodi plenitudinem, ſi eam pro mulierum fluxus cauſa haberemus?

Ad phænomeni igitur explicationem, localem, ſeu ſpecialem uteri plethoram admitti conati erimus. Hæc magis conſona legibus menſtruationis, ac maxime ab his quæ præcedunt, aut ſubſequuntur eruptionem; comprobata apparebit. Patet enim pudendorum tumorem, tenſionem, & calorem vaginæ; pubis, inguinum, atque lumborum dolorem: hœmorrhoides quæ tunc ſuperveniunt, ſpecialis repletionis conſecutiones eſſe, quæ partibus communicantur propinquis.

Auctorum nonnulli autumant ſine ſpeciali exuberantia a peculiari in utero vaſorum diſtributione penitus derivare. Docent enim, ſanguinem a corde per arterias recto tramite celerrime, ac uberrime deſcendere, minori vero copia, & ſerius, ſpectato perpendiculari vaſorum poſitu, ad cor refluere; verum deſcendentis aortæ diametrum ampliari magis in mulieribus, quam in hominibus, eamque in illis majorem copiam ſanguinis ferre, quam in virili ſexu. Animadvertunt ſimul arterias, & venas diſtribui innumeras per uterum, quæ multipliciter interſecantur, & implicantur invicem, quæque per confertiſſimas anaſtomoſes inter ſe maxime conferunt, nullam vero reperiri valvulam, neque ſanguinem in venis internam uteri faciem reptantibus ſuſtineri, niſi ab latiori tunica, & pinguedine denudata, quę nihil obeſt venarum dilatationi. Hæc ſi admiſeris erunt conſecutura, ſanguinem uberius ad uterum vehi atque ab eo difficilius, & minori copia recedere, ibique morari, & congeri magis inter ſanguinea vaſcula, quorum implicatus contextus ſanguinis curſum magnopere retardat, ac proinde turgentes venas inflari ac magis magiſque dilatari tenaci tunica orbatas, quæ eas extrinſecus tueatur, & valvulis, quæ intus ſanguinem extollant; per illum tandem complexum hanc localem repletudinem orire, quæ menſtrua producere potis erit.

Nihilo ſecius ab hac ſententia, quæ maximi momenti eſſe videtur, multum erit ſubducendum, ac ſi ſedulo ipſam perpendere lubeat; eſto:

I. Amplificant nimis utilitates quas a vaſorum ſpeciali in utero diſtributione derivari ſibi ſuadeat; verticalis enim arteriarum, & venarum directio, atque aortæ deſcendentis in mulieribus amplitudo, ſi peculiarem uteri redundantiam generare valeret, ſimilis arteriarum directio, quæ ad pedes ſanguinem devehunt, aut venarum, quæ illum ad cor revehunt, ampliatam diametrum pedes inflare deberent eo magis, quo celerior pro rectitudine eſſet curſus, refluxuſque ſegnior pro longitudine tramitis, at experientia oſtendit hujuſmodi pedum turgentiam in mulieribus prorſus abeſſe, ideoque iis de pauſis, nec utero ſupervenire ſuadendum. Id tamen inæqualitatem producere motus affluentis, vel redeuntis ſanguinis non negabimus, quæ a natura ſapienter multiplici cognita via rependi ſolet, hicque motus ſanguis uniformis, æquuſque reddi.

II. Perperam magnifaciunt numerum vaſorum per uterum perreptantium, eorumque plexum, anaſtomoſes, valvularum defectum, aut tunicarum laſſum contextum: hæc utero gravi potius, quam fœtu carenti convenire videntur, in puberi-

beribus præſertim nondum connubio vinctis, in quibus matrix pleriſque viſceribus denſa magis & compacta apparet, ejuſque vaſa exiliora, & conſtricta conſpexeris.

III. Aſt poſitis ſtructura, ac vaſorum diſtributione, quam in puberibus, vel jugatis adverſarii arbitrati ſunt, neminem ex his ſpecialem uteri plenitudinem orriri poſſe videbimus, citra univerſalem ſanguinis plethoram; mentem etiam *D. Freind* aſſequentes, qui etſi contrariam ſententiam defendant, in hoc noſtras videtur; conſequens enim eſſet emaciatas mulieres catameniis penitus deficere, quæ nulla peculiari afficerentur plenitudine, ſi ab univerſali eſſet derivanda, ſed experientia aliud evincit.

IV. Verum ne hujuſmodi etſi imparem renuamus hypotheſim, ſinamus, ſi lubeat, unoquoque menſe hanc gigni univerſam plenitudinem in mulieribus menſtruationi proximi; quid ex eo? in eadem ratione uterum tunc ſanguine imbui? fortaſſis: verum id potius in utero, quam in ceteris corporis partibus vaſa reſerare, vel periodicas excretiones promovere minime ſufficeret. Oporteret itaque ad hanc confirmandam ſententiam oſtendere ibi ſanguinem copia, atque niſu contra parietes vaſorum vi ſua facilius ceterarum partium retinentiam ſuperare, ſed hoc ægre ſuſtinebimus, cerebrum porro, pulmo, hepar, lienque laxiora viſcera ſunt, & vaſis pollent amplioribus innumeris multo ſanguine turgidis, quæ facilius tument, quam ipſa uteri in puberibus, ideo in illis viſceribus ſpecialis hujuſmodi facile orta plethora vaſa dilatare, ac ſanguis promptius quam in utero erumpere deberet.

V. His conceſſis ſimul evidens eſſet ſtatim ac menſtrua ſinant, eam in utero renovari, ac augeri repletudinem quotidie, vaſa dein poſt quintum & decimum diem dimidium inflari, & duplum poſt vigeſimum, tuncque ſenſibilem fieri, eademque phænomena reproduci etiamſi leviora, quæ paullo poſt catameniorum tempus ſolent apparere; obſervationes igitur id contendunt, nam mulieres, quæ gravedinem, tumorem, caloremque circa uterum, & vaginam prope fluxum patiuntur, nihilum prorſus perſentiunt decimo, vel quinto decimo ante eruptionem, quod confirmat partialem hanc repletionem, neque celerrime ita nanciſci, neque alterius univerſalis plethoræ conſequens eſſe.

VI. In hac tandem hypotheſi circa uteri ſtatum nonnulla omittunt, quæ ad menſtruationem explanandam opportuniſſima ſunt; porro decipiuntur valde, niſi animadvertant partes omnes organum quodvis microcoſmi componentes ad integram organi ipſius functionem patrandam ſimul neceſſario conferre; nec verbum faciam de appendicibus venoſis, quas contrariæ ſententiæ in eo favere proſpexi, quod abſque laceratione per earum patula orificia ſanguinis eruptio eveniat; ſed in ea opinione nullum locum habere conſpexi in menſtruationis negotio vaſa vermicularia, quæ tamen innumera ſunt, quæque per conſertiſſima foraminula internam uteri faciem perforando ſui generis humorem effundunt a ſummo naturæ auctore paratum, qui hujuſmodi partis actionem aliquo modo foveat.

Ex his animadverſionibus conſequitur:

Primo, localem uteri plethoram, quæ periodice illum inflat, & catamenia producit, a nulla univerſali repletudine derivare.

Secundo, quod ea oriri nequeat, niſi ſanguifera vaſa ſpeciali modo comprimantur, ita ut ſanguis curſus plurimum intercipiatur.

Denique, ſola vaſa vermicularia potiſſima eſſe ad hanc compreſſionem exercendam: ea enim unoquoque menſe turgida fiunt, venarumque extremitate plectuntur, eaſque maxime comprimunt.

Reliquum ergo erit rationem oſtendere, qua hujuſmodi vaſa periodice intumeſcant; id vero naturaliter ſubſequitur uſus illorum in ſuperiori capite indicatos.

In

In iis itaque, quæ pubertatem jam attingerunt, lympham lacticinoſam vulgari ſpiſſiorem vaſa vermicularia ſeparant, cujus ſubtiliorem partem venæ lymphaticæ attrahunt, verum ſegnior portio in illorum cavitate reliqua ſenſim, ſenſimque menſis circiter circuitu aucta, vermicularia vaſcula inflat, ac propinquos venarum proceſſus ex hoc conſtringunt, impeditoque directo curſu invite laterales appendices intrat ſanguis, eaſque extendit atque explicat, ut cruorem in utero verſare cogat.

Verum cum actioni ſemper æqua ſit reactio, venæ a vermicularibus conſtrictæ illa pari vi comprimi conantur: hinc contentus liquor tum preſſionis cum denſitatis cauſa, dum lymphatica penetrare impeditur, per excretorios ductus ſibi pandit vias eodem tempore, quo venoſæ appendices ſanguine madent, & duplici hoc fluxu lacticinoſi humoris, & cruoris ex appendicibus prodeuntis catamenia originem ducunt.

Hoc effluvium donec vaſa vermicularia lacteo ſucco, & venoſi proceſſus ſanguine inaniantur, ſolet perdurare, tunc utrumque vaſorum genus obturatur & hac methodo lactifera illa organa ſenſim humorem lacticinoſum e craſſiori lympha reſtitutum ſervant, quem ipſi ſecernunt; eodemque circiter intervallo, ſimili modo fluxum reproducunt.

Ecce palam vobis ſimpliciſſima phænomeni explicatio uteri texturæ conſona, & obſervationibus confirmata menſtruorum tempore inſtitutis, quæ unicuique uteri parti munus ſibi proprium præbet obeundum: conſtabit porro hanc ſententiam tum ſani, cum infirmi uteri mutationes omnes facillime extricare; ita ut ab omnibus ratione præditis mereatur amplecti.

§. III.

Conſecutiones.

EX anteactis igitur ſtatuere licebit:

1. Sanguinem menſtruum necdum ſtillare ex vaſis uteri per tunicarum poros, vel per ſudoris, aut diaphoreſis vias erumpere; huic ſimul obeſt ſpiſſitudo ejuſdem, & copia.

2. Cruorem minime per ſua vaſa in glandulas, aut vermicularia organa irrumpere, ac per ipſorum oſtiola in uteri cavitate effundi; hujuſmodi opinio demonſtrationibus caret, neque explicationem inveniremus periodici ad glandulas affluxus, quinimo unoquoque menſe intima uteri tunica phlogoſi corriperetur, ſi glandulæ lymphaticæ ſanguine imbuerentur, quare hypotheſim ratio non ſolum, ſed experientia etiam contendunt.

3. Sanguinem nunquam arterias, venas ſolummodo ſuppeditare, uteri etiam textura adhuc latente, innoteſcet tamen ex ſola craſſitudine, & robore arteriarum, quæ dilatari renuunt, verum ex laſſitudine venarum, ceteris paribus, per iſtarum lumen cruorem facile tranſabire.

4. Non ex venarum extremis diſciſſis menſtrua fluere, ſed ex dilatatis illarum appendicibus abſque niſu ſtillare; naturæ enim fuerit conſilium per vaſa ſatis lata citra lacerationem id patrari, quoniam in utero innumeris referto vaſculis ſingulis menſibus per quadraginta circiter annos ſciſſuras innumeras renovari conſpexeris, ſi pulmones breviori læſione paucis ſimul tranſciſſis vaſculis citiſſime exulcerentur.

5. Cruentum hunc fluorem nullum in utero fermentum, aut in vaſibus fermentationem fovere, hujuſmodi tamen ſententia anteacto ſæculo valde recepta erat, eaque tunc veritatis ſpeciem facile obtinuiſſet; nuperrime fermenti hypotheſim ægre ferunt Medici, & ad menſtrua præſertim relatam prorſus contemnunt, dum ſimplicius phænomenon cognita ſola uteri textura poſſit explicari.

6. Tan-

6. Tandem phaſes Lunares nihilum in catamenia influere; ſuperiori ſane infirmior opinio fuit, quæ ignorantiæ olim, & ſuperſtitionis ævo, late vigebat, quam Cartheſiani amplexi erant, quando Phyſicam ſummum attigiſſe culmen arbitrabantur.

§. IV.

Explicatio eorum, quæ catamenia reſpiciunt.

IN his perpendendis eamdem methodum erimus proſecuturi qua propoſita ſunt, eo tamen ordine, ut unuſquiſque numerus numeris articulo præcedenti exaratis reſpondeat.

I. Liquor, quem in impuberibus exigua copia vermicularia ſecernunt, mera lympha eſt, ut ſupra * enunciavimus, adeo ut omnem abſorbeant venæ lymphaticæ, nihil reliqua quæ illa organa tumefaciat, ac proinde venas comprimendo menſtrua producat. At decimo quarto ætatis anno puberibus factis mulieribus res alio ſe vertit, tunc uberior, & lacticinoſus magis liquor ſecernitur, hincque venæ lymphaticæ impares ſunt numero, quam colligunt tantundem haurire, tum pro aucta denſitate niſi tenuiorem partem ipſæ hauriunt; reſiduum in vermicularibus retentum illa expandunt ita, ut circumpoſitis venis iterum compreſſis primus oriatur eruptionis gradus.

Hujuſmodi epocha pro ſubjectorum diverſitate varia eſt, decimo enim quarto ætatis anno menſtrua incipiunt in iis, quæ cito corporis dimenſione augeri deſinunt, & plethoricæ fiunt, vel quæ vitam ſedentariam, inertemque agere ſolent, in quibus fibra, præſertim uteri, laxa eſt, aut lubricæ cogitationes, corporis diſpoſitio, fabularum lectura, venuſtulorum conſuetudo, exempla in amoris negotio animum vexant; contra vero poſt decimumquartum apparent in illis, quæ ſerotinum habent augmentum, minus ſanguineæ ſunt, defatigatæ magis, tenuique cibo veſcuntur, tum fibris compactioribus donantur, quæque indole modeſtæ, & educatione ſunt pudicæ.

II. & III. Incaſſum catamenia expectabimus, niſi vaſa vermicularia lacticinoſa turgeant lympha, ut propinquas ea vi comprimunt venas, quæ laterales appendices valeat aperire; patet enim in certo temporis ſpatio indigere, ut vaſa ad eum plenitudinis gradum pertingant, quod experientia docuit menſe perſolvi, adeo ut menſtrua conſtanti methodo ſemel in menſe debeant renovari.

Ea citius tamen, & crebro ſuperveniunt in iis, quæ copioſe veſcuntur, minus defatingantur, latiori ſunt donatæ fibra, & vaſa imbecillia habent, quarum uterus calet facile, & ſtimulum patitur &c. raro vero ſeriuſque eveniunt in laborioſis, & ſobriis mulieribus utero minus compacto præditis, exilioribus referto vaſculis, minuſque irritationi obnoxio.

IV. Effluvium hocce perſiſtit donec vermicularia lacteo ſucco, & appendices venæque propinquæ ſanguine penitus exhauriantur, periodorum itaque varietates faciunt, humoris illius inopia, orificiorum latitudo per totum uterum madentium, quæ menſtruorum brevitatem producit, diuturnitatem contra gignit humoris coacervati copia, qui anguſtis oſtiolis per vices conſecutivas a nonnullis uteri partibus tantum erumpit; experientia nihilo tamen conſtat in ſanis mulieribus ſanguinis fluxum plerumque neque citra tertium, vel trans ſextum complecti diem.

V. Ut de hac re ſane judicemus, vaſa uteri tum ſingillatim, cum complexim examinare oportebit, ſi ſingula perpendamus, innotuerit unumquodque ſenſim ſenſimque patefieri, dein oſtia eorum ſucceſſive ampliari, donec ſummum apertio-

(*) Cap. 1. §. III.

ritionis gradum attingant, iterumque coarctari uſque dum perfecte occludantur: Si vaſorum complexum ſpectaveris, eorum quoddam pateſcit primum, inde patentium maxime augetur numerus, donec ſimili ratione ſenſim obturantur omnia; idque oſtendit

1. Tres ſtatus catamenia complecti: *augmentum* nempe, *ſtatum*, & *decrementum*.

2. Verum uniuſcujuſque ſtatus tempus reſpondere integri fluxus perſiſtentiæ.

VI. Quantitatem pariter fluentis ſanguinis unoquoque curſu determinare difficillimum erit, differentias faciunt inopia, vel copia ſanguinis, venarum uteri maxima amplitudo, aut turgentia, quæ plus, minuſve patulæ ſunt; tum ampla appendicum orificia, quorum multa, vel pauca reſerantur, & diu, citoque in eo remanent ſtatu; tandem ſanguinis fluentis motus qui ſegnior, aut velocior exiſtat, experientia tamen oſtendit hujus plerumque quantitatis limites ſanis mulieribus intra octo, & ſexdecim uncias contineri, idque abſque maximi erroris indicio aſſerere poſſe.

Me non latet (*a*) Hippocratem ſtatuiſſe hanc quantitatem ad duas heminas atticas, quæ viginti circiter uncias pendunt, at comparatio vel incompleta eſt cum unciis noſtris, vel infirma illius obſervatio, aut olim mulieres ab Hippocrate examinatæ noſtratibus fluenti ſanguine uberiores erant.

VII. In feminis ſanitate præditis, quarum vaſorum robur prementi ſanguini modice reſiſtit, certa vi renuunt appendices ſeſe aperiri, eædemque celerius arctantur, atque obturantur, adeo ut in iis conſtanti methodo menſtrua percurrent; inverſa tamen ratione inter augmenti, & decrementi progreſſus, quod vulgarem fluxum conſtituit.

Hoc dupliciter in ſuis extremis circumſtantiis variare ſolet, dum laxior fibras eſt, tunc citius increſcit, ſeriuſque fluxus evaneſcit, contra ſi fortior ſit fibrarum uteri contextus, ſerotinum apparet augumentum, citiſſimuſque finis.

VIII. Hujuſmodi effluvii tum copia, cum perduratio ſingulis menſibus plerumque æquales ſunt, quoniam ceteris paribus, unum remanet per totam uteri ſuperficiem appendicum robur, compactio, atque expanſio &c., eodemque tempore eadem fluit ſanguinis portio, ſed hæc aliquoties diſcrimen pariunt dum denſitate, & reſiſtentia appendices nonnullæ inter ſe differunt; latioribus enim, ut ſe reſerent, unius menſis in vermicularia lactei humoris collectio ſufficerent, compactioribus vero neceſſe erit, ut vermicularia illis propinqua de ſecundo menſe eo duplum turgeſcant, ut appendices illæ pateſcant; quam ob rem in his mulieribus viciſſim catamenia nunc breviora, & pauciora apparebunt ob aperitionis defectum, nunc diuturniora magis, & uberrima duplicis appendicum aperitionis ergo, eorum ſcilicet, quæ ſingulis, & ſecundis quoque menſibus reſerantur.

Non deſunt in quibus contractæ valde appendices niſi de tertia menſis in vermicularibus congerie ſinant aperiri; hinc in illis poſt duplicem curſum (*b*) tertius ſupervenit ex maximo venarum patularum numero diutinus magis, & confertiſſimus, id pariter confirmant mulieres de ſecundo vel tertio menſe uberioribus catameniis præditæ, quæ necdum bene ſe habent, niſi affatim illud a patulis appendicibus copioſum revertat effluvium, eo enim deficiente lumborum gravedinem perſentiunt, quæ aliqualem plethorum indicat eſſe reliquam.

IX. Cum

(a) *Μέτρια δ' ἐςὶ πάσῃ γυναικὶ χωρέειν, ἢν ὑγιαίνῃ, τὰ ἐπιμήνια ἐλθόντα ὅσον κοτύλαι δύο Ἀττικαί, ἢ ὀλίγῳ πλέονα, ἢ ἐλάσσονα.*

Omni mulieri, ſi ſana ſit, prodeuntes menſes moderati ſunt, qui ad duarum Atticarum heminarum menſuram, aut paullo plures, aut pauciores. *Hippocr.* L. I. *De morb. Mulier.* Cap. 15.

(b) *Καὶ ταῖς μὲν συνεχῶς καθ' ἕκαςον ὀλιγάκις τὰ καταμήνια φοιτᾷ: παρὰ μῆνα δὲ τρίτον μᾶλλον πλεῖςαις.*

Raro ſingulis menſibus menſtrua confertim fluunt; menſe vero tertio pluribus. *Ariſtoteles*, Lib. VII. *De Hiſtor. Animal.* Cap. 1.

Hoc malum (menſtruatio) tricenis diebus in mulieribus exiſtit, & trimeſtri ſpatio largius. *Plinius Hiſtor. natural.* Lib. VII. Cap. 15.

IX. Cum appendices cæcales in ſanis ſubjectis per totum uteri ambitum æquè conſtrictæ, ac elaſticæ ſint, hæ vel ſimul, vel brevi conſecutione patere deberent, conſtantem, & æqualem fluorem ab initio uſque ad finem producendo; aliquando tamen diſcrimen oriri poterit ob variam appendicum compactionem per diverſas uteri portiones reptantium; nonnullæ enim vermicularium defectu reſerantur, dum aliæ occluduntur, tunc menſtrua per duas vices unico menſe erumpent, quorum intervalla plus minuſve diutina erunt pro diverſa ratione elaterii appendicum venoſarum; nam ſi copia compactiores numero non præexcellant earum, quæ laxiores ſunt, & facile patulæ, prima periodus ubertoſa & diuturna apparebit, contra vero ſi compactæ appendices confertiores ſint.

X. Menſtruus ſanguis nihil ab illo differt, qui venas replet; niſi forte pauco inficiatur ſucco lacteo, qui citra morbum optimæ craſis eſt, nullumque inquinamentum affert puro ſanguini, quo eſt remiſtus. (*c*) Hippocrates aſſerit hujuſmodi ſanguinem mactatæ victimæ fluenti haud abſimilem eſſe, miremur ſolummodo tot Medicos, & Naturalis Hiſtoriæ (*d*) Cultores ridiculas deleterias proprietates ei perperam tribuiſſe, nullum diſcrimen animadvertentes inter naturalem & morboſum ſanguinem in utero mora aliave de cauſa corruptum.

XI. Admonuimus jam menſtrua tum ex venoſo ſanguine, cum ex lacteo vermicularium ſucco componi, qui humores ita remiſti cum fluere incipiant ſimul atque deſinant, lympha cruore continenter infecta in ſanis mulieribus minime diſtingui poteſt, at ſi fortuito vermicularium nonnullorum expanſio appendicum aperitionem præcedat vel conſtrictio earum illorum coarctationi ſuccedat, vel denique vermicularia citius, quam appendices illæ aperiantur, ſeriuſque obducantur, erunt ſuperventura, in primo caſu lymphaticum humorem ſanguineum præcedere, verum proſequi, tertio denique fluente lympha menſtrua incipere, atque deſinere; hujuſce rei exempla frequentiſſima ſunt.

XII. Utero adhuc graves mulieres poſterioribus ſex menſibus præſertim, fœtui alendo dicatis, omnem lacteum humorem menſtruumque ſanguinem impendunt, quare nil mirum ſi illo deficiant.

XIII. Altricibus, in quibus potiſſimum multo lacte turgent mammæ, omnis lacticinoſa lympha ad eas evehitur, nulla, vel pauciſſima utero ſuperſtite pro catameniis producendi.

In laborioſis, & ruſticis mulieribus, quæ viliori cibo veſcunrur, parum chyli ſecernitur, eumque laboris ergo cito abſumitur: in iis uteri lympha inops, vel diluta nimis, impar evadit ad menſtrua excitanda, arbitror enim hanc cauſam ſufficere ut hujuſmodi mulieres ſanguineo fluxu careant omnino, ut in pleriſque obſervamus, niſi tamen ſpecialis uteri denſitas oriatur, quæ periodico fluxui non parum officiat.

XIV. Catameniorum tandem effluvium, quod triginta, & quinque circiter annos perſtitit, quadrageſimo quinto, aut quinquageſimo anno ſponte ſiſtit, idque duplex ſimul cauſa producit, atque ætatis conſequens neceſſarium videtur: primum humor lymphaticus infirma jam, aut imbecilli ventriculi actione, e tenui hinc chyli ſecreti copia ubberrimus minus, minuſque lacticinoſus ſecernitur, ut vermicularia dilatare impar ſit, quantum opus requirit, ne ſanguinis curſus in uteri venas intercipiatur, alterum, venarum fibræ & appendicum præcipue,

(c) Χωρέει δὲ αἷμα, ὅτον ἀπὸ ἱερείυ, καὶ ταχὺ πήγνυται, ἢν ὑγιαίνη ἡ γυνή.
Prodit autem ſanguis qualis e victima, & cito concreſcit, ſi mulier ſana ſit. *Hipp.* Lib. I. *De morb. Mulier*. Cap. 15. (d) Columella, *De re ruſtica* Lib. XI. Cap. 3.
Palladus, *De re ruſtica*. Lib. I. titul. 35.
Plinius, *Hiſtor. Natural.* Lib. VIII. Cap. 15.
Ælianus, *de animalibus*. Lib. XI. Cap. 3.
Solinus, *in Polyhiſtore*, Cap. 4.
Fernelius, *Phyſiologiæ*. Lib. VII. Cap. 7.

cipue, ut tendineis fibris mors eſt, inflexibilitatem, & duritiem non levem acquirunt, quæ ſenio continenter increſcit, ut appendices ſeſe expandi, explicari, aut aperiri pœnitus renuant: quare vi menſtruationem producente in die imminuta, ac ſimili ratione aucta reſiſtentia debent catamenia ſenſim ſenſimque imminui, frequenter cunctari deficere aliquoties, prorſus tandem abire.

Cum diverſus ſit in diverſis ſubjectis fluentis ſanguinis adventus, incertus pariter erit receſſus; plerumque hujuſmodi varietates a diverſa dependent fibrarum uteri conditione plus, minuſve reſiſtentium, quas a natura mulieres ſortiuntur, vel a ciborum qualitate, aut quantitate quibus veſcuntur, a vitæ gerendæ methodo, mollis, aut defatigatæ, ab infirmiori, vel conſtanti ſanitate, quam expertæ ſunt, a geſtationum frequentia, aut raritare cui obnoxiæ fuere, a climatis temperie plus, minuſve calida, in qua degerunt &c., evidens enim eſt diverſarum hujuſmodi cauſarum gradum multiplicem aut comparationem admodum retardare, aut promovere ſenectutis irreparabilia damna.

§. V.

Symptomata explicantur in menſtruis obvia.

HÆc diverſa ſymptomata, quorum præcipua articulo XIII. §. 1. indicavimus, ita legibus menſtruationis ſuper allatis collineant, ut eo magis noſtræ Theoriæ veritas confirmari videatur.

1. Dum uterina vaſa prope fluxum turgida evadunt, neceſſe erit novam ſanguinis undam per arterias eo evectam, ſpermaticas, hypogaſtricas, & hæmorrhoidales &c., per laterales tandem truncos revehi, qui ovaria, tum lata & retia ligamenta aggrediuntur, tum per tendineas, & muſculares hypogaſtri partes vaginam, anumque, pudenda undique repunt. Ita ſanguinis in his partibus redunantia illic doloroſam tenſionem excitando hujuſmodi in utero exuberantiæ proportionalem, pubis, inguinum, ac lumborum dolorem rapit, vel oſſis ſacri ſtuporem, pudendorum tumorem, aut papulas, vaginæ tenſionem, calorem, ſenſumque auctum facit; denique externas, vel internas hæmorroides producit, &c.

2. Uterus dum menſtrua appropinquant, tumet, atque calet magnopere ſanguinis ergo, qui in vaſis congeritur, & veſica, cui ſubtus adhæret, comprimi debet, ac calefieri, ut ſimul urina ibi ſtagnans, ex hoc enim urinæ ardor prodit, quo inter mingendum afficiuntur, cuique tribuatur vel calori lotio communicato, vel ſenſui aucto veſicæ collo a proximo calente utero, vel duplici etiam huic cauſæ, quæ ad hunc effectum gignendum ſimul concurrat, ex eo pariter procedit frequens mingendi pruritus, vel id contractiones producant veſicæ, quæ ab utero compreſſa amplius dilatari renuat, vel urinæ ardor collum irritans, vel adaucta ſenſibilitas, quæ veſicam urinæ ſtimulis magis obnoxiam reddat, vel triplex hujuſmodi id præſtet cauſa.

3. Haud raro prope menſes urina turbida, ſpiſſiorque redditur, præſertim cum lymphaticum effluvium ſanguineum præcedat, mictumque proinde inquinet; aliquando tamen clara excernitur, quæ paullo poſt refrigerata, infecta, & craſſior apparet. Hoc lympha laticinoſa producit, quæ a turgidis vermicularibus ſeparari nequit, hinc per vias ſanguinis in renibus devecta veſicam intrat, quod nihil officit limpidæ adhuc calenti urinæ: at ubi calor ſubtiliſſimas lymphæ moleculas diviſas conſervat, frigore vero eorum cohæſionem fovente, fundum facile petunt, ac urina interea craſſa turbida evadit; idem eluones experiuntur, in quibus exuberans chylus per renes ſecretus in veſicam tranſducitur.

4. Po-

4. Poſita maxima e lympha lactea vermicularum repletudine, menſtruis propinquis, conſtabit facile vaſa illa lympha repleri penitus tenui, ac exuberanti lacticinoſo humore ſanguinem infici, tum continua collectione ceteros pleroſque ſeroſos humores eo ſaturari, ut urinam perſpeximus, & potiſſimum mammarum lympham illi analogam, adeo ut illarum veſiculæ ubi hujnſmodi ſecernitur liquor, eo maxime turgeant, ipſamque tenſionem, atque tumorem inducant, quæ in juvenibus mulieribus prope menſtrua in mammis apparent.

5. Tunc in plethoricis mulieribus debent partes omnes ſanguine infarciri laxiores præſertim, uti pulmo, cerebrum &c., vel quod ibi vaſa facilius dilatari ſinant, vel quod ab uteri infartu retardato in circumpoſitis partibus ſanguinis curſu ſuperius cruor celerrime ſe transferat, ab hac porro ſpeciali pulmonum compreſſione ſuffocationes ille creberrime originem habent, quæ menſtruantibus mulieribus ſuperveniunt.

6. In cerebro vero iiſdem de'cauſis ſanguinis effluxus nimius pro ſubjectorum diverſitate diſſimiles præbet effectus; in quibus humores denſi, & ſeroſi, arteriarum pulſus rari, & debiles ſunt, cerebri fibras graves, laxaſque reperies, ſopor facile oriri ſolet: contra vero ubi fluida, tenuia, ferventia ac ſicciora conſpiciuntur, tum cordis, & arteriarum pulſi celeres, crebri reperiuntur, fibræ areſcunt, & inſomnia producuntur.

7. Utroque caſu in cerebro redundans ſanguis capitis dolorem affert, hoc tamen diſcrimine, quod primum capitis gravedinem faciat, alterum vero diſtentionem potius, ac divulſionem pariat, nonnullæ enim mulierum capitis infartum patiuntur, aliæ de vibrationibus quibuſdam, aut ictibus conquerunt.

8. Uterus in nonnullis catameniorum tempore diſtenditur, & inflatur ita ut dolorem inducat cujus impreſſiones ſpiritos cerebrum verſus depellentes mulieres delicatiori ſenſu præditæ dormientes, protinus ſpectris e ſomno excitentur, præſertim, ſi menſtruo fluente, uteri colicis inſultibus ſint obnoxiæ.

9. Varia phænomena quæ catamenia præcedunt ab infartu ſanguineorum vaſorum omnino dependent, nam vermicularium repletio, quæ pro eorum exilitate ſenſim fit, & exigua copia, necdum ſenſibiles effectus producere valeret, niſi ſanguinea vaſcula diebus eruptioni proximis maxime turgerent, quando vermicularia ſummum jam plenitudinis gradum attigerunt, neque ſymptomata illa patrarent, quæ a ſanguineo affluxu oriri experientia docuit; primo igitur, aut ſecundo ante effuſionem die in iis, in quibus appendices vermicularium preſſioni facile cedunt, ter, quaterve in illis, quarum appendices ſerius difficillime reſerantur, hæc omnia videbis.

§. VI.

Uſus catameniorum.

HActenus expoſita oſtendunt fluxum menſtruum unoquoque menſe

I. Dilatare, inflare, ac rareſacere uterum, ut conceptioni magis idoneum evadat, in poſterum enim apparebit, ipſum rarum, poroſum eſſe oportere, ut ſeminales moleculæ illius contextum facilius ſubeant.

II. Verum extendere, producere, atque aptare venoſas appendices, ut placentæ villi in ipſas inſerantur, & fœtus proinde cum utero nectatur, infra porro conſtabit illas productas, ac placentam pervadentes fœtui præcipuum nexum cum utero ſuppeditare.

III. Denique explicare, & reſerare vermicularium oſtia, venoſoſque proceſſus pro fœtu alendo, nam per eorum orificia patebit infantem, ſanguinem, chylumque nutritium accipere.

IV. Fo-

IV. Fovere tandem, atque augere fibrarum robur, ac flexibilitatem; ut partus bene ſe vertat; evidens itaque erit tunc intereſſe colli fibras flecti, & relaxari, fundi vero contrahi, atque arctari magis.

Clare enim patet menſtruationem generationi non modo proficere, immo neceſſariſſimam eſſe; naturæ porro beneficentiſſimus Auctor huic moleſtiæ feminas ſubjecit, ut facilius concipere, fœtum alere, altumque parere valerent.

In hoc experientia rationi collineat: raro tamen, ac pene impoſſibile eſt mulieres, quibus continenter deſinunt, aut aliquoties catamenia ſupprimuntur, concipere, fructum incolumem ſervare, vel abſque periculo parere; id commune confirmat adagium, *qui floribus carent, fructus deſiderant*, quod ſignificat feminas menſtruis orbas fœtum fruſtra expectare.

Quidam opponunt brutorum plerumque femellas menſtruo deficere, hoc tamen defendere potius, quam contendere videtur catameniorum neceſſitatem; neque magnifacio exemplum Simiarum, aliorumqne animalium, quæ hujuſmodi fluxu donantur; meæ enim ſententiæ maxime favet brutorum femellas omnes coitui proximas ſtillicidio præditas eſſe lymphatico cruento, quod muliebre menſtruum perbelle æmulatur, etiamſi in illis ſemel, vel bis in annos ipſum tantum revertat, parum vel nihil ſanguine infectum, qui vera catamenia conſtituit, unicuique animali idonea, & ſimiles utilitates præſtat, ac uberrima in mulieribus menſtrua ſuppeditant.

Hæc explicationem præbent cur catameniis prorſus orbatæ mulieres pluries tamen filios pepererunt; ſuſpicari enim licebit auctores nonnullos, qui id obſervaſſe aſſerunt, parum admodum ſedulos fuiſſe: cruenti porro fluxus defectu decepti, mulieres illas menſtruis penitus carere ſtatuerunt, ac indagare neglexerunt ipſas lacticinoſo, ſanguineo vix donari fluxu, qui in ratione temperamenti, uteri conſtitutionis, vitæ geſtæ, catameniorum munere fungebatur, & brutorum more mulieres ſatis fœcundas reddere potis erat.

Sed ſi intimius rem perſcrutabimur, apparebit, ruſticas, & laborioſas mulieres, eaſque omnes, quibus continenter, & abſque ſanitatis noxa cruentum deeſt effluvium, quæque *viragines* dicuntur, ſatis tamen menſtruis pollere. Id oſtendit in rebus Medicis, aut Phyſicis dum ſedulo inquiramus continuo imminui mirabilium numerum; ac proinde conſtantem, & univerſalem menſtruationis legem a natura inſtitutam jugiter confirmari.

Nihilo tamen minus putarem fluoris ubertatem, quam in pleriſque obſervamus, a natura non parum aberrare; conſtat enim ruſticas victu ſobrias mulierum reſpectu in civitate degentium uberrimis minus catameniis gaudere; verum qui per ſilveſtres peragrarunt nationes referunt, mulieres nullis, vel pauciſſimis illic menſtruis donari: id aſſerit Lerius (*a*) in *Topinamborum* regione obſervaſſe, Carletonus (*b*) apud *Tapujas* in Braſilia, Peclinus (*c*) in *Groelandia*; quod argumentum præſtat id mulieribus naturaliter commune eſſe, quare illæ, quæ prima vivendi ſimplicitate perſtiterunt, iis beneficiis frui valuerunt, quæ natura ipſis largita erat; at ſi mulieres noſtrates, quas cultas appellant, catameniis copioſis, & moleſtis ſunt obnoxiæ, mollis vitæ gerendæ methodo erit tribuendum, quæ naturæ conſtitutiones pervertit, atque earum calamitates multiplici ratione auget.

(a) Joannes Lery, *Navigationes in Braſiliam*, Cap. 6. (b) *De cauſis Catameniorum*, Cap. 4. Ubi laudat Joannem Stadium. (c) *Obſerv. Phyſic. Medicar.* Lib. I. Obſerv. 34.

CAPUT III.

Prima catameniorum eruptio, & antecedentium, aut concomitantium ſymptomatum.

§. I.

Deſcriptio.

IN mulieribus, quæ pubertati proximæ fiunt, & naturæ conatus jam perſentiunt eruptionem promoventes, quinque dantur circumſtantiarum gradus tum uterum ipſum cum reptantia vaſa reſpicientes; unuſquiſque gradus vel ſimplex conſiderari poteſt, dum unicus in utero apparet; vel compoſitus dum plures gradus intenſione, & extenſione diverſa ſimul copulantur, ut novas mutationes ibi valeant procreare, quæ novas etiam ſymptomatum, aut morborum ſpecies producant.

Priores hic ſimplices eruptionis gradus enunciare ſategimus; compoſitos vero innumeros ſufficit indicare, quorum explicatio, & curandi methodus a ſimplicium explanatione, & indicationibus infra proponendis facile deduci poſſunt.

Eruptionis gradus primus.

Tunc omnia primo ſanguinis ſcaturientis fluxui maxime favent, tum ex parte vermicularium jam patentium, cum venoſarum productionum, quarum appendices facile, citoque lacteorum vaſorum comprimentium auxilio explicantur, reſerantur, aut obducuntur quantum opus requirit; ex iis conſequitur;

1. Menſtruum fluxum procul omnem dolorem, aut moleſta phœnomena incipere, vermicularium, & appendicum facili aperitione, atque occluſione, ut menſtruationis negotium placide, leniterque ſe vertat.

2. Catamenia ortu ſuo minus uberrima apparere, vel quod appendices nondum dilatentur, vel quod extremitates earum, quam par eſt, nondum patulæ fiant.

3. Illa ſerius ſcaturire, ac brevi deſinere lacticinoſi humoris inopia, qui ſegniter, minuſque replet vermicularia vaſa, vel appendicum rigiditate, quæ ipſas explicari, aut patefieri nonnihil impedit.

4. Hæc omnia tamen, nullo obſtante phœnomeno, ſexto ad ſummum menſe ad libellam ſe ponere, & menſtrua ubertatis, periodorum, & durationis ratione æqua conſtanter permanere.

Hoc felici eruptionis gradu puberes juvenes tantum fruuntur.

1. Præſertim quæ proceræ fuere, & optimo donatæ corporis habitu, neque prima juventute ſtrumis, aut chronicis morbis fuerunt obnoxiæ.

2. Quæ hilares ſunt, & ſanguineo præditæ temperamento tum ſalubri, ſed ſimplici veſcebantur cibo, neque obſtructionibus unquam uteri, aliorumque viſcerum laborarunt, in quibus a firmo ventriculo optima perfecta eſt digeſtio.

3. Quæ niſi prope decimum quintum ætatis annum fluxus indicia conſpexerunt, quando uterus conditionibus omnibus pollebat eruptioni neceſſariis, abſque quo calidis remediis, frictionibus, aut lubricis cogitationibus immature excitaretur effuſio.

4. Tandem dum mammæ ſororiantes factæ indicabant uterum pari conditione gaudere, quæ potiſſima erat, ut facilis, & naturalis catameniorum eruptio ſuperveniret.

Eruptionis gradus ſecundus.

In hoc ſtatu vermicularia rigida, & exilia nimis renuunt lacteo ſucco repleri, tum uteri venæ, earumque proceſſus compacto matricis contextu compreſſæ ſanguinem reſpuunt, quo inflari deberent. Hæc cum uteri actione comparata oſtendunt.

1. Naturæ conatus in iis mulieribus quandoque inutiles evadere, tum vermicularium exiguo numero; cum appendicum duritie renitentibus.

2. Hujuſmodi niſus in illis neque pondere, neque tumore, aut colico uteri dolore manifeſtari, vel ea ita leniſſima evenire, ut parum, vel nihil uteri vaſculis inflatis vix ſenſibilis diſtenſio appareat,

3. Plura tamen ſymptomata oriri, quæ vel ab exuberanti lacticinoſa lympha, qua tunc ſanguis ſaturatur, vel a cruoris redundantia in vaſis ab utero reducis dependent.

4. Lympham lacteam a vermicularibus repulſam cum mammarum lympha haud diverſa copulatam, quammaxime ſinum inflare, atque tendere.

5. Illam ſaliva remiſſam ipſius actionem perturbare ita, ut vulgarium ciborum guſtum pervertat, ac ventriculus viliſſima poſcat alimenta, quod *Picam*, aut *Malaciam* Medici vocant.

6. Eamdem lympham gaſtricis ſuccis copulatam eorum virtutem obtundere, ac multiplicem indigeſtionis ſpeciem inducere.

7. Sanguinem ſupra diametrum in vaſis coacervatum laxiora viſcera, minuſque reſiſtentia tumefacere.

8. Hujuſmodi infartus pulmones aggredientes, deliquia, hyſtericas ſuffocationes, ac ſanguineos excreatus quandoquidem generare.

9. Seri, aut ſanguinis in cerebrum redundantis copiam in ratione tenuitatis, aut ſpiſſitudinis hujuſmodi humorum plus, minuſve cerebri ſubſtantiam, ejuſdemque membranas infeſtare, ut capitis gravedo, aut divulſio, ſopor, inſomnia, motus convulſivi, & epileptici facile oriantur.

10. Similem tandem intra tunicas, muſculorum ſubſtantiam, aut adipoſam telam humorum exuberantiam ſpontaneas laſſitudines atque die pedum, noctu faciei tumorem excitare.

His rebus ſunt obnoxiæ mulieres,

1. Quæ ſicciori corporis habitu, fibris rigidis, atque uteri compacto, exilique contextu donatæ ſunt.

2. Quæ uteri, aut viſcerum hyppogaſtricorum obſtructiones paſſæ ſunt, quæque ſtrumoſo fomite ſanguinem habent deturpatum, aut infantia, vel pubertate morbos plurimos ſuſtinuerunt.

3. Quæ catameniis non a ſpontaneis naturæ conatibus excitatis, ſed remediorum potius violentia perperam applicitis, lubricis titillationibus, lecturis obſcenis, venuſtulorum conſuetudine, atque impuris cogitationibus concitatis donantur.

4. Quæ tandem viliori alitæ cibo, ſordibus veſcuntur, & melancholia corripiuntur moleſtiſſima, ab animi pathematibus veris, vel futilibus confirmata.

Eruptionis gradus tertius.

In hoc ſtatu vaſa vermicularia explicantur, ſiuntque ingreſſum lacticinoſæ lymphæ, eorum tamen orificia aperiri renuunt, ut periodicus fluxus oriatur, appendices venoſæ pariter a vermicularibus compreſſæ, ſatis ſanguine turgent; at earum extremitates compactæ minime reſerantur, ut ſanguis methodice erumpat.

Evidens enim eſt

1. Tunc temporis puberes phœnomenis omnibus vexari, quæ præcedunt catamenia, aut illa comitantur, nam vaſa tum lactea, cum uteri ſanguinea ſimili reperiuntur conſtituta ratione, ac prope menſtrua; quinimmo illa ſymptomata diuturniora, atque infeſta magis apparebunt effluvii deficientia, quæ vaſorum plenitudinem confirmat.

2. Vaporibus, & hyſtericis inſultibus juvenes perturbari, & partium mirifico conſenſu utero jam diſtento, diſtractoque motus convulſivos excitari, ut infra de hyſteriſmo loquuturi explicabimus.

3. Superaddi ſymptomata omnia, quæ in ſecundo eruptionis gradu ſunt obvia, vel id exuberans in ſanguine lympha producat, vel ſanguinis in vaſis repletudo, dum hi humores erumpere impediuntur.

4. Hujuſce eruptionis gradus proprium eſſe venoſas appendices dilatare, atque varicoſas reddere diutinæ diſtenſionis ergo, tum longa lymphæ lacticinoſæ mora in vermicularibus inſpiſſatæ ſchirrhoſos in iis tumores procreare.

Hiſce plerumque affectibus laborant illæ, quæ

1. Suapte natura orificiis pollent appendicum, ac vermicularium compactis magis, rigidis, atque obtectis, quæ expandi nimis renuunt.

2. Intimam uteri telam denſam, ſpiſſamque habent, quæ orificia illa circumveſtientem magnopere arctat.

3. Phœnomenis ſecundo gradu obviis per aliquod temporis ſpatium fuerunt obnoxiæ, tunc enim vermicularia, & venoſæ appendices ſanguinis, aut lymphæ affluxu extenduntur, dum orificia minime dilatationi cedunt.

Eruptionis gradus quartus.

Tunc vermicularia vaſcula lacteo humore, & venoſæ appendice ſanguine replentur, ut in poſtremo caſu accidere compertum eſt; hoc tamen diſcrimen oritur, quod ſanguis ex appendicibus in utero copioſe erumpat dum vermicularium oſtiola penitus obturata, neque minimam humoris lactei guttulam effundunt. His adductis facile apparebit.

1. Tunc uberrima valde menſtrua experiri mulieres, quia turgentia vermicularia continenter venas comprimunt, coguntque ſanguinem affatim per venoſos proceſſus ſibi pandere viam.

2. Simili ratione diuturniora menſtrua eſſe debere e vermicularium continua preſſione in venis ſanguinem retinente, ut ipſarum orificia patula diutius perſiſtant.

3 Catameniorum regreſſus crebriores apparere, cum vermicularia nedum exinaniantur, ac propinquas venas conſtanter circumcingant, ut nuperrimo ſanguinis affluxui, eruptionique facile occaſionem præbeant.

4. Haud infrequenter catamenia morboſi fluxus ſpeciem tunc referre, quod prænunciabimus quoties ea uberrima, diuturniora, & creberrima valde conſpexerimus.

5. His de cauſis mulieres plerumque laxas, graciles, ac emaciatas evadere, & conſtanti ſæpe ſanguinis inanitione laborare.

6. Lympham vero lacteam in vermicularibus retentam, cum ſeparari impediatur, in ſanguinem reducem, ea omnia neceſſario ſuppeditare phœnomena ſecundo gradu n. 4. & 5. ſuperallata.

7. Ibi lympham illam ſtagnantem continua mora inſpiſſatam ſæpe ſitrhos producere, quod n. 4. gradus tertii indicavimus.

8. Tandem, eorum ſymptomatum complexu perſiſtentes, mulieres laxitudine, ac pallore corripi, tum guſtu inordinato, viſcerum hypogaſtri obſtructionibus hydrope laborare, atque in eam infirmitatem labi quam *Cachexiam* Medici dicunt.

Ex-

Experientia didicimus id illic ſupervenire, quæ

1. Perperam violentioribus emmenagogis uſæ ſunt, dum tertio laborabant eruptionis gradu, tunc enim ſanguis iis concitatus remediis cogit venoſas appendices aperiri, abſquequo vermicularia reſerentur, quæ a lympha, nullam ipſorum medicamentorum vim perſentiente, minime excitantur.

2. Tertio exiſtentes gradu a vehementiori corporis exercitio laceſſitæ, aut febri correptæ fuere, ut ſanguis celerius per vaſa percurrens, appendices aperuiſſet vermicularibus adhuc obtectis.

3. Sanguine donantur acri minuſque fibroſo, ut tenuitatis ergo facile per venarum extremitates effugiat, aut illas corrodendo brevem ſibi aperiat viam.

Eruptionis gradus quintus.

Hujuſce ſtatus effectus eorum quarti gradus inverſo ordine eveniunt, videlicet plura vermicularia in utero pateſcunt, & abſque mora ibi confluentem lympham effundunt, appendices vero nullam a vermicularibus preſſionem patientes parum vel nihil expanduntur, quare ex iis facile ſtatui licebit;

1. Tunc mulieres venoſis occluſis appendicibus rubris minime donari catameniis, aut dilutiori tantum colore infectis patentium appendicum paucitatis ergo.

2. Diutius retardari rubri ſanguinis refluxum lacticinoſi humoris defectu, qui per varios anfractus peragrando difficilius ea congeritur copia, ut appendices valeat comprimere, & rubrum hinc ſuperveniat effluvium.

3. Nullam hance menſtrui inopiam inferre uteri gravedinem, tenſionem, aut colicum dolorem, cum nullam ſupponat, vel lacteorum, vel ſanguineorum vaſorum repletudinem, quæ id parere poſſit.

4. Hunc gradum jugiter albo fluore comitari ea lympha compoſito, quæ ex laxis vermicularium oſtiolis erumpit: perſiſtit ille donec orificia patula exiſtant; intercipitur ſi ea per vices obducantur; ac ubertoſus plus, minuſve fluor apparet in ratione facilioris aperitionis necne, vel numeri patentium vermicularium.

5. Pertinax hujuſmodi humoris diſpendium, præſertim ſi uberrimum ſit, patientes emaciare, appetitum lædere, vireſque debilitare ita, ut tandem cachexiam, & quæ eam conſequuntur noxia ſymptomata facile inducat. Hæc experiuntur quæ

1. Phlegmatico temperamento præditæ ſunt, aut chronicorum morborum calamitate, vel attenuantium remediorum abuſu ſanguine dilutiori donantur.

2. Fibris ſponte laxis, & membranis ex iis contextis imbecilibus gaudent, quare intima etiam uteri tunica impar evadat quantum neceſſe eſt vermicularium orificia firmare, ne per ea ſanguis elabatur.

3. Poſtremis ante eruptionem annis titillamentis pudendorum ſpontaneis, vermicularium orificia tentantur, donec ſenſim, ſenſimque laxiora facta ſint.

Eruptionis gradus complicatus.

Hic potiſſimum dependet a duorum, trium, vel quatuor ſimplicium graduum complexu, at cum eorum compoſitio multiplex valde eſſe poſſit, difficillimum erit ſingulas determinare, præſertim cum ex componentium explanatione compoſitorum uterque facile deducatur, ſufficiat enim hic animadvertere:

1. Unumquemque compoſitorum gradum in duos treſve &c. ſimplices gradus reſolvi, quod magnopere favet phænomenorum explicationi, aut morbi medelæ.

2. Neceſſum eſſe gradum perpendere tantum qui ceteris in compoſitione præcellit; nam hunc modificando præcipuum uteri defectum, ſumma quam habent inter ſe ratione, ceteros facile, tum morbos, cum matricis læſiones ſubjeceris.

§. II.

Diagnoſis.

PRimum itaque Diagnoſis objectum eo collineat, ut quinos uteri ſtatus, qui prope menſtruorum effuſionem in mulieribus reperiuntur, ſedulo agnoſcamus; *alterum* detegere noſtrum erit cauſas omnes, quæ haſce varietates producant, ac perſiſtere faciant.

I. *Prioris* indaginis reſpectu natura eorum, quæ præcedunt catamenia, aut iis copulantur, ſatis intimam uteri conſtitutionem oſtendit, modo paulifper examine cunctemur.

1. *Primus* tunc præſens erit *eruptionis gradus* quando puberes procul dolorem, colicos affectus, aut graviora ſymptomata catameniis gaudere incipiunt.

2. Quando ſinus in illis jam tumeſcit, ac ſenſim ipſæ menſtruis orbatæ pallidæ fiunt, tum uteri tenſionem, pondus, aut dolorem perſentiunt, evidens eſt *ſecundum* oriri *eruptionis gradum*.

3. Dum mulieres nuper deſcriptæ menſtruis deficiunt, palleſcunt, atque adeo tenſionem, tumorem, aut colicum uteri dolorem periodice revertentem crebro patiuntur, vel levi quandoque albo, parum cruento donantur effluvio illas *tertium* experiri *gradum* fateberis.

4. Si puberes copioſo nimis, diutino, ac frequenti ſint fluxui obnoxiæ uſque dum ſanguinis amiſſio morboſa videatur, ac pallidæ valde, & cloroticæ fiant, tunc *quartus* apparebit *eruptionis gradus*.

5. Cum tandem mulieres pro copioſo, & cruento methodico fluxu, album continenter effundant, vel per intervalla interceptum, aut continuum, modo tamen æque & periodice increſcentem, modo non, tunc *quintum* nanciſci *eruptionis gradum* ſuſpicari licebit.

II. *Secundo loco* venit inquirendum cauſas diverſas uteri gradus producentes, quarum indago admodum incerta eſt, niſi ægrotantium ſedula narratione deducantur, at frequenter aut ignorantur, aut obliviſcuntur, aut illa abdunt, quæ circa hanc rem lumen ſuppeditarent; pleumque tamen ab innata uteri textura diverſi hujus ægritudinis gradus ſolent derivare, etiamſi in hac diagnoſis parte conjecturis potius fidere coacti ſimus; id tamen pauci faciendum, neque multum influit in remediorum ſelectum, quem patentia uteri phœnomena clare poſtulabunt.

§. III.

Prognoſis.

I. NAturæ valde conſentaneum erit menſes decimoquarto, aut ſubſequenti ætatis anno facile abſque moleſtia erumpere; id optimam prænunciat fibrarum, tunicarum, atque uteri conſtitutionem, verum feliciſſimos promittit fœcunditatis eventus,

II. Contra vero infauſtum erit: ſi mulieres primo hoc eruptionis gradu aliqua deficiant neceſſaria conditione; ſi menſtrua citius, vel ſerius, quam par eſt, ſuperveniant; ſi plura tunc noxia ſymptomata appareant; hoc non ſolum infirmæ uteri conſtitutionis certiſſimum indicium præbet, verum experientia con-

conſtat hujuſmodi mulieres toto ſuæ vitæ curriculo pertinacioribus plerumque eſſe obnoxias morbis, laborioſis catameniis pollere, ac paucos, vel imbecilles fœtus gerere.

III. Ex iis facile prognoſis inſtitui poteſt, quæ in puberibus ſpecialem uteri conditionem ſpectat; *prior* convenientiſſimus eſt eruptionis gradus, qui omni procul faſtidio ſponte apparet; ceteri quatuor qui aliqua orbantur ſanitatis nota, plus minuſve morboſi ſunt.

1. *Secundus* menſtruorum gradus ubi tam lactifera cum ſanguinea vaſcula humore ſunt exhauſta, ac patientes pallidæ fiunt, nullumque tumorem, tenſionem, aut uteri dolorem perſentiunt, ceteris minus moleſtus, aut periculoſus evadit, ab aliquali enim uteri denſitate dependet, cui ætatis incremento facile medetur, neque ullam lacteorum vaſorum obſtructionem, aut ſanguineorum expanſionem inducit.

2. *Tertius* fluoris gradus binis ſubſequentibus minus incommodus erit, nam quamvis utriuſque generis vaſa maxime turgeant, ac puberes uteri doloroſis tenſionibus, aut corporis pallore corripiantur, nihilo tamen minus ſponte, ſi paullulum cunctaberis, menſtrua feliciter ſupervenient, naturæ conatibus excitata, neque ullam ab iis phœnomenis noxam ſuſpicaberis, quia facile remediis obſtructiones hinc ortas poteris præcavere.

3. *Quartus, & quintus* uteri gradus laborioſi magis ambo, & difficiles apparebunt, diverſa tamen ratione de iis ſingillatim pronunciabimus; ille enim, dum menſes uberrimi nimis diuturni perſiſtunt, periculoſus magis eſt; poſtremus, in quo continenter albus humor effunditur, recidivus magis, & pertinax videtur.

§. IV.

Medendi ratio.

PRimus effuſionis gradus nullum poſtulat remedium, totus *naturæ* committitur: *ſecundus, & tertius* ad menſes ſuppreſſos pertinent; *quartus* parum, vel nihil diſtat ab inordinato catameniorum fluxu, aut morboſa ex utero ſanguinis jactura; *poſtremus* cum fluore albo maxime convenit, quare ne crambem repetamus, ſingulorum medelam ſubſequentibus capitibus exponemus; ſecundum tamen, & tertium excipiemus magis obvios, circa quos cautelas potius enunciabimus, quæ primam menſium eruptionem fovent, illas præſertim, quæ remediorum exhibitionem reſpiciunt.

1. Cum præcipua hujus morbi cauſa ſit nimia uteri compactio, ac vaſorum potiſſimum utriuſque generis, quæ relaxari renuunt, ideoque primum oportebit humectantibus, laxantibus, & emollientibus remediis firmum uteri contextum relaxare aliquantulum.

Si tunc cutis rigiditas, ac pulſuum elaſticitas poſtulaverint, tum ventriculi conditio permiſerit, præſcribi poſſunt:

1. Jura ex pullo gallinaceo, aut vitulo confecta, in quibus ebulliant radicum Althææ, Fragariæ, aut Cichoreæ ſilveſtris ſingularum uncia, tum foliorum, Boraginis, Bugloſſi, Lactucæ, ac Dentis Leonis ſingulorum manipulus, quibus addi poteſt ſalis Prunellæ, aut Cryſtalli mineralis drachma una.

2. Verum decoctiones ex ſimilibus plantis peractæ, quibus adjungi poteſt uncia una vel ſemis ſyrupi violarum, portulacæ, aut nympheæ.

3. Emulſiones dilutiores filtratæ, vel etiam coctæ ex ſemis uncia ſeminum Melonum mundatorum cum aqua graminis, aut hordei peractæ, addito aliquo ex ſyrupis ſuperallatis.

Contra vero ſi pulſus imbecilles, & inæquales apparuerint, aut ventriculus refrigerantia reſpuerit, ſubſtitui poterit ſerum lactis repurgatum ſimplex vel plantis amaris corroborantibus remiſtum, quales ſunt Chamædrys, Chamæpitys, Abſynthium &c. aut ferri extinctione chalybeatum; verum ſi opus requirat, ſolo lactis ſero per B. M. deſtillato uti neceſſum erit abſque plantarum additione, vel ſaltem refrigerantibus additis, aut leviter vulnerariis, pulſuum, & ſanguinis conditionis ratione habita.

In utroque porro caſu tepentis aquæ fluviatilis balneo, aut ſemibalneo mane, & veſpere, mane tamen utilius, ægram laxare oportebit, tum ex lavacro exeunti apozemata, vel emulſiones magis congrue poterunt exhiberi.

II. Cum altera menſtruorum ſegnitiei cauſa a ſanguinis denſitate, aut lentore dependeat, ut ejuſdem niſus contra renitentes venarum parietes impar ſit per eas appendices ſibi pandere vias, neceſſe itaque erit poſtquam ſolidorum laxantia adhibita ſunt, ſolventia, & aperientia amplecti remedia, quæ Emmenagoga dixerunt Medici; verum a mitioribus erit incipiendum ſenſim ſenſimque ad efficaciora gradum faciendo uſque dum morbi pertinacia abſque noxæ metu poſtulaverit. Hic uſitatiora gradatim proponam, & ſingulis doſim magis idoneam apponam.

Aqua ex rubigine chalybeata,	*pro potu ordinario*
Vinum chalybeatum	*ad* ℥ IV. *jejuno ſtomacho*
Tartarum martiale ſolubile	*a gr.* XXIII. *ad gr.* XX.
Crocus martis aperiens	*doſis antecedentis*
Limatura chalybis porphyriſata	*a gr.* XV. *ad gr.* XX.
Æthiops, vel crocus martis aqua paratus	*doſis antecedentis*
Tinctura martis	*a guttis* XXV. *ad gutt.* XXX.
Terra foliata tartari	*a gran.* XXX. *ad* ʒ ſ.
Æthiops mineralis igne paratus	*doſis antecedentis*
Galbanum, Sagapenum, Gummi ammon.	*a gr.* VIII. *ad* XXX.

Ex his pharmacis diverſimode inter ſe copulatis Opiata, Bolos, Pilulas, atque Rotulas parant ægrotantium guſtui accommodatas, at circa hanc rem ſubſequens capitulum conſulere poteris ubi de *catameniis ſuppreſſis, aut imminutis* loquuturi, de iis ſingillatim pertractabimus.

III. Frequenter accidit, quod non modo viciſſim humectantia, & laxantia, nunc aperientia, & ſolventia, ſed ſimul copulata exhibeantur, ut validius agant, ex. gr.

1. Decoctiones, ut ſupra paratæ, in quibus infundantur nodulo incluſæ limaturæ Chalybis, aut Croci martis aperienti ʒ I. vel ſimilis doſis *Arcani duplicati*, aut ſalis mirabilis Glauberi, vel tartari martis aperientis gr. XX. vel tincturæ martis gutt. XX. aut XXV.

2. Apozemata ex iiſdem plantis parata, quibus adduntur ſimili quantitate ſal mirabile Glabeuri, vel arcanum duplicatum, aut tartarum ſolubile martis: verum etiam terra foliata tartari, aut globus chalybeus infunditur, donec nigro colore inficiantur.

3. Serum etiam optime depuratum in quo ſolvantur tartari martis ſolubilis gr. XX., aut tincturæ chalybis gutt. XX. vel XXV.

4. Optimum ſane erit conſilium, dummodo anni tempeſtas idonea ſit, aquas minerales ferrugineas exhibere in Gallia obvias, vel noſtrates, ſi Italis hunc libel-

bellum pervolvere contigerit. Galliæ ſelectiores ſunt illæ quæ prope *Vals*, *Caranſac*, *Camarets*, *Forges &c.* verum ſolutivæ addi poſſunt thermarum *Vichi*, *Bourbon*, *Balaruc &c.*

IV. Hæc tamen medicamenta, ut efficaciora experiantur, ſedulum vitæ regimen ipſis conjungi debent.

1. Quare ægris niſi optimis cibis ac facilis digeſtionis uti permiſeris, quos ventriculus ſubigere valeat; depravata alimenta omnia interdices, quæ appetitus inordinatus poſcit, hac methodo chylus ubertoſus magis ſecretus tum lymphæ lacteæ copiam augebit, cum ſanguinis denſitatem corriget.

2. Ægras admonebis ut jejuno ſtomacho ſpatientur, tum rhedis, equis, choreis vel ludis corpus exerceant, quibus motus ſanguinis ſit velocior, atque ſpiſſitudo imminuitur, tum validiori niſu cruor in uterum irrumpit.

V. In hac tandem medendi ratione caute incedendum erit, neque ſequentes oblivíſceris animadverſiones, tibi menſium eruptioni conſulenti maxime neceſſarias.

1. Nedum hieme vel autumno menſtrua provocabis, tunc enim ſolida nimis rigida, fluida ſpiſſiora reperies, quare ver, aut æſtatem deliges.

2. Naturæ potius erit fidendum, quæ morborum medicatrix eſt potiſſima, quam remediis efficacioribus noxis plerumque, aut incertis.

3. Itaque ſufficiet naturam ſegnem mitioribus ſollicitare remediis, ac ab illa, cunctando, ſalutares effectus attendere, ſecus ſi vaſa reſerari invite coegeris, moleſta erunt ſuperventura phœnomena.

4. Lenientia tantum purgantia exhiberi intererit, etiamſi ſerotina videatur valetudo; nam cito convaluerint ſi integre, at ſi emetica, aut draſtica fortiora adhibere opus erit, ea niſi ad rem erunt exhibenda, circa quæ caput ſubſequens conſuleris.

5. Emmenagogis addi poſſunt remedia antiſtrumoſa dum ſtrumoſum in ſanguine fermentum ſuſpicaberis, quod humorum denſitatem intendat.

6. Dum in menſtruis medendis cunctamur, nihil erit negligendum, ut ventriculus roboretur, digeſtio promoveatur, ac chloroſis ſymptomata imminuantur, ea de cauſa præſcribi poſſunt modicus in prandio vini uſus, impoſterum aqua chalybeata, infuſus rhabarbari ſine igne paratus, tum decoctio vinoſa abſynthii, aut aquoſa baccarum juniperi; exhiberi ſimul poſſunt jejuno ſtomacho extractum juniperi, aut corticis peruviani, vel guttæ aliquot quintæ eſſentiæ abſynthii, aut elixiris proprietatis ſine acido parati cochlear unum; denique etiam elixiris proprietatis deſtillati *Garus* vulgo, vini tantillo aut aquæ totius citri remiſti ſimilis doſis.

7. Prout ætas, & ægrotorum opus requirant, diverſæ phlebothomiæ ſpecies uſuveniunt: pedum venæ ſectio ſæpiſſime magni momenti eſt, quando omnia ex parte uteri ita diſpoſita ſint, motum ſanguinis ibi affluentis tantummodo accelerari interſit; hunc morbi gradum indicabit modica uteri tenſio cum pulſuum lentore, & exiguitate conjuncta; noxiam vero hanc venæ ſectionem experimur dum repentina in utero vaſorum ſanguineorum repletudine ea comprimuntur, ita ut invicem dilatari impediantur; tum brachium ſecare oportebit, ut (*a*) Riverius admonet, quod indicabit pulſuum plenitudo, & frequentia, cum uteri doloroſa tenſione conſociata. His circumſtantiis exceptis, niſi qua urgens poſtulaverit cauſa, caute erit incedendum circa hujuſmodi venæ ſectionem in catameniis ſegnioribus.

8. Connubium tandem juvenibus mulieribus commendare fas eſt menſtruis orbis, quibus certiſſima erit medela: id plerumque illa promovet, atque confirmat,

(a) Obſervat. *Cent.* 1. *Obſerv.* 3.

mat vel ſaltem prima geſtationis occaſio, aut partus rem expediunt, ſi primæ nuptiæ impares fuiſſent.

Remedia uſitatiora primam ſanguinis eruptionem promoventia.

I. ſequentes rotulæ frequenter uſuveniunt.

R. Sacchar. comm. ℥ IV; ebull. ſ. aq. quant. ad dimidiam ſyrupi ſpiſſitudinem add.
Cinnamom. ſ. p. ʒ III.
Limat. chalyb. ʒ ſ.

Coquantuor omnia ad conſervæ conſiſtentiam, quæ ſupra marmorem extenſa in tabellas ſexdecim ſcindantur.

Hujuſmodi unam aſſumant patientes manæ jejunio ſtomacho; vel ſi morbus poſcat alteram poſt meridiem, & tertiam edant quarta a prandio hora, quibus thee infuſi aut ptiſanæ poculum ſuperbibant.

Earum uſus quantum lubet produci poteſt lenitatis ergo, & cum parum alvum ciat ægras aliquoties purgare oportebit.

II. Ut draſticas omittas, ſequentes rotulas cathartica virtute donatas exhibere poteris.

R. Foliorum, aut folliculorum ſennæ ʒ II.
Ebull. cum aquæ Oenophoro, ac decoctione percolata add. ſacch. comm. ℥ IV.
Cinnamom. ſ. p. ℥ ſ.
Martis aper. ℥ I.
Coquantur omnia ad conſervæ conſiſtentiam quæ ſupra marmor cinnamomeo pulveri, aut ſaccharo conſperſa in ſexdecim partes ſcidantur.

Hæ tabellæ ſuperallata exhibeantur methodo; excipiatur tamen pomeridianum tempus, ne alvus noctu ciatur.

Hoc medicamentum modice purgare conſtat; quare ſi ipſius eccoproticam vim intendere lubeat, brevi intervallo doſim duplicate, vel ſennæ quantitatem in nova præparatione augetote.

CAPUT IV.

Catamenia ſuppreſſa, aut imminuta.

§. I.

Deſcriptio.

MEnſtrua ſuppreſſa dicuntur, dum pubertatis tempore penitus abſunt; imminuta vero quum uberrima minus, breviora, aut rara apparent.

Conſuetudini igitur conſulentes menſium ſuppreſſionem *naturalem*, *non naturalem*, aut *preternaturalem* dicimus. *Naturalis* appellatur ſi fluxus quadrageſimo quinto, aut quinquageſimo ætatis anno ſecundum naturæ leges ſponte deſiſtat; *Non naturalis* dicitur gravidarum, aut altricum in quibus naturæ proviſione ſuſpenditur. *Præternaturalis* in iis reperitur, in quibus citra geſtationem, lactatio-

tionem, aut ætatem conſiſtentem menſes deſinunt; hujuſmodi ſuppreſſionis ſpecies morboſa eſt, de qua tantum hic ſermonem iſtituemus; nihilo ſecius dum ejuſdem cauſas proponemus, eas obiter indicabimus, quæ ceteras ſuppreſſionis ſpecies producere valent.

Catameniorum imminutio tripliciter conſiderari poteſt, in ratione videlicet ubertatis, perſiſtentiæ, aut frequentiæ, quibus invicem menſes diverſimode comparabuntur, &

1. Dum fluxus inops, aut brevis, aut rarus in diverſis ſubjectis apparet.

2. Quando triplici duplicata ratione revertit, cum nempe effluvium uberrimum minus citius deſinat, vel minus copioſum rarius apparet, vel rarius revertens citius deſiſtat.

3. Multiplici vero ratione, dum uno eodemque ſubjecto ſimul rara breviora, minuſque ubberrima, erumpunt catamenia.

§. II.

Cauſæ.

M*Enſes ſuppreſſi*. Ex naturæ legibus ſuperiori capite enunciatis conſequuntur; omnes eorum cauſas referri tribus claſſibus, quarum *prior* vaſa vermicularia reſpicit, quæ cum repleri renuant, propinquas venas comprimere imparia evadunt; *altera* venas uteri ſpectat, quæ etiamſi comprimantur a circumpoſitis vermicularibus, nequeunt tamen ſatis inflari, ut a ſeipſis valeant reſerari: *poſtrema* ad ſanguinem pertinet, qui debili niſu in venas ac appendices præſertim irrumpit, neque per earum extremitates erumpere potis eſt; ſingulas nunc ſpeciatim examinabimus.

I. Plures adſunt cauſæ, quibus vermicularia lactea lympha repleri impediuntur, ut proximas venoſas appendices pro menſium effuſione dilatentur.

1. Si hujuſmodi vaſa ſuapte natura exigua nimis, denſa, aut compacta ſint, ut lymphæ ingreſſum reſpuant, poſſunt ſane illa vel originaria hac diſpoſitione primam implicare, aut retardare eruptionem, vel ipſam in conſiſtentibus mulieribus penitus intercipere, quando ætatis ergo vaſa maxima coarctantur; atque cum hæc vaſorum diſpoſitio nequeat per intervalla renovari, nullum locum habere poteſt in illis, quæ ſemel menſtruis donatæ fuere, in quibus hæc reverti debent.

2. Si ea vaſa omnia, aut ipſorum maximus numerus ſit obſtruſtionibus implicatus a lympha ſcyrrhorum more inſpiſſata, aut a vaſorum ſanguineorum infartu compreſſus, ut in earum partium inflammatione evenit, aut eroſus ſuppuratione ulcerum more: hujuſmodi triplex eſt potiſſima ſuppreſſionis cauſa.

3. Si lympha lacticinoſa vel illa non intret vaſa, vel pro inopia ipſa non repleat, quod accidit:

1. Dum ſanguis in male affectis aut a morbo recentibus lacteo deficit humore, qui citra moleſtiam tunc ſuppreſſionem pariet.

2. Dum ea lympha labore, venæ ſectionibus, aut crebris purgationibus diſſipata incompletam gignit ſuppreſſionem.

3. Dum mammas in nutricibus aggreditur, quam non naturulem ſuppreſſionem vocavimus.

4. Quando denique alio, aut continuis diarrhæis, aut hæmorrhagiis diſperditur, innoxiam, aut imperfectam ſuppreſſionem producendo.

5. Si lympha lacteæ quantum in vermicularibus colligitur, tantum in utero per eorum expanſa nimis orificia ſtillet, vel albus perſiſtat hujuſce humoris fluor, quem vera ſuppreſſio erit ſubſecutura.

II. Si-

II. Similis extat cauſarum complexus venas, & venoſas appendices implicans quarum expanſionem, atque productionem impedit, ut compreſſæ nequeant tamen reſerari.

1. Tunicarum reſiſtentia denſitatis ergo potiſſimum dilatationi officit, at id ætatis, aut conformationis conſequens eſt, quod in puberibus tantum primæ eruptioni obnoxiis, aut in conſiſtentibus mulieribus jam catameniis defecturis locum habet, at niſi leviſſimam in iis, quæ coſtanti donantur fluxu, ſuppreſſionem parere valuerit.

2. Ovulorum præſentia germine gravium, quæ uteri cavitatem occupant appendicum productionem, aut aperitionem impediunt, vel id tantum ſinunt, ubi placenta matrici adhæret, quod non *naturalem* ſuppreſſionem gignit, geſtationis propriam.

3. Uteri, tunicæ ipſins internæ præſertim, durities, quæ venoſas appendices amplectentes earum dilatationem implicant, ut in amplioribus uteri ſcyrrhus accidere ſolet.

4. Convulſiva uteri conſtrictio, quæ repente venoſos proceſſus vincit, quam producunt

1. Frigus ſubitaneum, pedes præſertim, aut crura aggrediens.

2. Iræ impetus, aut gravis dolor.

3. Summi metus, atque inopinati valida impreſſio; hujuſmodi plerumque eſt triplex cauſa ſuppreſſionum fluente ſanguine, ſtatim ſupervenientium, de quibus infra fuſius, id a mechaniſmo motuum convulſivorum procedit ab animi pathematibus, aut ſympathicis affectibus, ut de hyſterica paſſione loquuturi explicabimus.

III. Cauſarum reſpectu, quæ ſanguinem ad venas uteri traſvehi impediunt ea vi, qua earum extrema ſeſe valeant reſerari, deduci debent.

1. A ſegniori ſanguinis motu, ab debilioribus cordis viribus ei communicato, ut in ægrotis languidis, aut gracilioribus ſubjectis obſervamus, vel a ſanguinis ſpiſſitudine, quæ cordis impulſibus, ut mos eſt, reſiſtit.

2. Ab exigua cruoris copia ad uterum tranſducta morbo, inanitione, aut macie in corpore deficientis, vel brachii inopportuna venæ ſectione, aut crebra narium hæmorrhagia alio deflectentis.

3. A duplici hujuſmodi cauſarum complexu, tum a ſanguinis ſegnitie cum exigua copia, qui ipſius officiat affluxui.

IV. Tres ipſæ ſunt ſuppreſſionis cauſarum claſſes, in quibus ſimpliciter vermicularia vaſa, venoſæ appendices, aut ſanguis peccare ſolet: at frequenter evenit remotarum cauſarum ergo plures ipſarum conjungi, quod connubium laborioſas magis, & pertinaciores ſuppreſſiones producit.

Catamenia imminuta. Ea triplici ratione imminui poſſunt, inopia, brevitate, vel periodorum raritate.

I. Minus uberrima apparent,

1. Si vaſa lactea dimidiatim repleantur, ac proinde leniter venas comprimant, quare parum impeditus ſanguis recto pergat tramite minime per laterales appendices deflectens, *v. claſ.* I. *cauſar.* &c.

2. Dum appendicum venoſarum dimidium, aut minima pars tantum reſeretur, ut ceteris paribus, pauciſſimis earum patulis cruor directum curſum proſequatur, *v. claſ.* II.

3. Si minori copia atque celeritate ſanguis ad uterum traſferatur, ceteris paribus, fluxus tunc minus ubberrimus apparebit, *v. clauſ.* III.

II. Catamenia minus perdurant,

1. Si lactea vaſa citius exhauriantur, & a venarum compreſſione deſiſtant, quia de cauſa ſanguis directum curſum innovat, *v. claſ.* I.

2. Si.

2. Si venarum appendices jam patulæ ſollicite ſe reſerent, id vel anguſtiæ orificiorum: vel laxitatis ergo eveniat; *v. claſ.* II.

3. Quando ſanguis ibi exigua copia accumulantur, vel quod in corpore deficiat, nel alio deflectat. *v. claſ.* III.

III. Diuturnioribus intercipiuntur menſtrua intervallis.

1. Quando vermicularia ſero ſe replent menſibus inſtantibus; *v. claſ.* I.

2. Quando appendices diu renitentes difficillime reſerantur; *v. claſ.* II.

3. Cum tandem ſanguis deficiat, vel leniter impellatur, ut venoſas appendices explicare impar evadat; *v. claſ.* III.

IV. His explicitis evidens eſt diverſas cauſas binas, vel trinas ſimul comparando facile graduum compoſitorum explicationem innoteſcere, quando menſtrua inopiæ, aut brevitatis cauſa imminuuntur, vel raritatis, & inopiæ ſimul ratione, vel brevitatis; ſimul, & raritatis ergo, quando menſtrua tandem triplici hac de cauſa imminuantur: quia uno, eodemque tempore minus uberrima appareant, minus perdurent, ſeriuſque revertant.

§. III.

Differentiæ.

Obſervatio perbelle expoſitis menſtruorum legibus conſona confirmat,

I. Duplicem dari ſuppreſſionis ſpeciem, quæ vel fluente adhuc ſanguine menſes ſiſtit, vel ſenſim ſenſimque agens eorum regreſſum tantum implicat.

Subita ſuppreſſio, quæ fluentia intercipit menſtrua a convulſiva uteri conſtrictione dependet in iis mulieribus, quæ menſibus affectæ frigoris, aeris intemperiei, aut ventorum afflaribus, ſe expoſuerunt, tum frigidis ſunt uſæ pediluviis, aut denudatis pedibus marmoreo deambularunt pavimento, vel timore, formidine, aut lætitia inopinata aggreſſæ ſunt, quæ tandem vehementiori ira aut gravi dolore ſunt laceſſitæ, *v. claſ.* II. *n.* 4. hujuſmodi cauſæ frigoris videlicet, & animi pathematum intenſiores producunt effectus, quando mulieres iis minus aſſuete, & ſenſibiliores ſint.

Suppreſſio, quæ gradatim fit, abſquequo menſes perfluere deſinant, quæque tantum eorum regreſſum impedit; pluribus de cauſis producitur infra enumerandis, quæ tamen facile diſtinguuntur ſegnitiei ergo qua agunt.

II. Altera datur ſuppreſſionis ſpecies, quæ vel album fluorem comitem habet, qui cruoris defectum implere videtur, vel penitus eo deſtituitur.

Priori ea ſpecies eſt, in qua vaſa vermicularia nimis diſtenſa lacteæ lymphæ per ipſorum oſtiola tantum eſſundunt, quantum ſecernunt; *v. claſ.* I. *n.* 4. altera vero ſuppreſſio lacteo effluvio deficiens ceteras complectitur ſuppreſſionis ſpecies, ubi vaſa vermicularia nihil lacticinoſæ lymphæ ſeparant, ipſa turgeant necne.

III. Tertia adeſt ſuppreſſionis differentia, vel quando menſtrua ſilent procul uteri tenſione, aut dolore, vel dum utroque, aliiſque pluribus moleſtiis copulatur.

Ea doloris, & tenſionis expers eſt, dum vermicularia, & venoſæ appendices prorſus exinaniuntur; *v. claſ.* I. tum *claſ.* II. *n.* I. 3. verum *claſ.* III. *n.* 2.

Ea contra dolorem, & tenſionem habet comitem, quando hujuſmodi vaſa venæ præſertim maxime turgent univerſalem plenitudinem, & doloroſam tenſionem procreando; *v. claſ.* II. *n.* 4. *claſ.* III. *n.* I.

IV. Poſtrema tandem differentia eſt cum non modo dolor, atque tenſio abſint, verum quovis aliæ moleſtiæ genere mulieres liberæ evadant, vel cum pauciſſimis etiamſi corripiantur incommodis, nonnullis tamen chloroſis laborent ſymptomatibus.

Sup-

Suppreſſio quæ dolore, ceteriſque moleſtiis eſt orba, a lymphæ producitur in ſanguine defectu, aut mutato greſſu; *v. claſ.* I. *n.* 4.

Altera dolore, & tenſione carens, verum aliquo chloroſis phænomeno affecta a præcedenti in hoc differt, quod dum vermicularia lymphæ defecta vacua perſiſtant, hinc lympha etiamſi uberrima conſtrictionis maximæ ergo vermicularia nequeat penetrare; *v. claſ.* I. *n.* I. 2.

§. IV.

Symptomata.

Cum variæ ſint ſuppreſſionum ſpecies, ſimili ratione varia exunt phænomena ſuperventura, quorum præcipua exponam.

I. Si ſuppreſſio ab eo originem ducat, quod ſanguis lympha lactea orbatus ejuſdem uullam partem ad vermicularia evehat, quæ idoneam ſecretionem ſubeat, vel ipſa lympha alio ſibi ſternat viam: *v. claſ.* I. *n.* 3.

1. Tunc mulieres de doloris, neque tenſionis ſenſu conquerentur, nulla in utere turgentia ſuperventura.

2. Nullum apparebit effluvium vacuis jam vermicularibus, & appendicibus obſtrictis, nullus proinde mulieribns erit ſuperventurus labor catameniorum defectui ſaltem tribuendus, cum nihil in ſanguinem tunc redundet, quod evacuationem poſtulet.

II. Si vero ſuppreſſio non a lymphæ abſentia originem agnoſcat, ſed ab ejuſdem in vermicularibus difficili ſecretione, quæ ob denſiſſimum contextum lympham recipere reſpuant; *v. claſ. n.* I. 2.

1. Hujuſmodi liquor ſanguinis plethoram augebit, quia continenter in corpore increſcens nullam exitui reperiet ſemitam.

2. Continua collectione idem cum lympha mammaria permiſtus ſinum inflabit.

3. Ipſe lactiocinoſus humor ſaliva, ac gaſtrico ſucco remiſtus ab eo haud abſimilibus guſtus, ac digeſtionis læſiones pariet, tum *Picæ*, aut *Malaciæ* diverſas ſpecies gignet in ratione acrimoniæ, qua lympha ſaturatur.

4. Ex pravis cibis, aut incompleta optimorum, etiam alimentorum ſubactione ventriculi gravitas facile ſupervenient, quæ nauſeas, cordis anxietates, aut vomendi conatus provocabit.

III. Si a nimio ſuppreſſio procedat lymphæ lacticinoſæ effluvio; cum ea a vermicularibus effugiat ſtatim ad recepta ſit; *v. claſ.* I. *n.* 4.

1. Nullam apparebit, ut ſupra enunciavimus, neque doloris, neque tenſionis indicium, quia in utroque vaſorum genere humorum redundantia aberit.

2. Aderit tamen lymphæ lacteæ, aut fluoris albi perfluvium plus minuſve uberrimum, continens, aut intermittens in ratione gradus aperitionis lacteorum vaſorum.

3. Hujuſmodi effluvium circa pudenda ſimul ſtimulum, atque calorem excitabit pro humoris fluentis majori acrimonia.

IV. Si ſanguis inflet, repleatque venas, & venoſas appendices, verum ſuppreſſio ab eo procedat, quod earum orificia obducta perſiſtant; *v. claſ.* II. & III.

I. In hoc caſu ægræ tenſionem, dolorem, atque uteri calorem perſentient vaſorum plenitudini proportionalem.

2. Hujuſmodi dolor intenſior ita fiet quandoque ut *colicæ uterinæ* nomen mereatur, quod vel totam matricem, vel ipſius partem aliquam occupabit in ratione ſanguinis diffuſionis.

3. Tenſio vero, & tumor dum teretibus, latiſque ligamentis, atque pudendis per ſimilia vaſa hinc illinc reptantia communicantur, ſymptomata omnia parient intenſiora, immo, quæ catamenia ſolent prænunciare.

4. Pan-

4. Paucis deinde tranſactis diebus abſque ſenſibili humorum jactura omnia evaneſcent, quia lacticinoſa lympha, per lymphaticas venas, via ſibi ſtrata, vacua vermicularia relinquet, nec amplius venas comprimens, ſanguinis liberam circulationem redintegrabit.

5. Id tamen minime erit expectandum, niſi lympha lactea liquidior ſit, ut omnis lymphaticas venas intrare valeat; quotieſcumque enim ſpiſſior exiſtat, multa in vermicularibus erit ſuperſtes, quæ venas adhuc comprimendo in ratione lymphæ retentæ, ſymptomata omnia ſupærallata plus minuſve excitabit.

6. Diu ſuppreſſio perdurans univerſalem plethoram inducere potis erit, quæ thoracem aggrediens hyſtericas ſuffocationes, ſpirandi difficultatem, tuſſim, atque cordis palpitationem provocabit; cerebrum vero ut Cap. II. §. V. oſtendimus, capitis gravedinem, atque divulſionem, ſoporem, inſomnia, vel per ſubſultus repentinam e ſomno concitationem inducere valebit.

7. Si tunc ſanguinis circulus in aliqua parte intercludatur, ubi vaſa nonnulla reperiantur imbecillia valde, aut labefactata, ſanguis ſibi viam ſternere potis erit, & hæmorrhagiam periodicam producere, ut menſtruis alio devolutis, facere mos eſt.

V. In omnibus ſuppreſſionibus ubi uterum inflatum, tenſum, calentem, aut dolentem reperies vaſorum per ipſum ſerpentium repletudinis ergo, v. claſ. I. & II. integras.

1. Patientes phænomenis omnibus vexabuntur hyſterica paſſione obviis cauſis ſequenti capite enunciandis ubi ſpeciatim de hoc pertractabimus.

2. Hæc ſymptomata magna, longa, & frequentia plus, minuſve apparebunt in ratione impreſſionum, quæ in utero ſuſcitabuntur plus, minuſve validæ, conſtantes, aut crebræ.

3. Hujuſmodi impreſſiones ſympathiæ leges infra citato loco perpendenda convulſivos motus excitabunt in guſtus organo, ut anima impar evaſerit ejus ſenſus percipere ſaliva nedum infima, quod confirmat ſimilis effectus in hoc ſenſorio a gravi dolore ortus.

4. Hæ impreſſiones pariter convulſivas excitabunt conſtrictiones fibrarum ventriculi, diaphragmatis, atque muſculorum abdominis, quæ etiam vacuo ventriculo vomitum ſuſcitabunt, id experitur in renum dolorem, qui colicam nephriticam producit.

VI. Si catamenia ſupprimantur repente ab uteri vehementioribus motibus convulſivis. v. claſ. II. n. 4.

1. Supervenient tunc validi *hyſtericæ* paſſionis inſultus, diutini, & frequentes magis, quam in ceteris ſuppreſſionum ſpeciebus, atque tunc nervorum impreſſiones fortiores, ac pertinaciores erunt, tum ſanguinis in vaſis ſubito intercepti ratione, cum muſcularium fibrarum violentæ contractionis ergo.

2. His plerumque ſuperadduntur alia plurima noxia valde phænomena a partium divulſarum diverſitate oriunda, hujuſmodi ſunt: ſopor, lethargus, loquelæ quandoque abolitio, cordis palpitatio, atque hyſtericæ ſuffocationes.

3. Eorum ſymptomatum perſiſtentia, aut magnitudo variare ſolet, prout fluxus abundaverit, nec ne, aggreſſu ſuppreſſionis, tum in ratione temporis, atque ſollicitudinis, quibus menſes ſtiterunt, verum in ratione uteri ſenſibilitatis, ægrotantium ætatis, aut temperamenti ſanguinei, vel plethorici differre poterit.

§. V.

Diagnoſis.

Nihil eſt facilius quam menſium repentinam ſuppreſſionem cognoſcere, de qua ſtatim ægrotantes admonent, at cum ea ſenſim ſenſimque abſque ſen-

ſenſibili cauſa ſuperveniat, difficillimum eſt diſtinguere an illam conceptio producat, quæ nullam medelam poſcit, vel morbus, qui medicina indiget.

Cum id conjugatis acciderit difficultas minus implicat, facile enim concepiſſe ſibi ſuadent: ipſorum judicio tamen non erit fidendum; nam fatuæ adſint ac ſtultæ mulieres, quæ minime ſuſpicantur de fœtu, quem gerunt.

Maxima vero oritur difficultas cum virgines aut juvenes viduas pertractare convenerit; earum porro conditio, quæ omnem ſuſpicionem removere deberet mehercule tamen, experientia docente, frequentem nimis venuſtulorum conſuetudinem intra diverſos ſexus obviam extremos ſæpe inducere vidi amicitiæ effectus; quandoque poſſunt conceptionem ignorare, dum emmenagoga poſcunt; crebro tamen hæc petunt remedia, ut abortus promoveatur, & ſe tricis eximant.

Si Medico turpe eſt inanibus fidere conjugatis, quæ levitatis cauſa fructum maturare negligunt; infame nimis, ac doloſum eſſet ſi inſcienter virginis, aut viduæ ſceleris particeps fieret, quæ conceptum necare conantur; unica patet via, quæ omnes eludit difficultates, quam didiceris, ſubſequentes circa geſtationis indicia, & prudentem morbi inquiſitionem animadverſiones perpendendo.

1. Gravidæ mulieres plerumque naturalem colorem, atque calorem conſervant; at ſuppreſſione correpte, pallidæ laxæ, decoloreſque fiunt, hujuſmodi tamen ſigna niſi debile præbent indicium, nam plures dantur feminæ, quæprimo geſtationis menſe, eadem experiuntur in ſuppreſſione obvia.

2. In gravidis uteri orificium exacte clauditur, non vero in morboſis ſuppreſſionibus, in quibus parum, vel nihil obturatur; id ſane certiſſimum eſt indicium; rerum ſæpe examen negligimus, aut tentare veremur, neque obſervatoribus tactu facile erit ultimas hujus clauſtri differentias detegere, niſi ſumma ipſi polleant in obſtetriciis rebus experientia.

3. Utero onuſto tertium, aut quartum poſt menſem ſymptomata omnia deſinent ſuppreſſionis moleſtiis æmula, tunc enim pro fœtu alendo omnis affluens lacticinoſus humor, utque ſanguis conſumitur, nihil in vaſis exuberans. Contra vero in ſuppreſſione phænomena illa omnia augeri videbis, quæ validiſſimum conceptionis necne ſignum prebebunt, ſi ægrotantium hiſtoriis eſſet fidendum; at cum virgines ſuſpectæ, vel callidæ mulieres valide medicis imponant, ipſos facile deceptos fuiſſe expertus ſum.

4. Uterus tandem quarto, aut quinto menſibus tranſactis umbilicum verſus acuminatus apparet, & levi manus preſſione ſatis circumſcribitur, fœtuſque inæquali reſiſtentia perſentitur: verum leviter abdomen concutiendo, calore, motuque concitatus infans de ſua exiſtentia certiorem obſervatorem facit, quibus rebus detectis nullum ſupereſt conceptionis dubium nubilis ſit mulier necne; iis deficientibus ſignis a quarto, vel quinto ſuppreſſionis menſe catameniorum interceptio pro morbo erit habenda, quæ porro medelam poſtulabit.

Cum hoc præcipuum ſit veritatis indicium, quod prudens Medicus amplecti debet; ideo niſi validiſſimas rationes ſuppeditaverint ægræ, quibus ſuum tueatur decus, in emmenagogis exhibendis cunctari oportebit, donec idoneum tempus tranſactum ſit, quo abdominis examine de geſtatione necne certiores fieri poſſimus, hæc medendi methodus conjugatis mulieribus communicari facile poteſt, quæ prudentem inquiſitionem non contemnent; iis interdum ſi grave aliquod ſupervenerit incommodum, diæta aut ſtomachicorum, vel leniter aperientium auxilio erit occurrendum.

Nubiles vero, aut viduas, quibus turpe ſuſpectum nefas erit manifeſtare, certiores facere oportebit continenter menſtruorum reditui conſulere, interdum innoxia ſtomachica remedia abſorbentia, & amarotica exhibendo; quo magis de remediorum fruſtraneis affectibus querentur, efficaciora cupientes, doli augebitur indicium, quare jugiter nova validiora medicamenta promittendo eadem

metho-

methodo erit perſiſtendum, donec quarto, aut quinto menſe veritas penitus conſpicua fiat; tunc vero caute oportuna erunt ſuppeditanda remedia, eamdem ſemper medendi rationem ſimulando.

II. Nova exurgit difficultas mulierum cauſa, quæ quadrageſimo quinto, aut quinquageſimo ætatis anno ſpontanea naturæ lege menſtruis carere incipiunt; tunc perperam novos fluxus promovere tentaremus, ſed ægras potius naturæ conatibus præparare oportebit, ut totalem hanc ſuppreſſionem valeant ſine morbo perferre; attamen amentes reperies feminas, quæ nondum ætate conſiſtere ſibi ſuadent, ut catameniis orbari debeant, & ſeipſas, ſuoſque medicos ſæpe decipiunt; nonnullæ etiam, quamvis omni carere menſtruo cognoſcant; veritatem celare, atque calidiſſime adſtantes eludere ſtudent.

Propriæ futilitatis, atque dementiæ plerumque victimæ fiunt, quoniam dum menſes irrito revocant, haud infrequenter morboſam ſanguinis jacturam, aut album fluorem advocant, vel, quod magis teterrimum eſt, uteri inflammatione, ulcere, aut cancro corripiuntur: contemptus tamen, quem ſibi promeritæ erunt hujuſmodi mulieres, nihil incautum excuſat Medicum, qui ipſis operam præſtitit. Artis politici canones has præcavere ſatis docent fraudes; mulierum enim adſpectu, venuſtarum etiam ſi lubet, conſilium petentium, de earum ætate, levis erroris dubio, judicare poterimus; ſi itaque illas quadrageſimum quintum circiter annum attigiſſe certiores facti ſimus, abſque quo lacrymis, aut querelis commoveamur, ſola ſtomachica, diluentia, aut abſorbentia erunt exhibenda, quæ tunc naturalis ſuppreſſionis phænomena imminuent, vel ſaltem mitiora aperientia, ſolventia, aut emmenagoga erunt ſuppeditanda, quæ extremis naturæ conaminibus ſubveniant, ſi forte nondum menſtura ſilere debeant, vel parum agant, ſi ea penitus ſint diſceſſura.

Tandem nonnullos poſt menſes innoteſcet, ſi ſuppreſſio a morbo dependeat, cui emmenagogis in hoc capite enunciatis occurremus, contra vero ſi ſuppreſſionem naturalem eſſe judicemus, caute erit incedendum, ut conſequentiis medeamur, quibus tunc pleræque ſunt obnoxiæ; id tamen non eſt hic ſpecialiter perpendendum, poſtremum hujus libri caput conſulere poteris, ubi fuſius de menſibus ætatis ergo deſinentibus, deque eorum ſymptomatibus diſſeremus.

III. Cum de ſuppreſſionis natura certiores facti ſimus, ſpecies tantum ſingillatim, earumque cauſæ producentes dignoſcendæ ſuperſunt.

1. Omnis ſuppreſſio, vel adhuc fluente ſanguine repente, vel ſenſim, ſenſimque ſupervenit.

Obſervavimus jam ſubitum menſium ſilentium convulſivas uteri contractione facere externo frigore, triſti, vel lato animi pathemate, aut timore concitatas.

2. Ea ſuppreſſionis ſpecies, quæ ſenſim fit, modo albo fluore, modo nullo erit ſubſequutura.

Vidimus hujuſmodi ſuppreſſionem, quæ periodicum, vel continuum album fluorem comitem habet, a laxitudine vermicularium oriri, quæ ſecretam lympham omnem excernunt.

3. Altera ſuppreſſionis ſpecies, quæ albo fluore deſtituitur, vel dolore, atque uteri tenſione afficitur, vel ab eo libera evadit.

Oſtendimus ſuperius priorem albo fluxu orbatam, in qua uteri dolor, tenſio, atque colica perſentitur, vitia producere uteri, cujus intima tunica, & venoſæ appendices dilatari, atque aperiri renuunt, tum ſanguinis vitium, qui pro ſpiſſitudine, aut inopia impar evadit, venarum orificia reſerare.

4. Quæque ſuppreſſio albo fluore, uteri dolore, ac tenſione carens, vel nullam affert moleſtiam, vel ſenſim chloroſim producit.

Diximus jam ſuppreſſionem ſuperallatis incommodis prorſus orbatam, a lym-

phæ defectu pendere, ac emaciatas, languidas, & defatigatas mulieres, aut altrices aggredi.

5. Omnis tandem hujus morbi ſpecies, in qua neque albus fluxus, neque uteri dolor, aut tenſio apparet, verum plurimæ chloroſis producuntur phænomena, ex eo procedit, quod exuberantem lympham nequeant denſa vermicularia ſeparare, quare eadem lympha in ſanguinem redux ſaliva, & gaſtrico ſucco remixta neceſſario eorum humorum effectus perturbare valebit.

IV. Cauſæ vero remotæ, quæ proximas inducunt ſuppreſſionum omnium cauſas, niſi ab accurata temperamenti regiminis, aut ægrarum vitæ geſtæ narratione dignoſcentur quas aſſidue percontari oportebit, non modo ut remedia magis idonea ſeligere valeamus, verum ut neceſſarias diætæ, aut medendi methodi modificationes animadvertamus.

§. VI.

Prognoſis.

GEnericam ſuppreſſionum prognoſim arduum eſt proponere, ſingularum ſpecierum itaque prænunciationes exponemus.

I. Suppreſſio, quæ nullum conjunctum habet uteri dolorem, aut tenſionem, nullamque functionum læſionem, prorſus innocua experiri ſolet.

II. Quæ *chloroſis* phænomena, atque damna tantum oſtendit plus, minuſve periculoſa evadit pro eorum pertinacia.

III. Suppreſſio, quæ albo fluore pollet, pertinax erit, curatuque difficillima, & noxia plerumque; ea lentam febrem, maciem, leucophlegmatiam, hydropem, ulcus denique, & uteri cancrum inducere valet, præſertim ſi albus fluxus uberrimus, continens, aut acris nimis evadat.

IV. Ubi uterus tumet, aut crebro dolet, periculum adeſt ne horum perſiſtentia uteri inflammatio, abſceſſus, ulcus, aut ſcirrhus, vel cancer superveniat, quæ plus minuſve ſuſpicaberis conſecutura, quo dolor plus minuſve intenſior, atque continens apparebit.

V. Diutina ſuppreſſio, quam univerſalis plenitudo gignit, lethargum, apoplexiam, aſthma, cordis palpiattionem, abdominis infartus, hydropem, atque ſanguinis vomitionem producere ſolet, quæ magis erunt timenda, ſi iis rebus regimen, & temperamentum plethoricum occaſionem præbeant.

VI. Repentina ſuppreſſio ſubita, vehementiora, atque teterrima magis phœnomena excitabit, tunc enim patientes improviſo apoplexia, aut lethargo, hyſtericis ſuffocationibus, cordis palpitationibus, ſanguinis ſputo, aut vomitu facile corripientur, vel phreneticæ, aut maniacæ fient, vel a violentioribus convulſionibus, atque hyſterico morbo cruciabuntur, ut non raro ſymptomatum vehementia intereant; quare hujuſmodi ſpeciei ergo revera aſſerere poſſimus, uterum (*a*) eſſe in mulieribus ſexcentorum morborum cauſam.

VII. Generice loquendo ſuppreſſiones, quæ intenſiores ſunt, medela etiam difficiliores evadunt, nam diuturnitas earum oſtendit cauſas producentes remedia prorſus eludere, nihilo ſecius Hippocrates aſſerit mulieres obſervaſſe ſuppreſſione laborantes, quæ non modo a ſexto morbi menſe, quod animadvertit etiam auctor libelli de morbis mulierum (*b*), verum a quarto (*c*), vel ſeptimo (*d*) infir-

(*a*) Ea de cauſa Auctores voluerunt Democritum aſſeruiſſe in littera quadam Hippocrati ſcripta quam inter ejuſdem operareperies. *Τῶν ἐν γυναιξὶ μόχθων μυρίων μαραντὶν μήτρη.* Uterum ſexcentarum ærumnarum cauſam eſſe in muleribus. (*b*) Lib. I. Cap. 3.
(*c*) *Epidem.* V. circa initium. (*d*) *Epidem.* IV. 92.

infirmitatis anno convaluerunt, raro tamen id accidere autumo, neque legem in menſtruationis negotio ſuppeditare poſſe cenſeo.

VIII. Suppreſſiones enim quo pertinaciores apparebunt, etiam pernicioſiores erunt, difficile enim erit luctuoſas eludere infirmitates, quæ a morbi perſiſtentia oriri ſolent.

IX. Verum ſuppreſſione perdurante ſterilitati ratio habenda eſt; me non latet enim plures feminas menſtruis orbatas concepiſſe, etiamſi pauca extent exempla, eaque in iis animadvertantur mulieribus, in quibus etiamſi menſtrua abeſſent, uterus ſaltem bene conſtitutus reperiebatur, quod minime prædicabimus de iis, quæ morbi cauſa menſibus carent.

X. Tandem ſi hujuſmodi conceperint mulieres, decipientur valde, ſi crediderint integro geſtationis ſpatio fœtum ipſas gerere, vel ſanum ſervare poſſe, nam vaſa tum lactea, cum ſanguinea, quæ imparia pro catameniis erant, neque nutritionem fœtui ſuppeditabunt idoneam, ut ipſe completus evadat.

§. VII.

Curatio.

Duplicem dari obſervavimus ſuppreſſionis ſpeciem, altera quæ repente fluentes menſes ſiſtit, altera quæ ſenſim ſenſimque temporis progreſſu menſtrua imminuit, eorumque regreſſum impedit; diverſarum cauſarum, atque effectuum ergo diverſam hæ ſuppreſſionum ſpecies poſcunt medelam, quare materia duplici articulo diſtingui oportebit.

In repentina ſuppreſſione menſtruis adhuc fluentibus.

I. Si ægrotantes violentioribus animi pathematibus laceſſitæ, aut formidine commotæ fuiſſent, quietem ſpiritui reſtituere, ac morboſas removere impreſſiones ſollicite curabis, quod ſi a frigore paſſo procederet, ægras prompte calefacere neceſſe erit.

II. In utroque caſu fas erit aliquid ſpirituoſi ſubito exhibere, ut vinum cyprum, aquam meliſſæ ſimplicem, vel compoſitam, aquam carminum, aut florum aurantiorum, vel garum &c., naribus etiam aliquid empireuma redolens apponere, hujuſmodi ſunt ſal anglicum volatile, oleum volatile aromaticum, vel ſpiritus urinæ, aut ſalis ammoniaci &c., opportuna pariter erunt ſuffumigia, ex plumis, pilis, corio, ungulis, equinis, aut violaceis tæniis combuſtis parata, femora tandem calidis fricabis linteis.

III. Pedes luere ſaluberrimum erit, lavacro permiſcendo decoctiones ex ruta, matricaria, vel artemiſia, aliiſque plantis anthyſtericis confectas.

IV. Iis pro menſtruis revocandis incaſſum adhibitis, pedes ſtatim uberrime ſecare, idque quarta hora tranſacta renovare oportebit, præſertim ſi ſuffocationes, cordis palpitationes, capitis dolor, ſopor, convulſio, aut hyſtericus morbus vehementer perſtiterint.

V. Singulis horis exhiberi potiſſimum erit unum, vel duos cyathos infuſionis artemiſiæ, meliſſæ, matricariæ, ſalviæ, vulnerariæ elvetiorum, aut the ſimplicis.

VI. Per vices ægrotantes aſſumere poterunt cochleatim potionem anthyſtericam, cui idonea addatur doſis tincturæ anodynæ, quæ obtundere valeat convulſivas conſtrictiones, potiſſimas eorum ſymptomatum cauſas; ipſa potio, ut opus requirat, plus minuſve erit reiteranda. Subſequens vero formula indicationem implere videtur.

R. *Aquar. Artemiſiæ & Meliſſæ ana* ℥ ij. *quibus diſſolv. Boracis Venetæ* ʒ ß. *Theriacæ veteris*, ʒ j.
Add. *aq. Cinnamom. hordeatæ* ℥ I.
Tinct. anodyn. gut. xxx.
M. F. Hauſtus, ſumendus ex cochleari.

VII. At ſi morbi violentia aliquid efficacioris poſtulaverit, ſequentes pilulæ ad rem facient.

R. *Aſſæ fœtidæ*, *& Caſtorei ana. gr.* IX.
Salis volatilis viperarum. gr. XII.
Laudani opiati gr. III.
M. F. Maſſa dividenda in pilulas æquales probe deaurandas.

Hujuſmodi duas, vel tres ſingulis horis ingurgitare poterunt ægræ, donec nocua ſenſim ſubigantur phænomena, quibus etiam ſuperbibere ſaluberrimum erit infuſionem n. v. deſcriptam.

VIII. Si ægrotans, fruſtra reiteratis pedum venæ ſectionibus, diu ſopore, aut violentiori convulſione laboret, quatuor, vel quinque grana tartari emetici præſcribi poterunt in ſuperallata infuſione ſoluta; præcipua iſta videtur methodus, qua cerebrum laxando, & venoſas appendices reſerando ſuppreſſioni facilius mederi poſſimus.

IX. Si menſtrua iis auxiliis ſe reſtituerint, ægra jam valetudinem recuperabit, quam confirmare tantum opus erit; at ſi illa, vel minime, vel Imperfecte renovarentur, ſtatim ipſa erunt idoneis revocanda remediis; circa quæ futurum articulum conſulere oportebit; tamen niſi ſymptomata urgeant per integrum menſem cunctari poſſe cenſeo, donec ſtatum revertatur tempus, quo magis ſolida medendi ratio inſtitui conveniat.

X. Dum ægræ vehementioribus adhuc cruciantur moleſtiis nullum erit alimentum exhibendum, quod ventriculum gravare poſſit; ſi vero morbus diuturnus evaſerit, eum ſubminiſtrare neceſſe erit; at morbo defervente addi poterunt gelatina animalis, oryzarum cremor, aut recens ovorum vitellus, ita gradum faciendo ad nutrientia magis alimenta.

In ſuppreſſione, quæ perſiſtentibus menſtruis ſenſim eorum implicat regreſſum.

Hujuſmodi ſuppreſſio quatuor complectitur ſpecies; *prior* quæ rubro deſtituta, albo tantum fluore pollet; *altera* quæ nullam vel ex parte uteri, vel ex alia quavis læſa functione moleſtiam conjunctam habet; *tertia* quæ utero indolente chloroſim tamen inducit; *poſtrema* tandem in qua patientes uteri tenſione, dolore, colica, aliiſque noxiis laborant ſymptomatibus.

Prior remedia poſtulat, quæ albo fluori medentur, circa quod caput infra pervolvere oportebit, ubi ſpeciatim de albo fluore pertractabimus.

Secunda moleſtiis expers medelam minus implicat, attamen cum ſterilitatem producat, ac diuturnitate ſua uteri ſubſtantiam compingat nimis, prudentis Medici erit ipſam curare.

Vidimus jam hanc gignere lymphæ lacteæ defectum, ut de emaciatis, infirmis, aut valetudinariis mulieribus conſtat, vel tunc oriri cum lympha diutinæ diarrhææ, crebræ hœmorrhagiæ, phlebotomiæ, aut reiteratæ purgationis ergo alio erumpat, e quibus indicabuntur.

1. Sanguinis chylique augmentum per analepticam diætam ægras nutriendo, facilis

facilis digeſtionis alimenta, & optimæ indolis ter, quaterve renovando prandium, ſi id ventriculus ſinat, tum chocolatum, aut cruſtulum vino libero imbutum, ovum recens, aut lac exhibendo.

2. Proſcribere neceſſe erit remedia omnia, quæ laxitudinem faciunt, uti venæ ſectio, purgationes, clyſteria etiam, niſi majores moleſtiæ ipſa expoſcant.

3. Evacuationes omnes interdicere a quibus ſanguis vel lympha depauperatur: hujuſmodi ſunt ventris fluxus, ſudor, aut ex naribus cruoris jactura.

4. Ægras per aliquod temporis ſpatium coges ſedentariam vitam gerere diu ſe lectulo detinendo; uno verbo ſpiritus, ac corporis inactione cunctari, ne humorum diſpendium augeatur, ut per tranſpirationem fieri ſolet.

Tertia vero, & *quarta* ſuppreſſionis ſpecies, quæ veros morbos conſtituunt, efficaciora etiam poſtulabunt auxilia ad tres præcipuas claſſes redigenda; triplicem enim ex anteactis patet dari indicationem, quam implere conveniet.

I. Denſum, compactumque uteri contextum relaxando, ejuſque vaſa, aut tunicas dilatando.

II. Sanguinis affluentis niſum augendo ita, ut reſiſtentia uteri vaſcula ipſe valeat reſerare.

III. Hanc aperitionem provocando crebris, ſucceſſivis ſuccuſſionibus, aut lenioribus convulſionibus in utero concitatis.

I. Priorem multiplex implet medendi methodus, quæ omnis tamen eodem collineat fine, eoſdem gignit effectus, at ut clare procedamus a ſimplicibus, & familiaribus remediis incipiemus; hujuſmodi ſunt.

1. Jura ex pullo gallinaceo, aut vitulo confecta, herbis remixta refrigerantibus, & emollientibus, quales ſunt radices Althææ, Cichoreæ ſilveſtris, Buglosſi, Fragariæ, aut Oxalidis, tum Folia Boraginis, Bugloſſi, Petroſelini, Lactucæ, Scolopendri, & Ceterach &c. quatuor etiam ſemina frigidiora uſu veniunt, in quibus ſolvatur drachma ſalis Prunellæ aut Cryſtalli Mineralis.

Apozemata refrigerantia ex decoctionibus earumdem ſtirpium parata, quibus addi poterit ſemidrachma Nitri purificati, aut Cryſtalli mineralis cum uncia ſimul ſyrupi Capillarium, Violarum, Cichoreæ, aut Biſmalvæ.

Serum lactis probe depuratum ad uncias octo, vel decem, in quo grana viginti, aut vigintiquinque ſolvantur Salis mirabilis Glauberii, vel ipſum ferri extinctione chalybeatum, cui addi poteſt uncia ſyrupi appropriati.

Aquæ minerales ferrugineæ, & vitriolicæ, quales ſunt illæ quæ in Gallia reperiuntur prope *Caranſac, Spa, Forges, Camarets, Paſſy*, quas haurire poterunt ægræ idonea tempeſtate, & præmiſſis vulgaribus cautelis quinque, & decem dies, tres hebdomadas, aut integrum menſem in earum uſu perſiſtendo.

2. Opportuniſſima erunt clyſteria refrigerantia, & emollientia ex petenti aqua fluviatili; tum ex furfuris decoctione, ſero clarificato, decoctione foliorum Malvæ, Althææ, Brancæ Urſinæ, Parietariæ, Mercurialis, Porri, aut Verbaſci &c. tum ſeminibus Lini, aut frigidis quatuor, in quibus ſolvatur ſalis Prunellæ drachma, additis aceti cochleare, vel uncia una Mellis Violati, Olei Liliorum, aut Pulpæ Caſſiæ.

3. Balnea, aut ſemibalnea tepida aquæ dulcis, aut fluviatilis, quibus mane horæ, & dimidii ſpatio uti debet, ea duodecim, aut quindecim dies continuando, pluriesque reiterando, donec opus requirat, quibus adjungi poſſunt decoctiones ex ſuperallatis plantis peractæ, vel manipulis nonnulli ſeminum Lini, vel frigidorum.

4. Fomenta ex duplici linteolo ſimilibus decoctionibus imbuto & accurate expreſſo parata, quæ calida hippogaſtricæ regioni applicabis, donec refrigerata per horam, & amplius pluries reiterabis.

5. Vapor quem calidæ effundunt ſimile, decoctiones ſellæ familiaris oper per

 horam,

horam, aut dimidium intra pudenda receptus, verum ut ille intimius penetrare valeat, ſellæ tubulus nectitur; animadvertendum tamen eſt, ne hic vas immediate tangat, quo fervens continetur decoctio, nam calor ipſi communicatus facile vulvam, & vicinia læderet.

6. Brachii modica venæ ſectio reiterata potiſſima eſt vaſa uteri extricare, ac extendere, dum ſanguinis redundantia nimium turgeſcunt, quod in plethoricis mulieribus ſæpe ſæpius evenit, ut ex uteri tenſione, & dolore perſiſtenti manifeſtatur, inſtante etiam menſtruo; tunc in propatulo eſt (*a*) Riverii obſervatio, quæ oſtendit unicum eſſe uteri ſtatum, in quo brachium ſecare fas erit: ceteris vero ſuppreſſionem ſpeciebus venæ ſectio ex eo loco nocua erit, quod in hac re pro lege habeto.

7. Narcotica qualia ſunt ſyrupus diacodii, aut Karabis, laudanum utrumque, tinctura anodyna, pilulæ cinogloſſæ congrua doſi exhibita, pene ſpecifica experiuntur auxilia in uteri convulſionibus & erethiſmo. Opportuniſſima pariter evadunt ſi compactio ſolidorum prævaleat, nam nil magis laxat fibrarum rigiditatem, quam ſi ſpirituum affluxus intercipiatur, qui tenſionem magnopere auget; verum hujuſmodi remedia ſanguinis moleculas ſegregando, atque attenuando menſtrua promovere valent, procul eorum ſententia, qui ea potius ſupprimere defendebant.

8. Emollientes uteri injectiones vulgo *Metrenchytes* conficiuntur ex decoctionibus emollientibus plus minuſque ſaturitatis per ſyphonem injiciendæ, cujus tubulus influxus in globulum deſinit plurimis undique foraminulis pertuſum; animadvertendum porro eſt, injectiones tepentes a naturali calore parum diverſas adhibere, ne uterum ipſæ lædant cum matricis cavum debeant intrare, & ægræ poſitu ſuo horæ ſaltem ſpatio illas perferre: earum tamen uſus pene obſolevit, tum quia indecens, cum difficilis evadat, aut damnum inferat, item fruſtraneus videtur, cum difficilis evadat, aut damnum inferat, item fruſtraneus videtur, cum ad uterum raro pertingat.

9. Idem de peſſariis emollientibus judicabimus, quæ ex plantis laxantibus coctis, & contuſis patrabantur, ac in pulmentum redactio ſubtiliori tela involutis uſuveniebant, goſſypium etiam, vel aliud quidpiam cylindraceum tela indutum, & decoctione, aut ſucco earum ſimilium plantarum imbutum, eidem uſui cedebat, ab hoc tamen remedio hodie prudentis Medici abſtinere erit.

II. Ut alteri vero indicationi ſatisfaciamus, ſolventibus, attenuantibus, ac aperientibus medicamentis uti neceſſe erit, iis præſertim, quæ *Emmenagoga* appellantur; menſtrua videlicet promoventia etiamſi forte hoc nondum pro ineſficacia nomen ſibi promerita ſint; ex triplici hæc regno deſumuntur, vegetabilium nempe, animalium, & mineralium: alia ſimplicia ſunt, compoſita alia, ea methodice oſtendam, a mitioribus incipiens, & uſitatioribus, quæ * aſteriſco ſignabo, tum doſim ſingulorum pro unica vice, & ſumendi modum indicabo.

Vegetabilia.

Radices.

* Ariſtolochia rotunda
    longa
* Rubia Tinctorum
Pulegium

Apium

(a) *Obſervat.* Centur. 1. Obſervat. 2.

Apium
* Bruſcus
Angelica
* Aſparagus
Imperatoria
Petro ſelinum
* Eryngium
* Ononis
} a ℥ ſ. ad ℥ I. pro decoct.

Cyperus
Iris
Valeriana
Gentiana
} a ʒ II. ad IV. pro decoct.

Bryonia } a ℈ ſ. ad ℈ I. in ſubſt.

Cyclamen } ad ʒ ſ. pro decoct.

Elleborus niger
Arum } a ℈ I. ad ℈ II. in ſubſt.

Folia

* Marubium album
* Pulegium
Dictamus Creticus
Ruta
Majorana
* Matricaria
* Abrotanum
* Artemiſia
Nepeta
* Calamintha
Origanum
* Tanacetum
Meliſſa
Salvia
Ros Marinus
Mercurialis
* Chamædrys
Thuyas Theophraſti
} a m. ſ. ad I. pro decoct.

Flores

* Chamæmelum romanum
* Matricaria
* Melilotus
Anthos
Lavendula
} a ʒ I. ad ʒ III. pro decoct.

* Crocus orientalis ſ. p. a gr. x. ad gr. xx., vel ad p. I. pro infuſ.

Semina

Nigella
Ruta
Aniſus
}

Sexeli Maſſiliæ Daucus Creticus Feniculus Siſarum Leviſticum Naſturtium Apium Ciminum	a ʒ i. ad ʒ ii. pro decoct. a ʒ ſ. ad ʒ i. in ſub.

Baccæ

* Laurus * Juniperus	ad ʒ i. ab ʒ ii. pro decoct. a ʒ ſ. ad i. in ſubſt. a ʒ ii. ad ʒ iv. pro decoct.

Aromata

* Macis	a gr. x. ad xv.	in ſubſt.
Nux miriſtica	a gr. xv. ad xx.	
* Cinnamomum	a ℈ ſ. ad ℈ i.	

Cortices

* Tamariſcus * Capparis	a ʒ i. ad ʒ iii. pro infuſ. a ʒ ſ. ad ʒ i. in ſubſt.

Kina kina a i. in ſubſt. ad ʒ ii. in decoct.

Gummi, & Reſinæ

* Myrrha * Aloes Opopanax * Aſsa fœtida	a gr. vi. ad ℈ ſ. in ſubſt.
* Ammoniacum Sagapenum * Galbanum	a gr. vi. ad ℈ ſ. in ſubſt.

Animalia

* Caſtoreum * Millepedes Teſtes Equini præparati	a gr. vi. ad ʒ ſ. in ſubſt.

Mineralia

* Succinum flavum * Borax * Sal Ammoniacum	a ℈ ſ. ad ʒ ſ. in ſubſt.

Reme-

Remedia compoſita.

Galenica.

* Aqua Menthæ --- Pulegi * --- Matricariæ Abrotani * --- Abſynthii * --- Rutæ --- Salviæ --- Marrubi --- Rubiæ tinctorum --- Tanaceti	ad ʒ I. ad ℥ II.
* Acetum Scillitium * Oxymel Scillitic.	a ℥ I. ad ℥ I. cum dimd.
* Syrupus Marrubi ---- Calaminthæ * ---- V. Radicum aperientium * ---- Artemiſiæ * ---- Hyſſopi	a ʒ I. ad ℥ I. cum dimid.

Chymica.

Tincturæ.

* --- Croci Orientalis * --- Myrrhæ * --- Caſtorei.	a gutt. VI. ad gutt. XV.

Saliæ.

* --- Tartarus Martialis * --- Sal admirabile Glauberii * --- Arcanum duplicatum * --- Terra foliata Tartari	a ℈ I. ad ʒ I.

* *Præparationes Martis aperientes.*

* Crocus aperiens rore paratus * --- idem Sulfure paratus * --- idem Aqua ſimplici	a gr. XV. ʒ ſ.

Præparationes Mercuriis parum, vel nihil catharticæ.

* Æthiops mineralis igne paratus * --- idem trituratione confectus Panacea mercurialis	a gr. X. ad XVIII.
Cinabaris factitia	a gr. VI. ad gr. X.

Hujuſmodi ſunt remedia in ſuppreſſionis negotio magis commendata; adhibendi modum tamen variare facile eſt pro morbi indole, aut ægeotantium genio;

nio; parari enim ex liquidis poterunt decoctiones, apozemata, portiones, julapia, ſyrupi, vel ex ſolidis componi, pulveres, opiata, boli, aut rotulæ &c.

1. *Jura* ex pullo conficiuntur exenterato, & excorticato, vel ex libræ ſemiſſe pulmonis vitulorum, aut vervecis, vel agni jugulo ſufficienti aquæ quantitate coctis; prope ebullitionis vero finem radices nonnullæ ad unicæ dimidium, vel plantarum follia ad manipulum adduntur, radices tamen diutius quam folia ſunt ebulliendæ, inde percolato brodio in eo ſal quoddam, aut aliqua ex chalybis aperientis præparationibus ſolvi poteſt quindecim, aut viginti dies in eorum uſu perſiſtendo.

2. Simili modo parantur *decoctiones*, ſeu apozemata, carnibus exceptis, quæ ipſis non permiſcentur, ſyrupi alicujus unciam addendo, eaque per idem tempus exhibebuntur, niſi identidem bis in die hauriantur.

3. In *potionum* compoſitione duo, vel tres aquæ diſtillatæ ſeliguntur ad unciæ unius & ſemis, vel duarum unciarum doſim ſumptæ, vel earum defectu plantarum quarumdam decoctio ſumitur ad quinque unicarum circiter doſim, in quibus ſolvatur ſal quoddam idoneum, vel martis aperientis aliqua præparatio, aut pulvis ex plantis emmenagogis decerpta, tum addi poſſunt theriaca, & confectiones hyacinthina, aut alkemes, vel tincturæ nonnullæ quales ſunt Caſtorei, Myrrhæ, Aſſæ Fœtidæ &c., quæ præſcribi poſſunt cochleatim ſingulo horæ dimidio ut opus indiguerit.

4. *Julapia* a portionibus nihil differunt, niſi quod minus ſalis, aut pulveris contineat, verum ſyrupus aliquis ſuperaddatur, & uno, vel duplici hauſtu aſſumantur.

5. Niſi obvii ſatisfaciant *ſyrupi*, ſecundum artem quot lubent patrari poſſunt alii plures ex ſaturatiſſimis radicum, vel foliorum decoctionibus, explantis emmenagogis ſelectioribus confectis, quæ ſacchari additione ad ſyrupi conſiſtentiam reducuntur; ii ſyrupi julapiis, apozematibus, aut opiatis adjungi poſſunt, quæ ſibi præſcribi lubeat.

6. *Pulveres* ſimpliciores ſunt Galenicæ præparationes ex duabus, vel tribus ſimul radicibus, foliis, ſeminibus, corticibus, aut gummis emmenagogis electis, ſimul contuſis peractæ, quæ pro unaquaque vice ad ſcrupulos duos, vel drachmam circiter juris, apozematis, aut vini cochleare exhibentur.

7. *Opiata* in hoc a præcedentibus differunt, quod mellis, ſyrupi, aut conſervæ auxilio maſſam conſtituat electuarium referentem, quam panis plagula involutam præſcribunt, juris, vel apozematis cochlear ſuperbibendo.

8. *Boli* ab opiatis majori duritie diſtant, maxima vero *pilulæ* quæ reſinis, gummiſque magis coagmentatæ illis firmitate præcellunt, eæque auro obvolutæ ſuperiori methodo ſumuntur.

9. *Rotulæ* tandem conficiuntur, ſufficientem ſacchari quantitatem pulveribus remixtam idonea aqua diſtillata, aut decoctione coquendo ad ſyrupi conſiſtentiam, quæ ſuper marmorem levigatam ſuperficiem extenſa in plures diverſimode configuratas ſcinditur tabellas.

III. Multiplici via *tertiam* poteris indicationem implere, aperitionem videlicet venoſarum appendicum promovere, vel ſanguinis niſum augendo, vel uterum emmenagogis ſuccutiendo.

1. *Pedum venæ ſectio*, quæ velocitatem ſanguinis intendit per aortam deſcendentis dum ipſe uterum proficiſcitur, certior eſt, promptior, minuſque ſuſpecta catamenia ciendi methodus, ea tamen revertentibus menſtruis ſi adhibeatur, proxima jam eruptione efficacior evadet gradum impulſionis ſanguini addendo, quæ tantum deficit ut completa oriatur effuſio.

Olim ſubſtituebantur, vel cucurbitulæ fœmori applicitæ, vel cauterium popliti, at infirmæ virtutis cauſa hæc pene exoleverunt remedia, pediluvia etiam ex plan-

plantis emmenagogis parata aliquam ſolent utilitatem afferre, venæ ſectione tamen debiliora.

2. *Clyſteria* pariter conferunt e ſimilibus ſtirpibus confecta, Matricaria videlicet, Artemiſia, Pulejo, Salvia &c. vel ex floribus Chamæmeli, Meliloti, Lavendulæ &c., quibus addi poſſunt Mellis Mercurialis, vel Catholici duplicati uncia una, aut hieræ picræ Galeni drachmæ ſex, quibus uterus commoveatur.

3. *Purgantia* conveniunt nonnihil ſtimulantia, quæ inteſtina convellendo uterum excitent; conflantur ex Aloes, Jalapæ, Diagridii, pulveris cornachini congrua doſi, aut Hieræ Picræ drachmis tribus circiter in bolos redactis.

4. *Emetica*, quæ diaphragma, & muſculos abdominis convellunt ac uterum proinde ſuccutiunt tria, vel quatuor grana (*a*) tartari emetici, aut grana viginti quinque pulveris ipecacuanhæ jure, vel theiformi ſolvendo erunt exhibenda.

5. *Errhina*, ſeu *ſternutatoria* Scheiderianam vellicando, emeticorum more uterum pariter irritant; hujuſmodi ſunt folia Nicotianæ, Betonicæ, Salviæ, tum radices iridis, hellebori &c.; quæ, ſi leniter agant, addi poterit euphorbi nonnihil, pyretri, aut macropiperis.

6. *Balnea*, & ſemibalnea plantarum, fomenta regioni hypocaſtricæ applicata, injectiones per vaginam ad uterum evectæ, ex ſimilibus plantis paratæ opportuniſſima ſunt circa quæ pervolveris quæ ſuperius n. III. IV. & VIII. indicavimus, at parum efficacia hæc nunc experimur medicamenta jam obſoleta.

7. *Suffumigia* n. v. deſcripta vel humida, vel ſicca eſſe poſſunt, humida perficiuntur ex vaporibus plantarum ſellæ familiaris ope pudendis receptis, ſicca vero ex fumo parantur, qui ex pharmacis, aut pulveribus emmenagogis uſtis ſublimatur pari modo receptus; olim ſicca hujuſmodi ſuffumigia crebro uſuveniebant ex acrioribus etiam ſubſtantiis compoſita; hodie pene contemnuntur detrimenti ergo, quod afferebant: humida iis ſubſtituuntur, & quidem acria, & nocua minus, quorum formulæ uſitatiores ſunt:

R. *Aquæ communis*, *vel Decocti cujuslibet emmenagogis bullientis* q. ſ.
Adde ſpiritus ſalis ammoniaci pauculas guttulas
Vapor excipiatur utero. Vel
R. *Scoriarum Reguli antimonii* q. ſ.
Coque in lixivio cinerum, *donec lixivium rubicundum fiat*.
Vapor excipiatur utero.

Si ea incaſſum adhibita ſint, ſequentibus uti poteris, dummodo ægræ laxum ſervent uterum, & dolore ſint expertes.

R. *Lixivii Scoriarum Reguli antimonii*, *de quo modo*, *part. IV.*
Vini Malvatici part. II.
M. & affunde ſuper ſilices ardentes, *vel ferrum candens*
Vapor utero excipiatur. Vel
R. *Scorias Martis ignitas*, *aut ferrum candens*, *affunde urinam antiquam*, *& fœtidam*.
Vapor utero excipiatur.

8. *Peſſaria* uſitatiora erant remedia pro menſibus revocandis immo ex acrioribus coagmentabantur ſubſtantiis, raro nunc uſuveniunt, vel mitiora tantum ex

(a) Doſis Tartari ſtibiati pro activitate infuſionis variari ſolet, quare Regionis conſuetudini, & præparationi uſitatiori conſulere oportebit.

ex linteis mercurialis ſucco imbutis, aut ex pulveribus nigellæ, myrrhæ, mercurialis ſucco, & melle coctis conflata adhibentur, interea hæc intra vaginam introducuntur, virginibus vero vulvæ tantum applicantur, & configurationis ergo *naſcalia* vocantur.

9. Iis remediis omnibus tandem addi poterit motus muſcularis valde proficuus qualis eſt deambulatio, equitatio, rhedæ, choreæ, atque matrimonii uſus, hæc omnia tamen inutilia evadere cenſemus, niſi idoneo adhibeantur tempore, cum nempe eruptio inſtare videatur.

Cautelæ in ſuppreſſionibus medendis neceſſariſſimæ.

I. Antequam emmenagoga exhibeantur remedia, primas vias catharticis expiare, ſanguinem alterantibus corrigere oportebit.

II. Verum idonea tempeſtate vere nempe, & autumno menſes excitabis, quando humores fluidiores, ſolida laxiora ſunt.

III. Æſtivo tempore ſolventium, & aperientium uſum interdicendum eſſe tibi ſuadebis, ne patientes nimis ferveant; tunc temporis diluentia, & humectantia erunt adhibenda, qualia ſunt balnea, aquæ minerales, vel forte mitiora emmenagoga.

IV. Hyeme nullis, aut debilioribus uteri medicamentis, frigus enim, quod humores inſpiſſat, atque vaſa arctat, eorum impedit effectus.

V. A lenioribus incipiens ad validiora gradum feceris, prout illorum inefficacia cogat.

VI. Inter efficaciora menſes impullentia martis præparationes magni feceris, & mercuriales ſuperenunciatas, adde gumm. ammoniac., galbanum &c., dummodo congrua doſi ad rem exhibeantur.

VII. Diluentia, & emollientia viciſſim ſolventibus erunt ſubſtituenda, ut illis uteri vaſa relaxentur, dum his ſanguinis niſus intenditur, ut appendices valeat reſerare.

VIII. Sæpe ſolventia, & emmenagoga diluentibus, & laxantibus conjungi poteris, tum ipſis addi narcotica, modica tamen doſi, ne ſoporem inducant.

IX. Modificare, aut interdicere opportebit emmenagogorum uſus, ſi uterus doleat, aut ægræ ferveant, quod conſtabit inſomniis, ſiti, aut lotii calore.

X. Hæc præſertim animadvertere neceſſe erit in iis mulieribus, quæ bilioſo donantur temperamento, & ſanguine acri, ac ſicco, fibriſque tenſis, rigidis pellent irritabilibus; in hujuſmodi circumſtantiis validiora remedia calorem facile, & ipſam febrem concitabunt.

XI. Similia cavebis in iis, in quibus pulmo debilis, atque gracilis apparet anguſtiæ, & compactionis ergo, tum reſpiratio crebra difficilis, vel tuſſis adeſt, vel in quibus parentes iiſdem morbis fuerunt obnoxii.

XII. In hoc poſtremo caſu non ſolum bechica, & humectantia exhibeto, verum lac aſininum, aut caprinum, etiamſi iſtiuſmodi in ſuppreſſione ſit ſuſpectus uſus.

XIII. Perſuadeberis, contrariam medendi methodum uteri, aut pulmonum inflammationem, vel ulcus facile inducere, aut vas aliquod lacerare, a quo periculoſa ſanguinis jactura erit conſecutura.

XIV. A validioribus abſtinebis, & arctioribus emmanagogis quidquid de iis auctores prædicent.

XV. Majora nocumenta inferre experientia docuit peſſaria, injectiones, & acria ſuffumigia, quæ uterum immediate aggrediuntur; hæc ex ſcoriis antimonii pulveriſatis, & combuſtis, vel ex miſcella calcis vivæ, & urinæ conficiuntur, quæ poſterior ſal volatile ammoniacale præbet.

XVI. Sapienter enim circa catameniorum regreſſum potius cunctaberis, quam ea ſuſpecta ratione revocare, ut omne ægras lædendi periculum abſit.

XVII. Dum in menſtruis futuris prudenter cunctamur, ſuppreſſionis ſymptomatum imminutioni erit conſulendum idonea venæ ſectione, repetita purgatione, & regimine potiſſimum adhibitis.

XVIII. Si tunc menſtrua alio ſibi pandant viam, cum id præſertim per pulmonem, aut aliud nobile viſcus fiat, emmenagoga omnia erint proſcibenda.

XIX. Remedia in hoc caſu amplecti oportebit, quæ hæmorrhagias ſiſtere valeat, de quibus infra capite ſeptimo, ubi de catameniis revolutis erimus loquuturi.

XX. Tandem fruſtra remediis omnibus adhibitis, ut cum levamine menſes revertant palliativa medela erit inſtituenda, identidem venam ſecando, ægras purgando; atque diætam modificando, tum ciborum quantitatis, cum qualitatis ratione, verum idoneis apozematibus, aut aquis mineralibus ſanguinem edulcorare fas erit, uſque dum natura aliam ſubſtituat menſibus ſemitam, ut per urinas, catharſim, ſudorem, aut inſenſibilem tranſpirationem ſæpiſſime accidit.

Innocua medicamenta in ſuppreſſionibus valde commendata.

Apud celeberrimos praxis ſcriptores plura hujuſmodi reperiuntur remedia, quorum multitudo ipſa infirmam oſtendit virtutem; incaſſum enim tot proponerentur, ſi pauca eſſent certiſſima; nonnulla hic enunciabimus, quæ porro ſuperallatis collineant indicationibus, & a nobis ſuperius quandoque jam deſcripta, in iis tamen enumerandis diſtingui debent innocua a minus tutis; quare duplicem articulum inſtituemus.

I. *Chamæmelum Romanum*: ejus decoctio ex florum manipulo confecta mane jejuno ſtomacho exhibetur per plures dies; innocuum, ſed infirmum eſt remedium, quidquid de eo prædicaverint.

II. *Rubia Tinctorum*; ex illa æquali ſacchari quantitate remixta pulvis fit in iis morbis commendatiſſimus, qui mane per quinque vices vino calido hauritur, verum tum utilitate, cum damno expers evadit.

III. *Artemiſia vulgaris* uſitatiſſima eſt, extollunt præſertim conſervam quamdam ex tenellis ejuſdem foliis contuſis, & duplo ſacchari remixtis confectam, jejunio ſtomacho ad drachmam exhibendam per plures dies eruptione inſtante. (*a*) Zacutus aſſerit, hoc remedium proficuum magis evadere, ſi unciæ duæ ſuperbibantur aquæ Sabinæ, quibus per integram noctem rhabarbari drachma ſemis infuſa ſit, at Sabina pernicioſa eſt, ut ſequenti articulo oſtendam.

IV. *Lavendula*: ubi hæc paſſim creſcit, ruſticæ mane ejuſdem manipulo aliquos comedunt jejuno ſtomacho tritos; & melle remixtos jus ſuperbibendo ciceris, aut marubii albi per plures dies.

V. Ex *Calthæ*, vel *Calendulæ* floribus quædam paratur conſerva, cujus drachmas duas ſimili methodo mane ſolent exhibere.

VI. *Ros marinus*: ex florum manipulo, & *Cheiri* tribus ſimul, vel quatuor pugillis fit decoctio mane ſumenda.

VII. *Ariſtolochia* cujus duplex ſpecies, eſt longa, & rotunda, præter decoctiones, quas ſuppeditat, ex ea proſtant pilulæ ſic dictæ de *Ariſtolochia* (*b*) *Fernelli* magnopere commendatæ.

R. Ra-

(a) *Prax admirand.* L. II. Obſerv. 99. (b) Fernelius *Meth. medendi*, Lib. VIII.

℞. *Radicum Ariſtolochiæ rotundæ* ℥ I.
Radicis Gentianæ, Myrrhæ electæ ana. ʒ III.
Aloes & Cinnanomi ana. ℥ ſ.
Zinzibeꝛis ʒ I.
Omnia exquiſitiſſime trita excipiantur oleo Amygdalarum dulcium recenti.
F. Maſſa Pilularum.

Ipſæ per plures dies continuari poſſunt ad drachmam unam cum ſemiſſe etiam jus ſuperbibendo plantarum edulcorantium, leniterque emmenagogarum.

Si Rubiam tinctorum Ariſtolochiæ copulaveris, alias habebis pilulas potiſſimas illis nihil infirmiores.

R. *Radic. Ariſtolochiæ rotundæ, & Rubiæ Tinctorum ana.* ℥ ſ.
Agarici, & Cinnamoni an. ʒ I.
Croci oriental. pulverat. ℈ I.
Cum ſucco Artemiſiæ. F. Maſſa pilularum, cujus doſis a ʒ I. ad ʒ II. & ſimplicius.

R. *Radic. Ariſtolochiæ rotundæ, & Rubiæ Tinctorum ana.* ℈ I. *vel* ʒ ſ. *Agariei trochiſcati gr. XV.* M. *cum ſyrupo de Artemiſia.* F. Bolus pro una doſi.

VIII. Sanguis *hirci ſilveſtris* præter alias utiles proprietates etiam menſe ciere valet a ſcrupolo uno ad dracham ſemis ſumptus ſub forma pulveris, aut boli aliqua decoctione ſolutus ſubſtitui poteſt ille hirci cicurati, at efficax minus experitur, ideoque doſis erit duplicanda.

IX. *Fermentum panificum vetus* ſumitur mane ad nucis juglandis volumen prope eruptionis tempus ſacchari anatica quantitate commixtum, & apozemate, vel aqua emmenagoga ſolutum; hoc magnifaciunt remedium; id tamen (*a*) Galeni auctoritate invaluiſſe ſuſpicor, qui diſcutiendi, & reſolvendi ei perperam tribuit facultatem, quod de externo uſu, non de interno erit intelligendum; verum, niſi utile intus ſumptum, innocuum ſaltem evadet.

X. *Aloes*: cujus ſuccus aqua roſarum lotus baſim conſtituit pilularum de *Aloe lota* vulgo, quæ cathartica, & ſolventi donantur virtute. Medici nonnulli ipſas in ſuppreſſionibus revocandis valde commendant ad ſcrupulum unum exhibitas, quidam illis ſcrupulum etiam addunt pulveris ſabinæ, quos imitari contendo.

Succus Aloes baſi cedit *Hieræ picræ* electuarii ſpecies obvia, quam hujus ingredientis ratione ad menſes ciendos (*b*) Galenus maxime laudat: exhibetur ipſa unius, vel duplicis drachmæ doſi ſimplex, vel dimidio ſcrupuli Caſtorei remixta in bolum redacta, ne amaritudine guſtum offendat, ei ſuperbibere neceſſe erit jus pingue, aut decoctionem idoneam, quæ illam ventriculo ſolvat.

Aloes ſuccus myrrha ſimul, & croco compoſitionem intrat *pilularum peſtilentialium Ruffi*, quare & ipſæ in ſuppreſſionibus commendantur per plures dies ſumptæ ad ſcrupuli ſemis, vel duorum ſcrupulorum doſim.

Tandem cum elyxir proprietatis Paracelſi ex tinctura ſpirituoſa earundem pilularum eliciatur, atque Garrus idem ſit B. M. diſtillatus, ideoque utiliter in men-

(a) *De Simplic. Medicament. Facult.* Lib. VIII. Cap. 16. n. 42.
(b) *De comp. Medicam.* L. VIII. C. III. *Et de Curand. ratione per venæ ſect.* Cap. 18.

menſtruis medendis ipſa uſuveniunt, primum ad guttas XV. ad XX., alterum cochleatim per plures dies idoneo ſummuntur vehiculo.

XI. *Porrum*. Hyppocrates, ſeu auctor libelli *de natura muliebri*, ipſum commendat ſucco braſſicæ copulatum, verum timeo ne effectus ſpem eludat.

XII. *Crocus Sativus*. Ejuſdem flores emmenagogi ſunt ſtomachici, & anodyni, ac multiplici ratione uſum habent, intrant pilolas peſtilentiales elyxir proprietatis, adduntur plerìſque præparationibus in hoc morbo uſitatioribus, ac modica doſi infunduntur apozematibus, & theiformibus, tandem ovorum vitello per dies nonnullos a duodecim uſque ad viginti drachmas exhiberi ſolet.

XIII. *Mercurialis*, quam inter plantas emmenagogas recenſuimus, & peſſariis fabrefaciendis cedere vidimus (*a*) *D. Arnaud de Villeneuve* plurimi exiſtimabatur, ut ſequentis compoſitionis baſim conſtitueret, quam in ſuppreſſionibus medendis magis faciebat.

R. *Succi Mercurialis*. & *Mellis deſpumati*, *ana*. ℥ I.
Farinæ Nigellæ quart. ſ. *vel q.* ſ. *ut poſſint confici pilulæ*
Doſis a ʒ I. ad ʒ II. per aliquot dies cum inſtat Catameniorum periodus.

XIV. *Myrrha* inter excellentiora, & validiora recenſetur remedia menſtruis revocandi idonea, quare omnibus pene bolis, aut opiatis permiſcetur magis obviis.

Plures extant præparationes, quarum myrrha baſim conſtituit: hujuſmodi ſunt trochiſci myrrhæ a drachma ſemis ad unam, cum haſtulo plantarum ſumpti, tum pilulæ Montagnanæ adhuc celebratæ.

R. *Trochiſcor. de Mirrha*. ʒ 2. ſ.
Semin. Apii, *Caſtorei*, & *Corticis Caſſie*, *ana*. ℈ I.
Moſchi gr. x. *Cum ſucco Apii ſormentur pilulæ* n. XII. Capiat duas mane per aliquot dies.

Si Pharmacopeas pervolveris, innoteſcet illas diverſimode reformatas fuiſſe, aut auctoris nomen, & vires eaſdem retinuiſſe.

XV. *Ferrum ſive Chalybs*, præter diverſas ipſius præparationes in hac re uſitatiſſimas reliquæ ſunt duæ ſimpliciſſimæ, & validiſſimæ quidem non contemnendæ: altera conflatur ex anatica parte limaturæ chalybis ſubtiliter pulveriſatæ, & foliorum calaminthæ cum ſufficienti ſyrupi artemiſiæ quantitate ſubacta; altera paratur ex croco martis apperientis ſulphure patrato, duplo cinnamomi acuti, & triplo ſacchari, quibus ſimul commixtis pulvis conficitur, aut rotulæ mane exhibendæ per plures dies a drachmæ ſemis, ad drachmam unam.

XVI. *Circer nigrum vel rubrum* cum radice ſimul appii diu ebullitum, addito ſub fine ebullitionis pauco croco, & cinnamomo, tum etiam butyri nonnihil ſimilibus uſibus cedit.

XVII. *Marrubium album*, *ſive Praſſium:* hoc infunditur, vel ebullitur parum in ſufficienti vini albi copia, & loco cœnæ calide hauritur, remedium optimum evadit, dubito tamen de laudibus eximiis, quas medicus (*b*) quidam ipſi tribuit.

XVIII. *Splen bovis caſtrati* duplici methodo pro catameniis præparatur. Prior deco-

(a) *Lib. de Mulier. ſterilitate*. C. 8. (b) Borellus *Centur.* IV. Obſervat. 14.

decoctione perficitur; ſplen enim recipitur integer ſanus, qui in fruſtula ſcinditur, ex quibus cucurbita ad medietatem repletur, hinc adduntur cinnamomi ruditer cuntuſi uncia una, caryophyllorum uncia ſemis, & croci ſativi drachmæ duæ cum ſufficienti vini albi quantitate, iis omnibus diſpoſitis operculum bene lutatum cucurbite nectitur, tunc per B. M. horarum viginti quatuor ſpatio omnia eruut ebullitura donec ſplen in pultem abeat; verum refrigeratione completa jus percolatur, & ad uncias quatuor per quinque ſequentes dies inſtantibus menſtruis ægris mane propinatur.

Altera methodus eſt (*a*) tincturam quamdam eliciendo, quam nunc oſtendemus.

R. Splen Bovis in minutiſſimas contritum portiunculas aliquot dies ſpirituoſa myrrhæ tinctura maceretur, ea vero fruſtula ſolis umbræ dein exſicato, & ex iis ſpiritu vini vulgari methodo tinctura eliciatur, & additis, ſi lubeat, paucis guttulis olei Angelicæ ut grata magis, & proficua evadat ad ſcrupulum unum idoneo ſoluta vehiculo per aliquot ante eruptionem dies exhibeatur.

Hæc poſtrema remedia, a (*b*) Paracelſo originem ducunt, qui primus, ut ego autumo, de Splene Bovino in menſtruis utili loquutus eſt; tamen neque auctoritas, neque experientia illa fovent, verum ſi qua eſſet in iis remediis efficacia ipſam pharmacis potius iis admixtis, quam lieni tribueremus.

XIX. *Caſtoreum*: liquor eſt pinguedinoſus empireuma redolens, qui billoculari duplici animali folliculo congeritur: utiliſſimum præſtat auxilium tum hyſtericis inſultibus, cum in menſibus provocandis, eum in ſubtiliſſimum pollinem redactum a granis decem ad ſcrupulum uuum, vel in tincturam a guttis quindecim ad triginta propinatur.

Remedia minus tuta in ſuppreſſionibus evocandis uſitata.

Quæ nunc enumerabimus remedia, tot ſunt auctoritatibus ſuffulta, ut nefas videatur ea contemnere; non contendo, interdum cum magis nomini viri aſſerant utilia evaſiſſe cum ad rem exhibita fuerint, & a doctis Medicis, qui idoneas circumſtantias detegere, & cautelas animadvertere conati fuerit, at, oh calamitas! indocti ſunt, qui illa præſcribunt haud infrequentes tum Agyrtæ, & Empirici omnes; quare nil mirum ſi in iis, in quibus audacia ignorantiam æquet, tot producant pernicioſos effectus

I. *Sabinam vulgarem* primum oſtendam, quæ ab auctoribus celeberrimis magnopere commendatur: hujuſmodi præparationes ſunt;

1. Decoctio foliorum aqua communi perfecta, ſimplex, vel ceteris plantis emmenagogis conjuncta, hujus doſis pro unaquaque ebullitione erit manipulus ſemis.
2. Aqua deſtillata, qua ceterarum emmenagogarum ſtirpium uſibus cedit ad unciæ circiter doſim.
3. Oleum venit Sabinæ deſtillatum, quod opiatis, bolis, & pilulis permiſcetur in ſuppreſſione uſitatioribus, pro ſingulis vicibus tres, quatuorve guttæ doſim præſtant.
4. Eadem remedia intrat plerumque Sabinæ extractum a ſcrupulo ſemis, ad ſcrupulum unum.
5. Syrupus Sabinæ hic deſcribendus, quem Medicus quidam (*c*) Alemannus *Secretum ſingulare* appellat, hunc utiliſſimum in ſæviori morbi ſtatu plures expertum eſſe affirmat

R. *Pa-*

(a) Vid. Oſvvalduus Crolius *in Baſilica Chimica*, p. 305. (b) *Archidoxorum* Lib. VII. *in fine*.
(c) Hieronymus Ruſmerus. *Obſerv.* 19. *In ſylloge Obſerv. & Curation. Medicinal. a VVelſchio edita.*

R. *Pulegii m.* II. ſ.
Artemiſiæ m. I. ſ.
Betonic. & Calaminthæ ana. m. ſ.
Sabin. m. III.
Satureiæ, Meliſſ. Menth. Abrot. ana. m. ſ.
Centaur. Minor. m. I.
Semin. Aniſi, Fænicul. ana. ʒ II.
Radic. Petroſelini, Aſparagi, Aſari ana ʒ VII.
Helenii ʒ I. ſ.
Polypod. ʒ I. ſ.
Zedoariæ ʒ I. ſ.
Dictam. ʒ I.
Macis, & Nucis Moſcat. ana. ℈ I.
Caryophyllor ʒ ſ.
Rhabarb. elect. ʒ VI.
Aquar. Betonicæ, Pulegii, Artemiſiæ ana. lib. II.
Satureiæ lib. I. ſ. Coq. ſ. a. *in colatura infund. Rhei* ℥ VI.
Stent per noctem, mane f. fortis expreſſio, & cum ſacchar. ſ. q. coquet ad Syrupi conſiſtentiam Doſis ab ℥ ſ. ad ℥ I.

Suſpicor tamen ſæpe ſæpius hujuſmodi remedia pernicioſa evadere, nam acres, & phlogiſticæ Sabinæ proprietates ſanguinis jacturam, vomitum, & convulſionem inducunt; ſyrupus nihilominus nuperrime deſcriptus minus damni inferre poſſe arbitror pro ejuſdem ſtirpis exigua doſi; at ille compoſitus nimis videtur.

II. *Cucumis ſilveſtris, ſeu aſininus*: hic acris eſt, ſolvit, & alvum ciet violenter; quidam ipſum multiplici ratione in ſuppreſſionibus adhibent, quare præſcribere ſolent, vel

1. Decoctionem ex radicis contuſæ drachmis tribus confectam, vel
2. Succum ex foliis expreſſum, & depuratum ad drachmam unicam, vel cum dimidio, aut
3. Idem inſpiſſatum ad extracti conſiſtentiam, *Elaterium* vulgo, cujus doſis duo, vel tria grana non ſuperat.

Ea decoctionibus, ſyrupis, bolis &c. emmenagogis ſolent copulari; verum cum frequenter nocua experiantur, vel raro caute, vel nunquam uſuveniunt.

III. *Bryonia, ſeu Vitis alba*, pro catameniis revocandis ejuſdem radicis ad drachmas duas ebullitæ decoctionem proponunt, vel *Feculum* bryoniæ ſedimentum videlicet a ſucco expreſſo reliquum decem, aut duodecim granis exhibitum.

Pernicie ea nihil Sabinæ, aut Cucumeri inferiores ſunt, ideoque ſapientis erit, vel eorum cavere uſum, vel minima uti doſi.

IV. *Dracontium majus* vel *Dracunculus, & Dracontium minus*, ſive *Arum*: hæ plantæ acres, cauſticæ, urentes ſunt intus proinde ſumptæ damnum inferunt, neque auctores imitari ſuadeo, qui in hoc morbo baccas ex iis plantis deceptas, aut baccarum ſuccum inſpiſſatum commendat.

V. *Helleborus niger*: hujus radix menſibus medendis haud inutiliter cedit, dummodo caute adhibeatur, ejuſdem fruſtulum ſumitur drachmam æquans, & in taleolas diviſum, quæ malo inſeruntur igne coquendo, eo cocto radix excipitur, pomumque comeditur mane jejuno ſtomacho, tertio quoque die per aliquod tempus in hoc remedio perſiſtendo, præcedentibus minus nocuum obſervatur, nihilo ſecius caute erit propinandum.

VI. *Cantharides* ab Hippocrate, vel auctore libelli de *Natura Muliebri* magnopere commendantur, intuſque ſumi quinas, poſtquam pedes, alæ, & caput ſe-

paratæ fuerint, ſuadet: ipſius tamen auctoritas non valebit, earumdem inſenſiſſimum confirmare uſum.

Lumbrici terreſtres cantharidibus ſubſtitui poterunt, periculoſi minus, & efficaces magis, a drachma ſemis, ad ſcrupulos duos.

Cicindellæ etiam uſum habent inter emmenagoga remedia & lumbricis acriores ſunt, iiſque cautius, & minori doſi uti tantum fas erit

VII. *Sanguis ex menſtruata muliere*: in quibuſdam Alemannorum Provinciis linteolum hoc ſanguine intriſum aqua luere ſolent, quam menſtrua deſiderantibus propinant; (*a*) Medici etiam non deſunt, qui hanc praxim non contemnunt, ipſoſque optimos effectus expertos eſſe teſtantur; ego, tum obſervationem, cum ab ea derivatas conſecutiones contendo; nihilo tamen minus remedium, etſi futile, atque indecens appareat, nullum tamen damnum afferre poſſe video, niſi ex ægra, aut ulcere correpta muliere ſanguis ille fuiſſet deſumptus.

CAPUT V.

De menſtruis ſuppreſſis organi vitio.

§. I.

Deſcriptio.

INterdum catameniorum regreſſus obviis periodice indicatur phœnomenis, ut ſi ille revera eſſet ſecuturus; ideoque regulariter in uterum affluere ſanguinem conſtat, nulla apparente eruptione organi vitio impedita.

Triplici de cauſa id oriri poterit: 1. Vel membrana ſepti modo intra vaginam locata fluxum intercipit: 2. Vel carnea ibi nata protuberantia, quæ occludit, repletque vaginam. 3. Vel cicatrix, quæ tunicas, aut parietes vaginæ, aut pudendorum labia conglutinat, eorumque cavitatem intercludit.

I. Ea ſuperius deſcripta membrana, obſervatione docente, poſitum variat; modo vaginæ orificium obducit, modo intimius penetrans uteri oſtium obtegit, plerumque levis eſt, membranacea, raro denſa, compacta, & calloſa reperitur.

II. Variat pariter protuberantiæ adhæſio; intra vaginam plerumque a pudendis non multum diſtat, interdum prope uterum creſcit, ea carnea adipoſa, glanduloſa, aut ſteatomatoſa apparet plus minuſve extenſa.

III. Cicatrix vero modo hic totum vaginæ ambitum peragrat, nunc laxa, & ſuperficialis, nunc firma, & conſtipata videtur, modo oppoſitos parietes per exiguum nectit ſpatium, modo ampliorem gignit cohæſionem; obſervatione quandoque etiam didicimus labia ita coire, ut anguſtiſſimum tantummodo urinæ exitui foramen relinquant.

Diverſitates hæ omnes obſervatione ſunt ſuffultæ, cauſas vero ſequenti articulo indicare potiſſimas conabimur; impræſentiarum ſufficiet animadvertere nullam ab iis nondum menſtruantes mulieres moleſtiam pati: poſtea vero, cum jam menſtruationis tempus attigerint, vel alias menſtruatæ fuerint, ſi ipſis retentio ſupervenerit, donec initio morbi eixguus erit ad uterum ſanguinis affluxus, parum erunt detrimenti paſſuræ, aucta tamen infarcientis cruoris copia, abdomen inflari, tendi, atque cruciari, vaginam, ac pudenda tumefieri, artus

(a) Daniel Ludovicus *in Ephemerid. Natur. Curioſ. Germ.* Decur. I. Ann. 9. & 10. Obſerv. 35. Andreas Myrrhen. *Ibid.* Decur. III. Ann. 9. & 10. *Obſerv.* 215.

artus inferiores œdematoſi fieri incipient, ægræ denique corporis gravedine, tumoribus, guſtus abolitione, & digeſtionis læſione vexari, febris tandem erratica apparebit pluribus aliis copulata cruciatibus, quæ, fruſtra remediis efficacioribus adhibitis, hydropem, gangrænam, atque letalem conſumptionem inducere potis erit.

§. II.

Cauſæ.

I. MEmbrana, quæ vaginæ ingreſſui proxima conſpicitur, ea eſt, quæ hymen appellatur in virginibus a natura fabrefacta, ut præcipuam, etſi incertam, earum integritatis notam præſeferat; a ſtatu naturali in noſtro caſu diſtat, cum enim perforata naturaliter appareat, prorſus impervia nunc ſiſtat.

Me non latet hujuſce membranæ exiſtentiam plures negaſſe (*a*) iiſque illuxiſſe, qui hanc prædicarunt, credulos nimis anatomicos fuiſſe ſuadendo, cum plures defenderint nunquam, vel morbi tantum cauſa in diſſectis cadaveribus ipſam reperiiſſe.

At quidquid animoſe affirment, qui contrariam amplectuntur ſententiam, nedum imponere valebunt ſi iis magni nominis viris fidem facere velimus, qui hymenem detexerunt, illuſtraruntque; inter eos recenſentur (*b*) Berengarius Carpus, (*c*) Veſalius, (*d*) Fallopius, (*e*) Coiterus, (*f*) Varolius, (*g*) Riolanus, (*h*) Veslingius, (*i*) Bartholinus, (*k*) plureſque alii infra enunciati celebriores decimi ſexti, vel decimi ſeptimi ævi anatomici; minus vero eorum imponere debebit opinio cum noſtris temporibus, a clariſſimis anatomicis (*l*) Laurentio Heiſtero, (*m*) Friderico Ruyſchio, celebratiſſimo (*n*) Morgagnio noſtra ſecunda fortuna adhuc vivente, & (*o*) Jacopo VVihslovio confirmata videatur; hi omnes ſimul conſentiunt, virginibus omnibus illam reperiiſſe ea de cauſa diſſectis; meum viſus addo teſtimonium, etiamſi ſupervacaneum cenſeam poſt tot illuſtres auctores, qui meam fovent ſententiam

Reliquum enim erit judicare illos, qui membranam numquam vidiſſe teſtantur, vel imminutas tantum mulieres obſervaſſe, vel perperam præoccupatos vaginam ea prorſus obduci debere, hymenem non conſpexiſſe, dum ipſam in pro-

(a) Ludovicus Vaſſæus *Tabul. anatomic.* Realdus Columbus. De re anatomic. Lib. XI. Cap. 6. Joh. Fernelius *Phyſiolog.* Lib. I. Cap. 7. Ambroiſe Parè *Œuvre de Chirurgie* Liv. III. Chap. 34. & Liv. XXIV. Chap. 49. Franciſcus Valeſius *Lib. de ſacra Philoſophia* Cap. 25. Horatius Augenius Tom. II. *Epiſt. & Conſult. Medicin.* Lib. I. Severinus Pinæus. *De notis virginitatis*, Lib. I. Cap. 9. Andreas Laurentius *Hiſtor. anatom. Corpor. human.* Lib. VII. Cap. 12. & q. 13. Marc. Anton. Ulnus *De utero* Sect. I. Cap. 7. Hercules Saxonia *Praxeos Medicæ* Lib. IV. Cap. 4. Franciſcus Ranchinus *De morb. Virg.* Sect. I. Cap. 4. Nathanael Highmorus Corpor. humani diſquiſit anatom. Lib. I. Part. IV. Cap. 4. Regnerus de Graaf. *De mulier. organis* §. De Hymene, Pietre Dioniſ. Operat. de Chirurgie Demonſtr. 3. Jean. Palfin. Deſcript. des parties des Femmes, qui ſervent a la generation.

(b) Jacobus Berengarius Corpus, *In Iſagogæ anatomica.* (c) Andreas Veſalius, *de corp. human. fabrica* Lib. V. Cap. 15. & in Epiſt. ad Joachimum Rolantes, *de radicis Chinæ uſu.*

(d) Gabriel Fallopius, in *Obſervat. Anatomic.* (e) Volcherus Coitherus, *in bul. anatomic.*

(f) Conſtantinus Varolius, Anatom. Lib. I. Cap. 16. (g) Johannes Riolanus, *Anthropogr.* Lib. I. Cap. 16. (*h*) Johannes Veslingius *Syntagmat. anatomic.* Cap. 7. (i) Thomas Bartholinus, *Anatom.* Lib. I. Cap. 31. (k) Johannes VVierus *Obſervat.* Lib. I. Et *de Lamiis* Lib. III. Cap. 20. Archangelus Piccolominus, *Prælection. anatomic.* Lib. III. Cap. 5. Scip. Mercurius, *delle Comare* Lib. I. Cap. 2. Franciſcus Plazzonus *de partib. generat.* Lib. II. Cap. 5. Adrianus Spigellus, *de hum. corp. fabrica* Lib. VIII. Cap. 18. Melch. Sebizius, Exercit. Medic. XLVII. Dominicus Panarolus *Pentecoſt.* V. Obſerv. ultim. Isbrandus de Diemembroekc, Anatom. Lib. I. Cap. 16. Johannes Svvammerdamius, *de uteri muliebr. fabrica* in tabulis; Gerardus Blaſius, in *Obſerv. anatomic.* Johan. Gaſparus VVeſtphalus, Ephem. Cur. Germ. Dec. II. Ann. 8. Obſerv. 215. Hermannus Fridericus Theichemeyerus Inſtit. Medic. legalis, & forenſis Cap. 4. (l) Laurentius Heiſterus, *in Compend. anatom.* Et *Ephem. Natur. Curioſ.* Cent. VIII. Obſerv. 69. (m) Fridericus Ruyſchius, Theſ. anatom. III. n. 15. VI. n. 1. VII. n. 60.

(n) Johan. Baptiſta Morgagni, *Adverſ. Anatomic.* I. 29. IV. 23. (o) Jacques Benigne VVinslovv.

propatulo habebant; quam ob rem illam frequenter ſine nomine deſcripſerunt, quod magis veriſimile eſt, & ab illorum obſervationibus deduci poſſe videtur.

Idcirco ne impoſterum dubitationi locus relinquatur hymenem naturali ſtatu deſcribere fatagam, prout auctores, & cadaverum inſpectio me docuerunt.

Hymen ex intima conflatur vaginæ tunica, quæ circa ejuſdem orificium inflectitur, ejus duplicatio circum adhærens limbum refert anularem, qui latior prope anum apparet, ad latera anguſtior, anguſtiſſimus ſuperius urethram verſus. Cum anulum efformet tunica, quæ internam vaginæ ſuperficiem induit, ideoque utraque facie rugoſus apparebit, anularis hæc membrana, ubi ea vaginæ orificio cohæret, craſſior eſt, cellularis ergo illic inter duplicem tunicam jacentes, quæ in margine abit, exiliorque ſit hymen, ipſam componentibus laminis coalitis, ac paucis exiguis vaſculis ſanguineis tantum refertur. (*) In ſtatu naturali in medio finditur circulari plerumque foramine ovali, oblongo, & irregulari quandoque, cujus amplitudo pro ſubjectis, eorumque ætate variare ſolet: celeberrimus Morgagnus fatetur ſemel hoc inveniſſe oſtium a perpendiculari membrana diviſum, idem teſtatur Valſalva, quod non raro accidere poſſe autumarunt, quare auctores hymenem *Columnam virginitatis* appellare conſueverunt:

Ex hac deſcriptione concludi poteſt. 1. Interdum hymenis foramen (*p*) unicum reperiri quale eſſe debet, ſed anguſtum valde. 2. Quandoque a perpendiculari columna in duas (*q*) diviſum ſemitas exiguas modicæ aperitionis loco. 3. Quandoque præter priorem diviſionem a perpendiculari natam caruncula, pluribus intertexi (*r*) orizontalibus, obliquis columnis, ut hymen cribrum referat. 4. Tandem hymenem aliquando prorſus (*ſ*) imperviam eſſe, ut perfecte vaginam occludat.

In tribus prioribus caſibus communicatio uteri cum vagina etiamſi difficillime peragatur, aliqua tamen ratione fieri poteſt; poſtremo vero caſu frequentioribus exemplis conſtat eam prorſus communicationem intercipi; puberes, quæ hoc deformantur vitio, a Græcis Ἀτρηταί appellantur; a Latinis vero Medicis *Imperforatæ*, *Clauſæ*, aut *Velatæ*, ab Italis *Coperchiate* ipſæ vocantur: Romani proprio deficiebant vocabulo, & circumlocutione illas indicabant; quare (*t*) Cicero ſomniando vidiſſe mulierem affirmat, *quæ obſignatam habebat naturam*, (*u*) Plinius vero narrat quod Cornelia Grachorum mater *concreto genitali nata fuerunt*.

Ea porro, quæ adhuc dicta ſunt ſolam membranarum originem explicant, quæ ad vaginæ orificium locantur ubi hymen ſedem habet, ibi pariter oriuntur eæ omnes vitiatæ tunicæ, de quibus nuper loquuti ſumus, nam ſi quis ultra vaginæ marginem trans hymenem hujuſmodi obſervarunt membranas, ut (*x*) Ruy-

ſchius Obſerv. ... [continued]

lovv. *Expoſit. Anatomique* num. 653. (*) Limina hujus membranæ defloratione diſruptæ carunculas mirthiformes gignunt. (p) Ambroiſe Pare *Œuvres de Chirurgie* Lib. XXIV. Chap. 49. Petrus Foreſtus *Obſerv.* Lib. XXVIII. Obſerv. 33. Joannes Schenkius *Obſerv. Medicinal.* Lib. IV. Obſerv. 97. ex Adverſariis Dryandi. Daniel Sennertus *De Morbis Mulierum*, Part. I. Sect. I. Cap. 3. Gerardus Blaſius *in Obſerv. Medicis rarioribus*. (q) Joannes Schmidius. *Miſcel. Cur. German.* Decur. I. anno 3. Obſerv. 24. Et annis 4, & 5. Obſ. 157. (r) Guillelmus Fabricius Hildanus Cent. III. Obſerv. 60.

(ſ) Antonius Benivenius *De abditis morb. & ſanat. cauſis*. Cap. 28. Caſparus VVolphius, *in Obſervat.* apud Schenkium. Joannes VVierus, *De præſtigiis dæmonum* Lib. II. Cap. 38. Rambertus Dodonæus *Medicinal. Obſervat.* Cap. 34. Bartholomæus Cabrolius *Obſerv. Medicar.* 23. Gaſparus Bauhinus *Theatr. anatom.* Lib. I. Cap. 39. Hieronymus Fabricius *ab Aquapendente Operat. Chirurgic.* Cap. 81. Guillielmus Fabricius Hildanus Cent. III. Obſ. 60. *exempl.* 1. & 2. Jobus a Meeckeren. *Obſerv. Medico Chirurg.* Cap. 55. Acta Eruditorum Lipſienſia *Anno I. Septembr. Obſerv.* 6. Joannes de Muralto *M. N. Cur. Germ.* Decor. II. 3. Obſ. 151. Cornelius Solingen. *De arte obſtetricia*. Daniel Meno Matthiæ *Obſerv.* 6. Franzois Mauriceau, *Obſerv. ſur la groſſeſſe* Obſerv. 231.

(t) Cicero, *De Divinit.* Lib. II.

(u) Plinius, *Hiſtor. natur.* Lib. 7. Cap. 16.

(x) Fridericus Ruyſchius *Obſerv. Chirurgic.* 22. & 32. Simon Scultzius *Miſc. Nov. Curioſ. German.* Dec. I. Ann. 3. Obſerv. 3.

Ruyſchius, & medicus quidam Romanus aſſeruere; ac prope uteri oſtium, ut obſervatio (*y*) Accademiæ Pariſienſis affirmat, id difficultatem augere videtur, nam præter naturam, & monſtruoſe accidere neceſſe erit, quod raro tamen eveniet; illud tamen minus implicat, ſi animadverterimus omnem corporis cavitatem ſimilibus læſionibus eſſe obnoxiam; conſtat enim pluries inveniſſe rectum inteſtinum ſepto carneo ad anum obductum, quod præternaturale videtur.

II. Carneæ excreſcentiæ quæ replent, occluduntque vaginam triplicis ſpeciei ſunt.

Quandoque hujuſmodi protuberantia (*z*) *Fungus*, ſeu *Champignons* appellatur, ex neglectis creſcit ulceribus, hac de cauſa ulcera celtica, aut benigna vulvæ carneæ excreſcentiæ locum præbent, quæ ſpongioſæ, molles, duræ, vel ſyrroſæ fiunt; ampliores ſunt, vel exiguæ; latæ vel oblongæ plus minus apparent pro ratione lymphæ retentæ, morbi pertinaciæ, aut quod occupant ſpatii.

Interdum haſce excreſcentias (*aa*) producunt carunculæ mirtiformes, aut vaginæ rugæ oblongatæ, vel tumor glandularum, aut cellularum (*bb*) adipoſarum hujus organi; harum partium vero augmentum ab obſtructionibus, aut calloſitatibus originem habet, quæ lympham morboſam retinent, in hoc caſu excreſcentia plerumque nervoſa, glanduloſa, aut pinguidinoſa eſt, modo lata, modo anguſta, modo mollis, modo dura ſiſtit in ratione partis affectæ, aut lymphæ ſpiſſitudinis.

Tandem protuberantiæ quædam veniunt perpendendæ quæ *lupias* referunt, ſeu tumores duros, ſteatomatoſos per internum vaginæ ambitum late reptantes; continenter eæ molles ſunt, earumque volumen a morbi perſiſtentia, aut lymphæ congeſtæ copia determinatur.

Ipſæ vero cujuſve ſint generis frequentius trans pudenda creſcunt, quia illa magis ulcerationibus, & carunculis ſunt obnoxia, ac facile intumeſcunt; id tamen minime impedit vaginæ intimam ſuperficiem ſimilibus vitiis, aut tumoribus affici poſſe.

III. Cicatrices poſtremum quæ vulvæ parietes ſimul conjungunt ejuſdemque lumen obſtruunt: ab ulceribus, aut ſciſſuris proveniunt, quæ neque ſatis deterſæ, neque mundatæ fuere, idem (*cc*) pariter parere valent cancer ex lue venerea ortum, (*dd*) excoriationes ex urina acri infantum inter incunabula retentam, varioloſæ puſtulæ ſupuratæ, (*ee*) combuſtiones, ſciſſuræ a vulneribus natæ, (*ff*) aut laborioſi partus, (*gg*) omnia indicatis obſervationibus confirmata.

Cum pudendorum labia, & vaginæ oſtium magis pateſcant ea ulceribus etiam, exco-

(*y*) Memoires de l'Acadèmie des Scientes *Ann.* 1705. Hiſtoir. pag. 52.

(*z*) Nicolaus Tulpius. *Obſerv.* Lib. III. Cap. 33. Chriſtophorus Vælterus, *Schol. obſtetric.* Part. II. Cap. 19. Acta Berolinenſia *Dec. II. Vol. V. pag.* 85. Acta Eruditorum Lipſienſia *Ann.* 1726. *Octob. pag.* 480.

(*aa*) Antonius Benivenius, *De abditis morb. & ſenet. cauſis Cap.* 79. Johannes VVierus. *Obſervat. Lib. I.* Acta Curioſorum Naturæ *Decur. III. An. I. Obſerv.* 144. Nicolaus Tulpius, Obſervat. Lib. III. Cap. 34. Diſſequi in mulieri quadraginta annorum tumorem ſtheatomorum ſphæricum altero parietum vaginæ lato peducunlo adhærentem, qui duplicem pendebat libram.

(*bb*) Anatomici qui hymenis exiſtentiam contendunt caruncula mirtiformes putant a primitiva conformatione originem habere. At cum in ea, ſententiæ parte ita in hac decipiuntur, nam ſi hymenem reperieris numquam carunculas videbis & ſi carunculas numquam hymenem, id confirmat carnuculas marginem tantum eſſe conciſæ hymenis, quæ diverſimode inflexa in parvulas, appendices, illum producit.

(*cc*) Antonius Benivenius. *De abditis morb. & ſanat. cauſis.* Cap. 31.

(*dd*) Isbrandus de Diemerbrock. *Anatom.* Lib. I. Cap. 26. Johannes Nicolaus Peclinus. *Obſervat. Medico-phyſicar.* Lib. I. Cap. 25.

(*ee*) Paulus de Sorbait. Ephem. Curios Natur. Decur. I. Ann. 3. Obſerv. 173.

(*ff*) Gregorius Horſtius *Operum Tum. II. Lib. IV. Obſerv.* 55.

(*gg*) Marcellus Donatus. *De media Hiſtoria mirab. Lib. VI. Cap.* 2. Johannes Riulanus, pater, Art, bene medendi Sect. IV. Tract. 2. Cap. 1. Caſparus Bauhinus. *Theatr. Anatom.* Lib. I. Cap. 39. Et *De Hermaphroditis.* Lib. I. Cap. 38. Felix Platerus. *Obſerv.* Lib. I. pag. 258. 259. Guillelmus Fabricius. Hildanus. *Obſerv.* Cent. VI. Obſ. 67. Johannes Riolanus, filius. *Enchirid.* Anatom. Lib. II. Cap. 37. Et *Antropograph. Lib. II. Cap.* 35. *pag. m.* 197. Thomas Bartolinus. *Hiſtoriar. Anatom.* Cent. II. Hiſtor. 31. Rudolphus Jacobus Camerarius. *Miſc. Na. Curios. Herman.* Cent. IX. & X. Obſerv. 73. Johannes Conradus Beckerus. De inculpata μαιδαχτορία §. XVIII. & ſeqq.

excorationibus &c. ſunt magis obnoxia, ibique facilius coaleſcunt vaginæ parietes, quamvis prope matricis os idem evenire poſſit; ſi quod eorum fœnomenorum illuc nanſciſcatur.

De cætero hujuſmodi cohæſio ubivis iis de cauſis fiat compacta, vel laxa; externa, vel profunda, plus minuſve, aut extenſa apparebit prout ulcera, ſciſſuræ, aut excoriationes diverſimode locutæ fuerint, quod maximam concomitantium varietatem inducere potis erit.

§. III.

Differentiæ.

I. PRima differentia inter conformationis vitia, quæ vulvam, aut vaginam reſpiciunt, ab ipſorum deſumitur natura, quæ triplicem agnoſcit vitii ſpeciem; aut membrana quæ vaginam intercludit, aut natam excreſcentiam, quæ illam obduxit, aut parietum cohæſionem, quæ ipſam pariter occludit.

II. Secunda differentia a vitiorum eorum origine nanciſcitur; nonnulla enim ad primam nativitatis conformationem pertinent, hujuſmodi ſine membranæ vaginam obſtruentes, alia a nativitate conſpicua fiunt, ut carneæ protuberantiæ, quæ cavitatem obturant, aut cicatrices pudenda, vulvamque jungentes.

III. Tertia ducitur differentia ex natura, & numero functionum læſarum; quapropter ut recte judicemus, quinque præcipuas uteri functiones perſcrutari oportebit; menſtruationem videlicet, copulam, conceptionem, partum, atque urinæ exitum.

1. *Menſtrua* quandoque iis etiam obſtantibus idoneo relicto ſpatio libere erumpunt, interdum lente, aut difficillime perfluunt, meatus anguſtiæ cauſa, alias prorſus deſunt vagina penitus obturata.

2. *Matrimonii uſum* ea obſtacula implicant, quando vaginæ orificium inveſtiunt, minime vero ſi intimius vel prope uterum ſint locata.

3. *Conceptioni* ea aliquo modo officiunt, poſſibilis tamen videtur, modo uteri, cum vagina communicatio penitus non intercipiatur, aut matrimonii non impediatur uſus, non deſunt tamen obſervationes, quæ in iis caſibus concepiſſe mulieres affirmant.

4. *Partus* difficilis, diutinus, ac laborioſus redditur, quando organi vitia meatum coarctant; impoſſibilis vero ſi illum occludant, niſi intumeſcentia, (quod aliqua obſervatio docet) a geſtatione orta, cicatrices illas ante (*a*) partum frangat, quæ vaginam conglutinant, atque conſtringunt.

5. *Urinæ exitum* minime impediri poſſe arbitror a vitiis intra vaginam, aut circa ejuſdem orificium adnatis; citra hoc enim urethræ foramen patet, ac ob ea, quæ intra vulvam adſunt incomoda rariſſime ſufficiens ſaltem implicabitur urinæ (*b*) tranſitus, unicam obſervationem porro didici, quæ hanc videtur offendere ſententiam.

6. Plures alii dari poſſunt caſus ex ſimplicibus compoſiti, quorum ſingularem indaginem ſupervacaneam cenſeo, cum ex ſimplicium notione adhuc animadverſa facile innoteſcant.

§. IV.

(a) Gullielmus Harveus. *De partu*. Thomas Bartholinus. *Hiſtoriar. anatom.* Cent. V. Hiſt. 43. Franciſcus Paullinus. *Ephem. Curioſ. Natur.* Dec. II. ann. 7. *in appendice*, Obſerv. 9. Dec. 7. Memoires de l'Academie des Sciences, Année 1712. Hiſt. pag. 37.

(b) Apud Gregori. Horſtium, *Operum Tom. II. Lib. IV. Obſerv.* 55.

§. IV.

Symptomata.

1. CONformationis vitia nondum menſtruationis mulieribus nullum ipſis damnum inferunt, nullamque functionem lædunt.

2. Supervenientibus etiam catameniis nullo conqueruntur incommodo, eaque libere ſtillant, dummodo effuſio penitus non intercipiatur, vel nova uterus munera non ſubeat, aut puberes in virginitatis ſtatu perſiſtant.

3. At ipſis jugatis, ea vitia facile poterunt copulam, conceptionem, aut partum implicare, duas nempe, vel tres ſimul earum functionum pro loco, & vitii indole lædere.

4. Si hujuſmodi vitia omnino vaginam repleant, fluxumque impediant, ſymptomata conſequutura eſſe credideris primæ eruptionis propria; tunc maximam difficultatem ægras pati videbis, nam fœnomena omnia periodice evenient, quæ illa indicare ſolent, abſque quo unquam erumpant.

5. Hujuſce rei ſuſpicio augetur, cum affluens ſanguis uterum inflet, diſtendet, atque dolentem reddat, ut hujuſmodi ſymptomata pro uteri obſtructionibus haberi videantur.

6. Abdomen tandem tumet magnopere, & ſanguis utero retentus vaginam premendo intercludit ita cruoris e vulva regreſſum, ut œdemati ſpeciem inducat, quæ novas ſuſpiciones præbet.

7. Cum imi ventris tumor uteri poſitui reſpondeat, & cum eo una circumſcribatur, nil mirum ſi frequenter ægræ fetum gerere ſibi ſuadeant.

8. In diem matricis inflatio creſcens venas iliacas continenter premit quæ refluxum ſanguinis retardando pedum, crurum, aut femorum œdemata neceſſario erunt ſuperventura.

9. Matrice amplius dilatari impedita, ut ipſa nequeat ſanguinem recipere, qui ſingulis menſibus uterum petit, in ſimilibus circumſtantiis ægræ verſari debebunt, ac ſi menſes revera ſuppreſſi fuiſſent, ac, ſicut *cap.* IV. indicavimus guſtus læſione *Pica* videlicet *Malacia*, tum digeſtionis detrimento, nauſea, atque vomitu cruciabuntur.

10. Facile porro videtur ſanguinem uteri cavitate detentum circumpoſito calore corrumpi, cujus putreſcentiæ gradus plus, minuſve intenſus fiat pro diverſa ſanguinis conditione, aut deleteria indole; quare ſanguis, quem inciſionum auxilio tunc uterus effundit, fetidus, corruptus, ac. putrefactus pene reperitur.

11. Dolores itaque imi ventris, deturpatæ digeſtiones, atque corruptus ſanguis, qui lympha permiſcetur per vœnas uteri lymphaticas circulanti, febrilem excitat commotionem perſiſtentem, levem tamen, & anomalis exacerbationibus obnoxiam diverſarum cauſarum ergo, quæ intenſitatem, reditumque variant, ut lentam heraticam febrem perbelle deſignent.

12. In iis mulieribus, aut puberibus, quæ jam menſtruis gaudent, quibus per accidens conformationis vitia ſuperveniunt, quæ niſi ſecundæ aut tertiæ ſpeciei eſſe poterunt, ea fœnomena omnia inducere valebunt in iis obvia ſuppreſſionibus, quæ a vaginæ, aut vulvæ completa occluſione originem habent; illa autem celerius, intenſiuſque evenient, nam menſes diu confirmati, & uberrimi, qui citius uterum replerunt, citiſſime etiam ad ſummum gradum ſuperallata perducent ſymptomata.

§. V.

Diagnoſis.

I. VItia conformationis, quæ a natalibus ſortita ſunt, ut membranæ quæ vaginam intercipiunt in infantibus minime conſpiciuntur modo vulvam non aggrediantur, quod nullo confirmatur exemplo; plerumque vaginæ defectus niſi adultis, aut jugatis mulieribus obſervari licuerit, quando initio menſtruationis fluxus impeditur, vel quando jugatis, perſiſtentibus menſtruis matrimonii uſus implicatur.

Haud infrequenter nos latent hujuſmodi incomoda etiam ſuppreſſis menſtruis vel ſero percipiuntur, poſtquam diu ſuſpicati erimus ægras conceptu (*a*) laboraſſe, de quo innocentes erant, vel hydropem paſſas fuiſſe, de qua numquam conquerebantur, cum vero ſint connubio junctæ interdum accidit ſponſos minus expertos niſi poſt longum tempus conſummationis impedimenta agnoſcere, qui verentur cuique dubitationem communicare.

Itaque quotieſcunmque mulieres menſtruis deficiunt etiamſi periodice ſingulis menſibus ſymptomatibus vexentur menſtruis obviis, & abdomen in diem ſine cauſa manifeſta increſcat, tunc ſuſpicari licebit vitium conformationis adeſſe, quam ob rem ſi parum cunctaberis circa exteriorem imi ventris indaginem, omnis difficultas evaneſcet; nam uterus conceptu carens tumidus tamen apparebit, ſphœricus, æqualis, atque mollis; verum compreſſus nulla commotio perſentietur, quod nullum fœtum exiſtere deſinat, & ſola aqua, aut ſanguine infarciri uterum confirmat, quare vaginæ meatum examinando omne geſtationis dubium aufertur.

II. Inter vitia conformationis accidentalia excreſcentiæ carneæ, quæ ſenſim per congeſtionem fiunt diu latere poſſunt, tum in puberibus, cum in conjugatis, ſi intimius vaginæ adhæreant, verum cum raro amplitudinis ergo menſes intercipere valeant, vel niſi poſt longum tempus id accidat; itaque ſæpiſſime plures feminæ tuberculis, lupiis, aut hujuſmodi protuberantiis laborantes, in hoc ſtatu diu perſiſtunt citra ullam hujuſmodi ſuſpicionem.

III. Res aliter ſe habet, ſi cicatrices vaginæ, aut vulvæ parietes jungant, illæ enim, a cognitis cauſis, ſciſſuris videlicet, combuſtionibus, aut ulceribus neglectis, derivant, ut omnium hujus partis læſionum hæc facilius innoteſcat.

IV. Cujuſve ſint generis vitia illa, vel ubivis locata nihil eſt facilius, quam eorum exiſtentiam, poſitum, aut naturam detegere, ſatis erit vaginam digito oblinito penetrare, aut ſpeculo uteri, aliove inſtrumento uti, quibus interior vagina oculis ſubjiciatur, lactitantia hinc fœnomena oſtendens, quæ tactus impar fuerat inveſtigare.

V. Cauſarum vero indago fruſtranea videtur, nam earum cognitio parum influit in morbi prognoſi, aut curatione, idcirco ſi cui libuerit rem intimius perſcrutari hanc theoriam cum cognita morbi indole, & ſpecie comparet, & notiones perpendat, quæ ægræ valebunt ſuppeditare.

§. VI.

(a) Johannes VVierus *De præſtigiis Dæmonum* lib. II. Cap. 38. *Caſus ſecundus*. Bartholomæus Cabrolius. *Obſerv. Medic.* 23. Guillielmus Fabricius Hildanus. *Centur. III. Obſerv.* 60. *Exempl.* 3. Johannes de Muralto. *Ephem. Cur. Natur. Dec. II. ann.* 3. *Obſerv.* 151.

§. VI.

Prognoſis.

PRognoſis verſatur vel circa detrimenta, quæ organi vitia ægris afferunt; vel circa difficilem medendi rationem.

I. Ea damna in mulieribus citra geſtationem exiſtentibus menſtruorum ſuppreſſionem facere, atque in gravidis difficiliorem partum inducere valebunt.

1. Retenſionis reſpectu, vidimus jam ſuperius damna hinc derivata qualia, & quanta eſſe poſſint pro diverſa ſuppreſſionis pertinacia.

Subſequuntur ex iis infenſas magis evadere membranas, quæ exacte vaginam claudunt, quam eas, quæ vel aliquo ſunt pertuſa foramine, vel quam etiamſi exiguam pandunt exeunti ſanguini viam.

Verum eaſdem membranas vaginam penitus obtegentes majorem noxam afferre quam cætera harum partium vitia, excreſcentiæ videlicet, & cicatrices, quæ abſolute nunquam menſtruam ſupprimunt.

Cicatrices tandem; quæ pudenda coeunt carneis protuberantiis magis moleſtas eſſe, quia fluxuro ſanguini arctionem tranſitum relinquunt.

2. Circa partus expulſionem ea vitia ſunt magis pertimeſcenda, quæ remediis ſubjici nequeunt.

Ideoque cetetis paribus membranæ denſæ, compactæ, & calloſe, ſubtilioribus laxis, gracilibus, magis pernicioſæ experiuntur.

Ita protuberantiæ carneæ exiles, ſuperficiales, adipoſæ, atque molles, minus detrimenti inferunt, quam craſæ, duræ, & ſyrrhoſæ.

Tandem cicatrices laxæ, arctæ, patentes, minus lædunt, quam latæ, & compactæ.

II. Valetudini recuperandæ objicitur præſertim membranas ſecandi difficultas.

Idcirco membranæ tenuiores, quæ facile incidunt ad vaginæ oſtium ſucreſcentes, dito etiam convaleſcunt, at quæ intimius penetrant difficillime evelluntur.

Excreſcentiæ vero carneæ ſegnius ſanantur, cum haud facile ferro, aut cauſtico poſſint eradicari, præſertim ſi latæ, profundæ, ſyrrhoſæ, aut amplio-ri baſi adhærent.

Cicatrices arduum pariter erit ſecare, cum membranas vaginæ ſimul coalitas difficillimum ſit ſeparare, præſertim cum per longum, latumque vaginæ ambitum arctiſſime coeant.

III. Prætereundum autumo obſtaculum, quod vitia conformationis urinæ exitui præbere poſſint; nam raro id accidere admonuimus, vel quod matrimonii uſui officiant, nam præter ſterilitatem, quæ apud jugatas tantum magni facienda eſt, cæteris nullum damnum ex iis erit ſuperventurum.

IV. Reliqua ſunt duo ab organi vitio magni ponderis conſecutura, quorum primum ad excreſcentias carneas pertinet, quæ ſæpe doloroſæ, lancinantes, &c. raro tamen carninomatoſæ fiunt; alterum ad ſanguinem attinet utero, & vagina detentum, qui eas partes comprimit ita, ut grangrenam inducat, quæ haud infrequenter evenit, modo ſanguinis infarcientis exitum promoveamus.

§. VII.

Curatio.

ETiamſi hujuſmodi cruciatus ſummam inter ſe affinitatem habent diverſa tamen ſinguli medella indigent, quæ ſpecialem explicationem poſtulat.

I. Hi-

I. Hipocrates (*a*) praxim proſecuturi eſcharoticis tantum, etiam efficacioribus uti deberemus, ut membranæ corrodantur, quæ vaginam inveſtiunt, at longa experientia docuit hujuſmodi methodum diutinam, laborioſam, vel perniocioſam evadere, ac noſtris temporibus omnes conveniunt Medici ipſis tutius, promptiuſque ſectione mederi.

Ægra itaque lectuli, aut ſedis margine locata, manibus etiam ſi opus requirat, pedibuſque litotomorum more vinctis, tum vulvæ labiis apertis patens hinc membrana ſcalpello perpendiculariter ſcinditur; ſi membrana laxa fuerit, longam inciſionem ſufficiet, nam latera ſponte evaneſcent, at ſi ea compacta, dura nimis calloſa apparuerit, oblique ea conſcindere neceſſe erit, ut vaginæ meatus duplici hac ſectione prorſus pateſcat.

Raro hæc inciſio ſanguinis jacturam inducit, vaſculorum exhilitatis ergo, quæ exiguo numero has membranas reptant; ſapientis tamen erit adſtringentia nonnulla ad manus habere, qualia ſunt ſanguis Draconis, bollus, aut aluminis coagulum, quibus tenues imbibuntur lemniſci vulneri ſuperimponendi, ſi ulla ſuperveniret hæmorrhagia, quod raro evenit; de cetero digerenti annodyno ſatis erit partem oblinire ex ovorum vitello, terebinthina, e melle roſato compoſito, qua methodo perſiſtendum ſuadeo, donec cita appareat valetudo.

In iis mulieribus, quæ diu ſuppreſſione elaborarunt, hujuſmodi adnatæ membranæ extrinſecus a confluenti ſanguine expulſæ prominent valde, ut ſcindi facile permittant, ſanguis vero poſt inceptam ſectionem erumpens inciſorem ſæpe implicat, quare in his caſibus opportunum cenſeo fluxum ſinere, donec ſponte deſinat, vel ægram pedibus erigere, ut vagina facilius mundata totum opus bene ſe vertat; his rebus peractis injectionibus vulnerarii pauco mele roſato remixtis, vaginam, uterumque detergere conveniens erit, ſubſtitui poterunt etiam magis detergentis injectiones, ex Acrimonia videlicet, Marubio, aut Ariſtolochia, paucove mele roſato patratæ.

Quo intimius morboſæ hæ membranæ penetraverint, eo difficilior earum evulſio videbitur, tunc uteri ſpeculo, dilatata vagina, cultro linteolo circuminduto, ut acies denudata tantum relinquatur, diligentiſſime operationem inire tentabimus, eoque cautius, quo intimior, & anguſtior erit conſcindenda membrana, de cetero ut ſupra indicavimus erit procedendum.

II. Eſcharotica, quæ ad membranas evellendas parum conveniebant, minus ad expreſcentias carneas eradicandas opportunæ videntur cum pro craſſitudine nimis reſiſtant, neque poliporum more exſtirpabuntur, ne lacerationes superveniant lethales, at optimam praxim proſecuturi, illas ferro tantum ſeperabimus.

Quando illæ prominentiæ vaginæ tantum ingreſſum occupaverint, facile erit eas ſiniſtra manu compreſſas forfice, aut cultro exſtirpare, ſedulo tamen inſtrumenti greſſum animadvertendo, ne ſanæ lædantur partes; etenim ſi intimius locatæ fuerint, minus tutæ illas ſcindere licebit, quia neque manibus recipi, neque ſpeculo vaginam ſatis diſtendere poterimus, ut ob loci anguſtiam volcellæ, aut fibulæ auxilio non indigeamus.

Scindi facile poterunt carneæ protuberantiæ, abſque quo earum baſis vinciatur cum procul ſit gravis hæmorrhagiæ metus, tamen adſtringentia nonnulla, aut vitrioli fruſtulum quandoque ad manus habere opportunum erit, ad cohibendum ſanguinem, quem interdum vas aliquod amplior effunderet, verum ſi colorem rubicundum, aut lividum illæ referant prominentiæ, atque ſuſpicio adſit ab inciſione uberrimam ſupervenire poſſe hæmorrhagiam, duplo vinculo ad baſim arcte illas circumcingere opus erit.

Poſt inciſionem primum ſicca filamenta uſuveniunt, verum nimia copia perfluen-

(*a*) Lib. *de Sterilibus*. Et Lib. II. *De Morbis Mulierum*.

fluente ſanguine erunt torundæ ſuperimponendæ ſuperius enunciatis adſtringentibus imbutæ; poſtea ulcere vulgari digerenti illinito, donec ſupuratio imminuatur, balſamo Arcæi, & pauco balſamo viridi valetudinem obtinebis; ſi ulcus ichoroſus apparebis unguentum brunum *vulgo* erit adhibendum, quod leniter abſtergat, ac ſi initio uberrima nimis ſupuratio videatur injectionibus ſuperiori articulo indicatis uti poteris, parum addendo aquæ vulnerariæ, ac tincturæ mirrhæ.

III. Cicatrices ſuperficiales, quæ vulvæ labia conjungunt, externam plerumque cohæſionem gignere ſolent, ut ſpecillo canaliculato per eam partem intromiſſo, quæ ſuperius, vel inferius patula relinquitur, & ſiniſtra manu illud firmiter comprehenſo prope cohœſionis lineam facile erit altera manu cultro tuto labia ſeparare; quibus impoſterum ſuperius indicato digerentium uſu, mederi ſufficiet.

Quando cicatrices profundius penetraverint, aliquem identidem tramitem relinquunt, alias nullum, 1. in primo caſu enim dilatare oportebit hujuſmodi meatum, at plerumque tentamen longum, ac inutile evaſerit, etiamſi innocuum experiatur, dum hanc medendi rationem amplectimur, primo cicatrices laxare opus erit reiterato fomento ex plantis emollientibus, Malvæ videlicet. Althææ, aut ſeminum Lini, &c. confecto, verum linteo, aut ſpongia iis decoctioninibus imbuta vaginæ margini applicabitur; quando partes ſatis laxatæ fuerint, intromittere poteris radicem Gentianæ, aut ſpongiæ fruſtulum præparatum, numquam intermiſſis emollientibus fomentis, ac prout cicatrices magis laxabuntur amplioribus fruſtulis, ſpongiæ, aut Gentianæ uti opus erit, donec idonea fiat parietum aperitio.

2. Fruſtranea prorſus hujuſmodi methodus videtur quando nullam cicatrices patulam relinquant viam, tunc ad chirurgica auxilia erit deveniendum, ut etiam in nuperrime allatis circumſtantiis incaſſum tentata dilatatione, ægram enim vinculis lectulo firmare debebis, ut articulo primo demonſtravimus.

Quibus cautionibus adhibitis, ſcalpello membranæ ſimul coalitæ ſeparabuntur, quod difficilius erit peragere, quo magis intra vaginam erunt protenſæ; nullum ſpecillum requiri videbitur, ſi prominentiæ vaginæ marginem tantum occupaverint, neceſſariſſimum tamen evaſerit, ſi intimius penetraverint; apparatus, & conſecutiva medella haud abſimilis erunt iis, quæ poſcunt diſſectæ membranæ.

IV Quando tandem membranæ, prominentiæ, ſeu cicatrices prope uteri oſtium locatæ reperiantur, nulla adeſt medendi tuta ratio, neque Chirurgorum ullus audebit, in iis profundis latebris operationem inire, ubi nefas eſſet ſanas membranas, uterumque vulnerare, a quibus teterrima fœnomena, & mors ipſa eſſe conſecutura, quapropter naturæ morbi curationem, optatumque levamen relinqui cenſemus, & obſervatione edocti, ſi uterus ſanguine, vel raro fœtu gravis ſit, continua eorum preſſione, dilatationem ſperare poterimus, quæ obſtacula illa evellere valeat, a quibus miſerrime uterus (*b*) obtegitur.

Circa eas operationes neceſſariæ cautelæ.

I. Nulla eſt inſtituenda chirurgica medella, niſi præmiſſa venæ ſectione, primiſque viis expiatis, imo diu ægras præparare opportebit, ſi excreſcentiæ evellendæ, aut cicatrices ſcindendæ fuerit; præſertim cum patientes male ſe habeant,

(b) Johannes Riolanus *Anthropograph.* Lib. II. Cap. 35. Stephanus Blancardus. *Collectan. Medit. Phyſic.* Centur. III. Obſ. 56. Memoires de l'Academie des Sciences Ann. 1705. Hiſtorie pag. 52.

beant, aut a diutina ſuppreſſione emaciatæ ſint, vel noxiis (c) laborent ſymptomatibus.

II. Si qua adſit levis vaginæ coarctatio ab aliqua ibi nata cicatrice operationem cunctari oportebit præſertim ſi mulier fœtum gerat, animadvertendum enim eſt an geſtationis progreſſu, uteri rareſcentia, atque tumor valeat ipſe vaginam reſerare, quod auctorum obſervationes ſperare ſudaent.

III. Hoc naturæ auxilio fruſtra optato poſtremo etiam geſtationis menſe abſque noxa ſectionem; vel amputationem inire poterimus, nam ea ſero nimis inſtituta, vaginæ inflammatio facile ſupervenerit, quæ cavitatem arctando partum implicabit, nefas pariter erit jam propinqua fœtus expulſione operationem protendere, ne infans incaſſum laboret in ſuperando obſtaculo, ac mater, & ipſe lædatur.

IV. In his rebus peragendis cavendum eſt ne vaginæ tunicæ vulnerentur, ſi membrana enim ſit incidenda, ut ſuperior vaginæ pars tueatur cui veſſica adhæret, tunc incurva novacula cuſpide obverſo inciſio erit inſtituenda, neve ad oppoſitam uſque inferiorem partem ſectionem perducendam, ne vaginam rectumque inteſtinum ipſa offendat.

V. In prominentiis evellendis pauci faciendum erit, ſi ipſarum baſis non omnino ſcindantur, nam ſupuratio ſponte abſolvet, vel cauſtica aſſument, quod eſſet reliquum.

VI. Quando de ſupuratione agitur parietum vaginæ, cicatricis ergo, ſimul cohærentium, per eamdem ſemitam ipſas ſecare oportebit, per quam coaluerunt, ſatis enim apparet, quale detrimentum afferre poſſemus ſi latera vulneraremus, vel abraderemus ita, ut impares evaderent partus niſum abſque laceratione ſuſtinere.

VII. Ex his operationibus poſtremis duabus potiſſimum conſequitur, ipſas diligentiæ, temporis, & experientiæ multum poſtulare, neque eas ſollicite ſimul, & feliciter ad perfectam valetudinem perducere poſſe videtur.

VIII. Tandem haud difficile eſt, quod interim parietes coaleſcant antequam vulnus convaleſcant; id in ſimplici membranorum inciſione minus timendum erit, verum in prominentium extirpatione, aut cicatricum divulſione facile eveniet; multiplici methodo huic obeſſe poterimus, alii ſpongiam oblongam intromittunt unguento Diapalmæ, aut Tuſciæ, oleo amygdalarum dulcium ſoluto oblinitam, alii peſſarium adhibent ex lino confectum ſimilibus imbutum medicamentis, quidam tandem laminam plumbeam aptant pluribus pertuſam foraminibus, iiſdem linimentis madidam; Hæ medendi rationes æque omnes valebunt parietum cohæſionem impedire, ſupereſt tantum ea crebre reiterare, atque idonea firmare tenia, vel tutius ægras lectulo detinere uſque dum perfecta ſit valetudo, ut peſſaria neceſſarium locum ſervent.

CA-

(c) Ariſtoteles. *De Generatione animalium*. Lib. IV. Cap.4. Franciſcus Paullinus *Miſcellanea Curioſor. Naturæ*, Decur. II. Anno 7. in *Append.* Decad. II. Obſerv. 9. Michael Pauli. *Miſcell. Curioſor. Natur.* Decur. III. Anno 7. & 8. Obſerv. 83. Thomas Bartholinus. *Hiſtoriar. Anatomic.* Centur. V. Hiſtor. 43. Guillelmus Harveus. *Exercitat. de partu* pag. 5.-18. Memoires de l'Acadèmie des Sciences. *Ann.* 1712. *pag.* 37. de l'Hiſtoire.

CAPUT IV.

De difficili menſtruatione, & laborioſa.

§. I.

Deſcriptio.

SAnitatis ſtatu menſes abſque ulla vel ſaltem gravi moleſtia apparere, perſiſtere, atque deſinere debent; morbum porro adeſſe dicimus, quando difficiles ſunt, aut laborioſi experiuntur, ſi videlicet nocua nonnulla ſymptomata, quæ medelam poſcant, eruptionem præcedant, aut ipſam comitentur.

Ea phænomena ſunt plerumque lumborum, fœmorum, atque inguinum dolor, vulvæ, vaginæ, aut hæmorrhoidum tumor, uteri tenſio, atque colici cruciatus, digeſtionis dein, guſtuſque læſiones, corporis horror, & ſubſultus, motus tandem convulſivi, & hyſterici quandoque.

Illa tamen neque omnes mulieres æque aggrediuntur, neque omnia complexim in omni ſubjecto eveniunt.

I. Interdum naturali, & periodico fluxu ſuperveniente deſinunt, alias ſanguinis jacturam, vel incompletam eruptionem faciunt, neque ubberimam ſcilicet, neque perſiſtentem.

II. Modo dolor moleſtiave ante eruptionis initium apparent, qua ſemel ſtatuta deficiunt, modo inter fluendum ſanguinem ea phænomena faſtidiunt ægræ, at fluxu abſoluto abſunt, modo jam eruptione peracta, per aliquod tempus ſuperſunt.

III. In nonnullis ſubjectis menſtrua ſubſequitur albus fluor, in pluribus aliis deeſt nullo relicto incommodo.

§. II.

Cauſæ.

UTeri tumor, atque tenſio in laborioſis menſibus, cruciatuſque, quos ægræ patiuntur, duo confirmant effata, *primum* quod vaſa uteri ſanguinea cruore valde turgeant, *alterum* quod ſanguis, qui ea vaſa replet, ſegniter per appendices venoſas in utero manet, quare vel ſero, vel imperfecte erumpat.

Prior caſus naturæ valde conſonus eſt; vaſa vermicularia enim debent menſis ſpatio lactea turgere lympha, eaque ſemel turgida propinquas venas comprimere, qua preſſione ibi detentus ſanguis localem plenitudinem producet menſtruis neceſſariam.

In *ſecundo* caſu alia res ſe vertit, menſtruorum enim lex poſtulat, quod ſanguis in vaſibus congeſtus certa quadam facilitate in utero profluat; perniciosum porro eſſet, & citra naturam, ſi ille moleſte, ſegniter, aut imperfecte proſiliret, hoc eſt, quod diutinam nimis & uberrimam plethoram producendo menſes difficiles, & laborioſos reddit.

Quæruntur igitur cauſæ, quæ implicare valebunt ne congeſtus in utero ſanguis per venoſas appendicum extremitates menſis periodo ſollicite erumpat; hæ tamen ad tres præcipuas claſſes reduci poſſunt.

I. *Prior* ad appendicum vitia pertinet; quæ renuunt diu reſerari, aut imperfecte aperiuntur, ut ſanguis etiam ad fluxum diſpoſitus, nequeat neceſſaria copia, aut ſollicitudine ſtillare.

II. *Al-*

II. *Altera* vitia reſpicit fluxuri ſanguinis, qui impar evadit uberrime fluere, patulis etiam venoſis appendicibus.

III. *Tandem* ad amborum viticrum copulam attinet cum neque appendices aperiantur, neque ille manare valeat.

I. Pluribus de cauſis appendices aperitioni reſiſtunt, vel imperfecte reſerantur.

1. Quia illæ compactæ nimis, denſæ, aut rigidæ exiſtunt, quod locum habet in juvenibus, vel adultis nondum completis catameniis donatis.

2. Quia interior uteri tunica, quæ extrema appendicum cingit, nervoſa nimis eſt, denſa, & compacta.

3. Quia obſtructiones, tubercula, & ſcirrhi uterum deturpant, quæ appendices comprimendo ipſarum idoneam dilatationem impediunt.

4. Quia uterus interdum erethiſmo, aut convulſivis contractionibus laborans appendices coarctat ita, ut nullum, vel difficillime ſanguinem effundat, hæc poſtrema cauſa, etiamſi minus diutina, validior tamen experitur.

II. Sanguis intra venoſas appendices cumulatus ſegniter, aut exigua copia triplici de cauſa perfluit.

1. Denſitatis ergo, quæ ejuſdem effuſioni officit etiamſi appendices ſint bene conſtitutæ.

2. Quia lente ſanguis in uterum irruit, debili cordis, & arteriarum impulſu, ut æquali tempore minima quantitate per appendicum orificia exeat.

3. Quia uno, eodemque tempore, & minus denſus exiſtit ſanguis, & ſegniter irrumpit, quod duplici ratione effuſionem imminuit.

III. Tandem tum appendices ſero, vel parce poſſunt reſerari, cum ſanguis exigua copia, & lente fluere diverſarum cauſarum complexus ergo, quas ſingillatim enunciavimus, neque hujuſmodi congeries infrequens eſt ut Capite IV. enunciavimus.

Huic capiti mittimus pro ſingulari cauſarum explanatione, cum eæ communes ſint, tum menſibus ſuppreſſis, cum laborioſis, ac gradu, & intenſione tantum differant.

§. III.

Differentiæ.

I. CUm labor ſuppreſſionem non gignat, ſanguis tamen in laborioſis menſtruis ibi congeſtus, etiamſi difficulter, debet tandem appendices reſerare; id tamen triplici ratione fieri poterit, vel prout natura poſtulaverit, vel altiori gradu, ut aperitio, ſciſſura videatur, vel infimo gradu ut vix pateſcant.

In primo caſu menſium conatus naturalem fluxum inducent, dummodo nullo ſanguis inquinetur vitio.

Altero caſu ſanguinis jactura plus minuſve uberrima apparebit in iis præſertim mulieribus, quæ uteri vaſa a copioſo detento ſanguine varicoſa facta ſunt.

Tertio tamen caſu fluxu vel copia, vel perſiſtentia, vel ambo ſimul inops videbitur, præſertim ſi ſanguis ſpiſſus nimis ſit, ſegniſque.

II. Quotieſcumque in hoc menſtruorum genere, vel naturalis effuſio, vel ſanguinis jactura apparebit, fluxus incommoda illico deſineret, nam tunc vaſa penitus exhauriuntur; at imminuuntur tantum ea phænomena, cum fluor incompletus videantur, ut in poſtremo caſu evenit, in quo ſanguinis infartus, quamvis imminutus perſiſtat, ut exigua copia fluor erumpens poſt effuſionem plethoram relinquat, tum ſymptomata omnia confirmet, vel ſaltem maximam partem, quæ ſenſim, ſenſimque evaneſcent, quando ſanguis circulum perfecte recuperaverit.

III. In

III. In menſibus laborioſis, aut vaſa lactea aperientur, exhauriunturque fluente ſanguine, vel nunquam exinaniuntur, ut lymphaticus humor cogatur, vel ibi congeri, vel per lymphaticas venas ſibi pandere viam.

In primo caſu menſes laborioſos neque albus fluor erit conſecuturus, quia lacteus humor cum cruore ſimul fluxerit, neque uteri tenſio ſupererit iis vaſibus tum ſanguineis, cum lacteis exhauſtis.

In ſecundo caſu fluor albus poſt rubrum ſuperveniet ad totalem lacteorum inanitionem perdurans, quæ modo citius, modo ſerius eveniet, uteri hinc tumor, atque dolor evaneſcent, & exinanitis vermicularibus nihil ſanguinis circulus implicabitur.

In poſtremo tandem caſu nullus præter cruoris effluvium apparebit albus fluor, quia vaſa lactea non exhauriuntur, ideoque tenſio diu perſiſtet, neque deſiſtet uſque dum perfecte exinanita non ſint vermicularia, quod lactei humoris reſolutione poſt diutinum tempus fieri poterit.

§. IV.

Symptomata.

I. PHænomena in laborioſis menſtruis obvia ab aliqua ſubſequentium cauſarum dependent.

Prima eſt vaſorum uteri turgentia nimia, quæ vicinis partibus communicatur, per lateralia ex uno nata trunco vaſcula, latis, teretibus ligamentis, pelvi contentis viſceribus, & muſculis vaginæ, vulvæ aut recti ſpincteris ſimilem plenitudinem affert, ex his procedunt matricis dolor, atque tenſio, tum fæmorum, lumborum, ac renum cruciatus, vaginæ, denique vulvæ, & venarum hæmorroidalium tumor.

Secunda oritur a reduci lympha lactea, quæ ſaliva, & gaſtrico ſucco remixta eorum humorum puritatem deturpat, & virtutem infirmat, id *Picæ*, *Malaciæ*, & guſtui depravato locum præbet, tum pravas digeſtiones, nauſeas, vomitus, & ventris fluxum inducit, omnia a lactei fluoris ſuppreſſione producta.

Tertia tandem cauſa adeſt, quando doloroſa fit in utero compreſſio, quæ per ſubſequentes ſimpathicas commotiones infra enunciandas naſcitur, & leviora hyſtericæ paſſionis phænomena adſunt, quæ interdum graviora fiunt.

II. Generice: puberes his ſunt magis obnoxiæ moleſtiis, quam eæ, quæ ſemel menſtruarunt, nam tum appendices venoſæ, exiguæ magis, & compactæ exiſtunt, cum uteri interior tunica dura magis, atque denſa reperitur.

III. Virgines plerumque, etiam menſtruis donatæ, plus ipſis laborant, quam mulieres viro ſubjectæ, quia in illis uteri contextus conſtipatus nimis apparet.

IV. Simili ratione, quæ nondum geſtarunt, majorem inter menſtruandum incommodum perſentiunt, quam eæ, quæ pluries pepererunt, nam tum conceptu, cum partu vaſa uteri omnia relaxantur, aut facile ab affluenti ſanguine explicari, atque diſtendi ſinant.

§. V.

Diagnoſis.

I. ÆGrotantium querelæ ſatis docent numerum, naturam, & phænomenorum violentiam, quæ menſtrua antecedunt, vel illa conſequuntur, tum qualis ſit menſtruorum labor oſtendunt.

II. Ægræ ipſæ animadvertunt, ſi menſium faſtidium, naturalis fluxus, ſanguinis

nis jactura, vel incompleta effuſio expediverit? ſi ſemel ſtatuto fluxû ſit deſiturus labor nec ne; ſi menſes ſit ſubſecuturus albus fluor; tandem hoc deficiente perſentiunt, ſi dolor, aut tenſio fuerit ſuperſtes, ut qua corripiantur laboris ſpecie nos ipſæ admoneant.

III. Innoteſcunt pariter, & diſtinguuntur diverſæ menſtruorum hujuſmodi cauſæ.

1. Linteoli inſpectione, ſi illud vix ſanguine inficiatur, quod catameniorum laborem a cruoris ſpiſſitudine procedere confirmat, contra vero ſuſpicari licebit appendices venoſas, non humorum craſim peccare, quando linteola ſanguinis intriſa valde reperiuntur, atque madida.

2. Temperamenti notione, ſi pulſus debiles, lenti, ac rari appareant, & ægra emaciata gravis exiſtat, tunc plerumque ſanguinis denſitati morbus tribuitur, contra vero ab appendicum vitio ſolet derivare, ſi pulſi arietantes, frequentes, & celeres ſint, patiens vero hilaris, vivida ſe monſtret.

3. A natura, & qualitate fluentis ſanguinis diagnoſis deſumitur; minime enim poterimus cauſam morbi cruoris craſſitudini referre, quando fluxus celer, & uberrimus ſit, facile vero ei tribuitur, ſi citra vulgarem ubertatem, vel copia, vel perſiſtentia deficiat.

§. VI.

Prognoſis.

I. Laborioſi menſes ſuppreſſis menſibus minus nocui evadunt, nūnquam tamen ſunt pernicie expertes, experientia porro docuit multiplici ratione id accidere.

1. Pernicies deſumitur a diverſa præcedentium, aut concomitantium phænomenorum indole, plus minuſve deleteria.

2. Ab ægrotantium ætate, ut in juvenibus facilius, quam in adultis mulieribus laborioſa menſtrua convaleſcant, in iis enim ſperare licebit, vaſa uteri ſenſim ſenſimque dilatari poſſe, donec illa confirmentur, at fruſtra id expectabimus in adultis.

3. Pro diverſa ægræ conditione, nam jugatæ magis laborant, quam nubiles, magis vero quæ ſemel pepereruut, quam eæ, quæ nunquam; in illis enim vitium ſuſpicamur a ſtatu naturali valde diſſitum, ac proinde difficilioris medelæ.

4. In ratione indoli cauſarum diverſæ; menſes aut laborioſi quos vaſa labefactata gignunt, pertinaciores iis ſunt, quos ſanguinis peccata faciunt, quià difficilius eſt uteri vaſa ad naturalem ſtatum reducere, quam ſanguinem repurgare.

5. Morbi vetuſtas quintam prognoſis differentiam præbet, nam quo longæva fuerit menſium ſuppreſſio, ea medela difficilior, diutinum porro tempus valetudini plurimum officit.

II. In genere tum laborioſa catamenia, cum incompletum effluvium abſolutam plerumque ſuppreſſionem faciunt, eique propria phænomena omnia producunt.

III. Menſtrua laborioſa, quæ conſequuntur ſanguinis jacturæ, perſiſtentem inducunt rubrum fluorem, qui pro diverſa intenſione, plus minuſve periculoſus exiſtimatur.

IV. Hujuſmodi morbus dum fluorem album gignit interdum diu perſiſtens noxas ſibi proprias omnes producit.

V. Menſes laborioſi albo fluore deficientes, qui tamen vel tenſionem uteri, & tumorem comitem habent. vel diutini nimis ſunt, ſcirrhum, aut matricis inflammationem deſignabunt, atque præcedentibus pernicioſiores videbuntur.

VI. Quando tamen menſes laborioſos naturalis conſequitur fluxus, eoque con-

confirmato uteri dolor, atque tenſio, tum fluor albus abſunt, minus periculoſi obſervantur plerumque, & facilius curantur.

§. VII.

Curatio.

INdicationes, quas in menſtruis laborioſis implere debebimus, illas æmulari videntur, quæ in ſuppreſſis catameniis enunciatæ fuere, eo itaque collineant:

1. Ad corrigendum appendicum vitium, ut molles extenſibiles fiant, quæ dilatari, atque aperiri ſinant.

2. Ad augendum eas verſus ſanguinis impulſum, cruorem ſolvendo commovendoque.

3. Ad liberam, facilemque eruptionem promovendam uterum levioribus contractionibus, atque modicis ſuccuſſionibus excitando, ut appendices facilius reſerari cogantur.

Ea igitur ſunt adhibenda ſimili ratione remedia, quæ nuper in menſtruorum ſuppreſſione propoſita ſunt: admonendum tamen ipſa cautius, ac minori ſollicitudine præſcribi, diuque eorum poſſe cunctari effectus minoris morbi perniciei, & moleſtiæ ergo, qui omne relinquit neceſſarium ſpatium renovandi medelam, ſi opus requirat.

Cautelæ.

Laborioſi fluxus ſimiles poſtulant cautiones, ac ſuppreſſos menſes capite quarto vidimus poſtulare, tantum enim hic addere cenſeo.

I. Menſes difficiles triplici ratione terminare, ſeu melius triplicem morbum producere, quod proſpicere oportebit, ut ſedulo remediis ſubveniamus.

II. Si enim ſuſpiciatur, ab imminuto unoquoque menſe rubro fluxu menſtrua penitus eſſe deſitura, conſtanter, acriterque emmenagoga remedia ſuppeditare fas erit.

III. Si contra fluoris augmentum deſignet veram conſtantem cruoris jacturam eſſe tandem ſuperventuram, ab emmenagogis ſaltem validioribus erit deſiſtendum, eaque potius adhibenda medicamenta, quæ modice fluxum promovent, vel ſaltem ipſa emmenagogis addenda, ut infra capite nono docebimus.

IV. Si denique hujuſmodi menſes conſequatur albus fluor in diem increſcens, qui tandem perſiſtere videatur, remediis uti neceſſe erit in albo fluore utilibus, vel ſaltem ea emmenagogis permiſcere, quæ fuſius capite decimo exponemus, ubi de fluxu albo erimus locuturi.

V. Quod ſi morbi pertinacia in caſſum iis exhibitis auxiliis locale uteri vitium indicaverit, quod citra maximum ægræ periculum auferre nefas ſit, palliativa methodo cunctari tantum oportebit, quæ ſymptomata imminuat, donec natura menſtruorum defectui aſſueſcat.

VI. Eamdem pariter diligentiam impendere conveniet, quo menſtruorum phænomena incommoda magis, & pernicioſiora evaſerint, etiamſi efficaciori medicina ſperaremus illa ſubjicere, & tunc eradicalem curationem expectando ubi opus requirat, non erit palliativa prætereunda methodus.

VII. In utroque vero hujuſmodi caſu ea remedia impendere opus erit, 1. quæ valeant uteri plethoram imminuere, 2. quæ alio lacteam lympham evehant, qua vermicularia nimis turgent, 3. quæ matricis ſenſibilitatem obtundant, & doloroſas impreſſiones molliant, quas plenitudo produxerat.

Talia ſunt:

Diætæ regimen, quo ægræ minorem chyli copiam generent, eumque tenuio-

rem ſecernant, ut aptior evadat lymphaticas venas ſubire; eadem de cauſa ſaluberrimum erit, quod hæ mulieres muſculari motu ſe exerceant, qui tum menſes promovere, cum moleſta accidentia compeſcere potis erit.

2. Reiterata identidem ex brachio venæ ſectio ad copiam cruoris imminuendam, eumque ab utero revocandum.

3. Catharſis haud infrequenter erit promovenda ut humorum redundantia ſubducatur, mitioribus tamen purgantibus id patrabis, ne inteſtinorum ſpaſmodicæ contractiones incitentur.

4. Lavacra, & cryſteria emollientia, anodyna, cathartica, aut anthyſterica locum habent, prout uterum laxare, inteſtina expiare, aut hyſtericum morbum ſubjugare opus erit.

5. Decoctiones, ſeu apozemata diluentia, diuretica, aperientia &c. opportuna ſunt, ut lympha lactea tenuior facta facilius intret vermicularia vaſcula, ibique ortas lymphaticas venas ſubeat, vel ut eorum remediorum auxilio, lymphæ exuberantis pars maxima per diureſim excernatur ſimili ratione, ac puerperæ lac ſeparant.

6. Tandem narcotica anthyſtericis remixta uſuveniunt in colicis doloribus, qui præcedunt, aut comitantur laborioſos menſes, tum ad uteri dolorem compeſcendum, cum ad hyſtericos effectus præoccupandos, quos dolor inducere valeret.

CAPUT VII.

De menſtruis alio devolutis.

§. I.

Deſcriptio.

CUm menſtruorum eruptio in adultis mulieribus ſerotina ſit, vel intercepta, aut conformationis vitio labefactata, menſes lenti, laborioſi, difficiles, ac inopes apparebunt, uno verbo, parum vel nihil perfluent: ſanguis enim ibi retentus, atque in his vaſibus congeſtus, quamdam ſibi pandit viam per quam deflectit, ſive ut ajunt, *ſe devolvit.*

Nates plerumque, pulmo, œſophagus, & venæ hæmorrhoidales ſanguini alio deflectenti ſemitam parare ſolent, quare hæmorrhagia, ſanguineus excreatus, aut vomitus, fluxuſque hæmorrhoidalis haud infrequenter ſupervenient, at nulla pene eſt corporis pars, quæ ſanguinis exitum non ſinat, ut plures obſervationes docuerunt.

Quandoque hujuſmodi pſeudo-menſtrua ubertate, atque periodis naturalem fluorem æmulantur, raro tamen; nam plerumque, aut manca, aut anomala ſunt, vel utraque efficiuntur ratione; interdum nullum faſtidium conſequens habent, cum nares, vel anus ſanguinem effundant, periculoſa tamen & moleſta evadunt catamenia quando per pulmones expuuntur, aut ventriculum egurgitantur.

Modo nullum doloris, aut tenſionis defectu in utero effluvii indicium perſentitur; modo dolore, & tumore, aliiſque obviis ſymptomatibus futuros menſes uterus deſignat; modo omnia adſunt antecedentia, & concomitantia menſtruationis ſigna, imo aliquis apparet fluxus, qui menſtrua refert, eorum tamen utilitate expers.

§. II.

§. II.

Cauſæ.

CUm catamenia e ſanguinis in corpore defectu abſint, quavis de cauſa ipſe deficiat, nedum vaſis tunc exhauſtis menſes alio deflecti poſſe perſuadebis, at ii devolvuntur quando alia procul diverſa de cauſa imminuti, aut ſuppreſſi appareant; cum enim unoquoque menſe ſanguis copioſe in corpore congeratur, ideo utero impervio alio cogitur per capillarium extremitates impetum facere, foraſque exire.

Ea igitur eſt plenitudo, quæ menſes alio vertit, at hæc generalior cauſa eſt, quæ undique æque agit, neque unam partem verſus potius quam alteram actionem dirigit: quare, ut ſpecialem ſibi ſternat viam, peculiaris alicujus partis diſpoſitio neceſſaria videtur, quæ ibi hujuſmodi univerſalis cauſæ vim intendat; ecce vobis exponam nonnullas locales cauſas obvias magis, & obſervationibus confirmatas.

I. Proximitas partium earum cum utero, in quibus menſes devolvuntur, & ſimilem vaſorum ſtructura, tum facilis utrinque communicatio, facit ut facile uteri infartus ad alterutram partem transferantur, hac de cauſa imperviis matricis vaſculis exuberans ſanguis per hæmorrhoidales venas, aut pudendorum effugit.

II. Aggreſſæ partis gracilitas, vaſorumque per eam reptantium exilitas facilius irrumpenti cruori cedit; hac ratione haud raro per nares, aut pulmones ſub hæmorrhagiæ, aut ſanguinei excreatus ſpecie menſes periodice erumpunt.

III. Vitium aliquod conformationis quandoque latitans, quod vaſa in aliqua parte debilitat, aut liberam impedit circulationem, ſanguinem ibi ſpeciatim evocat citra ullam externam cauſam, aut nocua ſymptomata, quæ cruorem eo dirigat.

IV. Ulcera quandoque, ſciſſuræ, & excoriationes alicujus partis in cauſa ſunt, quod redundans ſanguis per latiorem hanc partem novam ſibi aperiat viam, veteri menſtruorum impervia, ab hoc procedit quod per cutem ipſam interdum ſcabie deturpatam, vel excoriatione abraſam ſanguis facile erumpat.

V. Percuſſiones enim, vel contuſiones capillaria nonnulla vaſcula lacerando tumorem alicujus partis inducunt, ubi menſtruus ſanguis alias impeditus affluit: quapropter procul omnem externam læſionem per ſimplicem contuſionem pergit ſanguis, quam parvi faciebamus.

VI. Succuſſiones, contractiones, atque partium convulſiones repentinis morbis ortæ turgida proxima vaſcula comprimendo, aut convellendo, ea plerumque concludunt, exitumque ita catameniis parant: per nares quandoque menſtruus ſanguis erumpit, ſi capitis reuma ſternutationem excitaverit; per pulmones ſtillat, quando tuſſis vehementia ipſi convelluntur; per œſophagum expuitur, ſi incompleta ciborum ſubactio vomitum promoveat; per hæmorrhoidalia exit tandem vaſa quando ventris fluxus, aut teneſmus frequentes per alvum conatus excitat.

Ex his conſequitur menſes devolutos a duobus potiſſimum cauſis derivare: *generalia* una, quæ plethora nimia eſt a menſium ſuppreſſione orta: altera *ſpecialis*, quæ ab aliqua locali diſpoſitione originem ducit: dum hæ duæ ſimul concurrunt cauſæ, porro ſanguinem citra vulgarem ſemitam novam ſibi quærere viam videbimus, fruſtra vero ea expectabimus phænomena, cum ipſa ſimul minime copulentur, aut infirmiter agant.

De cetero menſium effuſionem alio devolutam hic ſtatuendo a ſola univerſali plethora pendere, non ab ulla partium conformatione, nihil caput ſecun-

dum offendimus ubi ſpecialem admittimus uteri ſtructuram ad explicandum periodicum catameniorum fluxum, cum hujuſmodi effluvii ſpecies inter ſe maxime differant.

1. Menſes alio devoluti nunquam ſupervenient, niſi prævia uberrima plethora, hæc enim ſufficiet abſque ulla peculiari partis textura vaſa diſgregare, contra vero menſtrua ſæpe vidimus placide reverti a nulla ſenſibili excitata plenitudine, ut ſpecialem uteri conformationem admittere opus ſit, quæ ad hanc partem ſanguinem evocet.

2. Pſeudo-menſes nulla methodo procedunt, neque reditus tempori, aut durationi, neque progreſſui, aut decremento effluvii rationem habent: nil mirum ergo, ſi ſola plethora ipſos producat; eorum enim anomalia cum cauſæ producentis natura perfecte confert, quæ continenter inæqualis eſt, atque inconſtans; at periodica catamenia tum in ſuo regreſſu cum perſiſtentia, tum incipiendi, increſcendi, aut decreſcendi modo uniformia magis, & methodica reperiuntur, difficile enim eſt ſolæ plethoræ methodicum effluvium tribuere, neque peculiarem uteri conformationem omittere fas erit, præſertim cum anatomicorum obſervationes ipſam confirment.

3. Devoluti menſes tandem partium ulcera inducunt, quod annuntiat a ſciſſuris vaſorum plethoræ ergo natis ipſos originem ducere, contra vero catamenia nunquam uterum exulcerant, quod oſtendit nullo modo vaſa uteri cogi, aut ſcindi ab effluenti ſanguine, ſed appendices venoſæ naturali ſua conformatione ſponte aperiri.

§. III.

Symptomata.

I. QUando menſtrua deſunt citra uteri plenitudinem, quod in primo caſu ſuppreſſionis accidit, devolvuntur tunc menſes abſque quo tumor, tenſio, aut uteri dolor, vel ullum ſuppreſſionis indicium ſuperveniat.

II. Vaſa quandoque uterina ſanguine replentur, ut in ſecundo, aut tertio ſuppreſſionis caſu, & tunc alio ſe vertit menſtrua eruptio, eaque ab uteri doloroſa tenſione, aliiſque vulgaribus menſtruationis ſymptomatibus indicatur.

III. Demum ſi ſanguis non ſolum infarciat, verum ſupra opus diſtendat uteri vaſa, laborioſa catamenia ſupervenient, & eruptionem alio deflectentem antecedet, vel comitabitur vulgare effluvium, inops tamen valde, & impar menſtruorum devolutionem impedire.

IV. Eruptionem plerumque a ſanguine devoluto ortam illa phœnomena antecedent, quæ ſuppreſſa menſtrua ſolent comitari: varia tamen pro cauſæ producentis diverſitate eſſe ſolent.

V. Cum ea varia ſymptomata, quæ ſuppreſſionem comitantur, aut pſeudomenſtrua præcedunt, a ſola plethora dependeant; patet enim aliqua eruptione peracta in ratione ejuſdem ubertatis genitricem plenitudinem imminui.

VI. Sane hujuſmodi ſymptomata ad menſes ſuppreſſos potius pertinent, ut interpres ipſe autumat, quam ad devolutos menſes: nonnulla tamen exſtant phænomena, quæ hos ſpeciatim reſpiciunt a peculiari plethora eruptionem præcedenti nata, quæ pro loci varietate variam indolem præſeferent.

VII. Si enim hujuſmodi effuſio per nares fiat, ægræ erunt tunc inflationi, calori, & capitis rheumaticis affectibus continenter obnoxiæ.

VIII. Si per pulmones fiat, ægrotantes gravabuntur, moleſte lectulo detinebuntur, continua tuſſi, thoracis calore laborabunt; tum circa alterutrum latus aut omoplatum de dolore punctorio conquerentur.

IX. Si hæmorrhoides fluxum patraverint, patientes neque ſedere, neque ambulare libere poterunt, circa anum cruciabuntur dolore, & ſtimulo efficaciori, neque citra moleſtiam fæces excernere valebunt.

X. Si per œſophagum ſanguis ſtillet, appetitum lædi, animumque deficere videbis; ægræ vero corripientur cardialgia, nauſeis, & ſanguineo vomitu, alvus autem viſcoſas, & nigerrimas ſaburras pici haud abſimiles excernet, quæ ſanguis erit pene putreſcens.

XI. Facile de ceteris judicabis phænomenis ſuperventuris dum eruptio per alias flectit vias, cognitis functionibus, quæ his partibus ſunt aſſignatæ, & impreſſionibus perpenſis, quas tenſio, vaſorumque turgentia excitare valebunt, vel ſanguinis affluentis acrimonia, copia, aut calore inveſtigatis.

XII. Generice: quamvis partem aggrediatur, frequenter evenit, 1. quod eruptio modica interdum appareat, quando pauca, & exiliora vaſa labefactentur; interdum effuſio quam uberrima fit, ut ſanguinis jacturam æmuletur, quando multa vaſa, & ampliora conſcindantur; 2. quandoque vero brevis perſiſtat effuſio, quando vaſorum ſciſſuræ exiguæ ſint, & modicæ plethoræ ergo cito deſinat, tum lympha viſcoſa facile excoriationes conglutinet; contra vero diutina videtur, quando ampliores ſunt lacerationes a nimia plethora ortæ, neque acris lympha valet conciſa vaſcula conſolidare.

§. IV.

Diagnoſis.

I. PRoſpicere facile eſt menſtruum ſanguinem alio ſe vertere, quando a pluribus menſibus fluxus ſit interceptus in juvenibus ſubjectis, quæ copioſo veſcuntur cibo, parum agunt, aut alterutra, vel pluribus ſimul ſubſequentium circumſtantiarum ſolent laborare.

1. Si earum corporis pars aliqua labefactata ſit, cui ſanguinem recipere mos ſit.
2. Si corporis peripheriam fædet ulcus, ſciſſura, aut vetus fiſtula.
3. Si pars aliqua male conſtituta haud infrequenter ſuccutionibus, contractionibus, aut præternaturali niſui obnoxia ſit.
4. Tandem ſi qua hujuſmodi male affecta pars diu calore, aut ſtimulo laboret, vel in ea tumor, & rubor conſpiciantur.

II. Quando catameniorum eruptio jam ſibi incongruam paravit ſemitam, ac periodice menſtruorum more revertitur, minime circa morbi indolem hallucinari poterimus, nihil enim facilius erit, quam locum, ſpeciem, gradum, violentiam, atque hujus eruptionis cetera characteriſtica ſigna detegere.

§. V.

Prognoſis.

I. MEnſes devoluti ægras levant, imminuuntque ſæva ſuppreſſionis ſymptomata plethoram ſubducendo, qua de cauſa minus nocui evadunt ſuppreſſis menſibus.

II. Nihilo tamen minus ſpurii menſes eamdem comitem habent noxam, ac ſuppreſſi, ſi producentem cauſam ſpectemus, quæ una eſt.

III. Plerumque hujuſmodi genitrix cauſa difficilius ſubjicitur in devolutis, quam in ſuppreſſis menſibus, nam in illis deficit, quæ in his adeſt plethora, obſtacula ſuperare potiſſima, quæ uteri tramitem implicant.

IV. Nunquam arduum magis fuerit, menſes per naturalem uteri viam reducere,

cere, niſi cum uterus nulla tenſione, tumore, aut periodico dolore afficiatur, quia nulli tunc extant naturæ conatus, qui ſaluberrimam hanc effuſionem foveant.

V. At citra hujuſmodi damna a ſuppreſſione, aut ſuppreſſionum cauſis derivata, alia dantur menſibus devolutis propria, quæ diverſa ſunt pro impreſſionibus diverſis, quæ in variis corporis partibus a plethora excitantur.

1. Pro gracilitate enim, aut nobilitate partis affectæ: nam ſi per pulmones, aut œſophagum menſes deflectant, plus detrimenti afferent, quam ſi per nares, aut venas hæmorrhoidales erumpant; at hi magis nocui evadunt, quam ſi per cutis læſionem proſiliant.

2. Pro diverſo infartus gradu, qui eruptionem præcedit; itaque ceteris paribus devoluti menſes, qui citra tumorem, calorem, dolorem, ac uno verbo partis inflammationem ſuperveniunt, minus pertimeſcendi videntur, quam ſi iis copularentur phænomenis.

3. Pro eorum pertinacia, aut regreſſus diuturnitate: nam qui a longo tempore deflexerunt menſes, & diuturniores facti ſunt, iis magis pernicioſi obſervantur, qui nuper accidunt, parumque perſiſtunt.

4. Pro ægræ conditione, atque temperamento: etenim ceteris paribus eas magis lædunt, quæ cacochymia, aut inquinato ſanguine correptæ ſunt, quam ſanas mulieres, ſaniſque donatas viſceribus.

5. Pro diverſis conſequentiis, quas in labefactata parte relinquunt devoluti menſes, plus minuſve eruptio periculoſa experitur: ſalubrius enim eſt nullum ſtillicidium, vel lymphaticum tantum conſequi, quam ſanguinolentum, aut purulentum effluvium.

§. VI.

Curatio.

MEnſes devoluti quatuor poſtulant indicationes; *prior* eſt tollere cauſam, atque devolutionis detrimentum; *altera* præoccupare, vel ſaltem moderare hanc eruptionem, donec efficaciter medendi locus relinquatur; *tertia* ſanguinis acrimoniam corrigere, ac a noxiis impreſſionibus partes tueri, quas ipſe infarcit, earumque exulcerationes ſiſtere; *poſtrema* tandem eſt ſanguinis jacturam compeſcere, ſi nimis minetur, intendi.

I. Priorem implet indicationem reſtitutus naturalis fluxus, cui ſatisfacient remedia capite quarto propoſita, modo mitiora adhibeantur, præſertim ſi pulmones, aut ventriculus ſint labefactati, ne validioribus pharmacis attenuando, aut commovendo nimis ſanguinem, hæmorrhagiæ ſuperveniant grandiores, pertinaciores, aut lethales quandoque.

Nubilibus obveniente morbo connubium medetur, ſi id circumſtantiæ & valetudinis ſtatus permiſerint, nihil enim magis idoneum, atque ſaluberrimum erit, abſque quo ſanguinem remediis commoveamus ad naturalem fluxum revocandum.

II. Reiteratæ venæ ſectiones ſecundam implent indicationem, imminuunt enim, tam quantitatem, quam niſum ſanguinis eam partem verſus, per quam effugere conſueverat; porro etiam uterum verſus cruoris impulſus tolli videtur, qui menſtruorum reditui favet, at cum ceteris paribus, tum ex una parte majorem vim impendat ſanguis in ſuperandis ceterarum partium obſtaculis, cum uterus ad ſanguinem recipiendum textura ſua magis diſpoſitus videatur, ideoque ægrotantibus a venæ ſectionibus plus utilitatis, quam detrimenti expectare licebit.

Reliquum erit, ut pedes plerumque ſecemus, quod facilius ad uterum cruorem evocabit, ut vulgaris etiam praxis docet; tum quando ad ſuperiora evehi-

tur

tur ſanguis, cum ſic ventriculum, aut hæmorrhoides infarciat, niſi tamen revocandi menſtrua debilis ſpes, aut ſuſpicio majoris detrimenti ad partem affectam contrarium ſuadeat, quæ oppoſitæ indicationes in plethoricis præſertim ſubjectis interdum poſtulaverint, ut prius brachium ſcindamus.

Verum cum eruptionis, atque reditus cauſa ſola plethora nedum ſit, at acris etiam, & falſa ſanguinis craſis, quæ completam implicat diruptorum vaſorum cohæſionem, ideoque humores edulcorare neceſſe erit, ut valide impediatur ſpuriæ effuſionis regreſſus, & ſolidorum foveatur cohæſio: de his tamen rebus ad tertiam indicationem pertinentibus, quamprimum locuturi erimus.

III. Hæc tertia indicatio porro magni facienda eſt, nam maxima menſium devolutorum nocumenta ab acrimonia potiſſimum dependent, quæ vaſorum exulcerationes in his partibus inducunt ſanguinem deflectentem recipientibus, iis phænomenis humores edulcorando, ne ſolida abradant, mederi opus erit.

Ea de cauſa non ſolum ſuſpendere emmenagoga omnia opus erit ad primam indicationem propoſita, verum humectantia, diluentia, & edulcorantia erunt adhibenda, hujuſmodi ſunt:

1. Jura ex pullo, aut vitulo confecta, cum radicibus ebullita Conſolidæ, Althææ, Nimphææ, & Raparum, & Betæ &c. aut cum foliis Boraginis, Buglossi, Scolopendrii, Lactucæ, vel Alſines, quibus dum opus ſit, Ranæ exenteratæ, aut Teſtudines terreſtres addi poterunt.

2. Balnea calida ex aqua fluviatili, in quibus, ſi libuerit, plantæ emollientes, aut Lini ſemina ſint ebullita.

3. Serum lactis chalybeatum, in quo infunduntur plantæ amaræ, ut Chærephyllum, Fumaria, Centaurea, Chamedrys &c. aliquo earumdem plantarum depurati ſucci cochleare addito.

4. Aquæ minerales ferrugineæ, quales ſunt eæ de *Forges*, *Camaretz*, *Spa*, *Carancac* &c. modo thorax morbo ſit expers.

5. Lac aſininum, aut caprinum neceſſariis cautelis ſemel, vel bis in die ſumptum, poſtquam ferro ignito chalybeatum fuerit, atque duæ, vel tres aquæ ſecundæ calcis unciæ additæ fuerint.

6. Dulcificantia remedia affectæ parti applicata, ut bechica, & ſtomachica oleoſa, aut mucilaginea, ſi pulmo, aut ventriculus periclitentur, lotiones, & injectiones anodynæ, aut detergentes, ſi hæmorrhoides ægrotent, errhina liquida ſimilibus donata virtutibus, ſi nares his corripiantur phænomenis.

IV. Poſtremæ tandem indicationi noſtrum erit ſatisfacere, quando menſes alio verſi, completam ſanguinis jacturam æmulabuntur, quæ remedia poſcat; ad hoc morborum effluvium compeſcendum magis idonea tunc ea auxilia impendere fas erit, quæ pro menſibus nimiis ſiſtendis infra capite nono indicabimus.

CAPUT VIII.

Chloroſis.

§. I.

Deſcriptio.

JUvenes puberes, in quibus deeſt prima menſium eruptio, vel ſegnis, moleſta, aut inops evadit: tum illæ, quæ ætate conſiſtere incipiunt, vel imminuti, ſuppreſſis, aut laborioſis ſunt obnoxiæ menſtruis; gravidæ tandem a tertio, vel quarto geſtationis menſe certo quodam corripiuntur languore, quem facilius eſt deſcribere, quam definire.

Vulgarium ciborum guſtum amittunt, imo abhorrent, mox ſordes appetunt, qui morbus (*a*) *Pica*, aut (*b*) *Malacia* vocatur; incompleta fit digeſtio, quam comitantur ventriculi gravedo, aut cardialgia, haſque conſequuntur haud infrequenter inteſtinorum borboriſmata, vomitus, diarrhœa, aut hypochondriorum tenſio; quædam vero lumborum, inguinum, atque hypogaſtri dolorem perſentiunt plus, minuſve intenſum per intervalla recurrentem.

Pulſus plerumque celer apparet, frequens, febrilis, atque exiguus; reſpiratio vero brevis, difficilis; & laborioſa obſervatur, imo ſpirandi difficultas, interdum ad oppreſſionem uſque augetur; cordis motus intenditur, ac acceleratur ita, ut palpitationem gignat, dum ægræ præſertim muſculorum actione ſe exercent; ſi clivum enim aſcendant, aut cito iter properent, tunc videbis carotidum, ac temporalium arteriarum contractiones, tum habituales corporis gravedines duplicari.

Ægrotantes vero feminæ invite ſomnum capiunt, deſides fiunt, laxitudine corripiuntur ſpontanea, nulla etiam ei ſuppeditata cauſa melancholicis affectibus laborant, quibus magnopere triſtantur, atque ſocietatem effugiunt.

Pedibus infiantur, atque cruribus, quæ veſpere œdematoſa fiunt, noctu vero ad naturalem ſtatum reducuntur, mox tumor caput, faciem, aut palpebras aggreditur, ut circa oculos circulus lividus appareat.

Vultus tandem palleſcit, vividumque colorem amittit; ægræ albidæ, ac plumbeæ fiunt; verum ceræ, ſebi, aut foliorum exſiccatorum flavum, aut viride nigerrimum colorem referunt.

Hujuſmodi morbus eſt *le pale coleur*, ſeu, ut Medicis mos eſt, *Chloroſis*. Cum ille hodie fuſe, lateque totam Europam, & Provincias Meridionales peragret, neque Greciam, vel Italiam ab eo unquam liberas evaſiſſe credendum erit; tamen (*c*) Hippocrates, (*d*) Galenus, & ceteri veteres (*e*) Medici obiter tantum de illo mentionem fecerunt, neque ſpeciali nomine ipſum inſigniverunt, ſolummodo inter (*f*) Hippocratis ſcripta ipſum *Chloroſim* appellari reperies; etenim niſi a duplici ævo Medici (*g*) conſueverunt peculiarem morbum conſtituere, at varia nomenclatura confirmat olim conſtanti proprio nomine caruiſſe, quidam enim ipſum *morbum Virgineum* appellarunt, quia virgines prima eruptionis intermiſſione aggredi ſolebat; alii *Febrem albam*, aut *pallidam* dixerunt pulſuum frequentiæ ergo a febre lenta haud abſimilis; nonnulli *Febrem amatoriam* vocarunt, quia illis obveniebat, quæ viro maturas jam eſſe perſentiebant; aut facilius amore capiebantur; at in Gallia (*) ſaltem communiter receptus eſt morbus *le pale coleur*, *pallidum* nempe, ſeu *fœdum colorem* appellari, cum vultus pallor præcipuum ſit, & eſſentiale ſymptoma, eadem de cauſa omnes pene recentiores Medici, qui de eo latine ſcripſerunt, illum (*h*) *Chloroſim* nuncuparunt,

---

(*a*) Hanc appellationem affectio ipſa adepta eſt ob Picæ animalis varietatem, aut quod etiam illa ſæpe hac affectione corripitur. *Paulus Ægineta*, De Re Medica. *Lib. I. Cap.* 1. Affectio quædam prægnantibus accidit, quæ a pica avicula nomen accepit. Alii tamen ob hederæ ſimilitudinem, quæ κιττὸς *Græcis* vocatur, hanc affectionem κίττον, hoc eſt, piccam appellatam eſſe ſentiunt; nam ſicut illa variis plantis, prout occurrunt, ſe implicare ſolet, ita mulieres ex pica laborantes varia edulia appetunt, atque ea contraria, quæ tum voluptatem, tum in ſuavitatem guſtanti exhibent. *Aetiu.*, Med. Contract. *Tetrab.* 4. *Serm.* 4. *Cap.* 10. (*b*) Plinius qui latine ſcripſit certo quodam loco appellat guſtus depravationem *Gravidarum Malaciam*, Hiſt. natur. *Lib. XXIII. Cap.* 6. & alio loco *Malaciam Stomachi*. Hiſt. natur. *Lib. XXVIII. Cap.* 7. (*c*) Lib. de Morbis Virginum.

(*d*) De cauſis ſymptom. *Lib.* 1. *Cap.* 7. (*e*) Paulus Ægineta, *De Re Medica*, *Lib. I. Cap.* 1. Aetius, *Contract. Medicin. Tetrab. III. Serm.* 1. *Cap.* 23. Et *Tetrab. IV. Serm.* 4. *Cap.* 10.

(*f*) Hujuſmodi error inter Varandæi ſcripta reperitur *Lib. I. de Morb. Mulierum Cap.* 1. & ita Senertus, *De Morb. Mulier. Part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 2. atque Riverius, *Praxeos Medic. Lib. XV. cap.* 1.

(*g*) Johannes Langius inter omnes magis ſedulo hunc morbum deſcripſit. *Ann.* 1559. Vide *Epiſtol. Medic. Lib. I. Epiſtol.* 21. (*) Itali tamen ipſum communiter Chloroſim appellant.

(*h*) Græcum vocabulum Χλώρωσις, *color viridis* ſimili ratione conflatur μετεμψύχωσις, *traductio animæ*, & μεταμόρφωσις, *transformatio*, ut cum hujuſmodi verbi compoſitio χλώρωσις, modificata ſit, ut cete-

runt, quæ vox a Græcis derivata, *morbum* ſignificat *ubi faciei pallor in viridem vergit*; nomen tamen hujuſmodi veteres prorſus latebat, neque a Græcæ linguæ legibus unquam recte deſumptum videtur.

§. II.

Cauſæ.

PArum perpenſis cutis textura, vaſorumque per eam reptantium diſtributione, patet a tribus potiſſimum cauſis rubrum, vividumque colorem oriri.

1. Ab exilitate, & diaphaneitate epidermidis tum ſubtus-poſiti reticuli Malpighiani.

2. A tenuitate, & numero capillarium vaſorum per corporis ambitum diſtributorum.

3. A ſanguinis tandem copia, & coccineo colore, qui illa replet vaſcula.

Ex converſo itaque coloris vividi amiſſio, vultuſque pallor ab oppoſitis cauſis originem habent.

1. In Chloroticis epidermis denſa, atque carnea apparet, ut in combuſtionibus, vel ceteris aliis circumſtantiis, quibus cutis areſcit.

2. Reticulum quandoque heterogeneo imbuitur colore, qui ejuſdem diaphaneitatem perturbat, ut in variis icteri ſpeciebus obſervamus.

3. Vaſa ſuperficiei nonnulla, ut in ſenectu, læſa, vel obliterata ſunt.

4. Deeſt interdum in vaſis ſanguis exinanitionis, aut maciei ergo, aut cruoris jacturæ, vel chronicorum morborum cauſa.

5. Cruor tandem, qui vaſa replet, naturali plerumque rubore caret.

Evidens enim eſt nullam ex quatuor prioribus cauſis in juvenibus præſertim mulieribus locum habere, quæ niſi ſuppreſſionis, aut ſegniorum menſium cauſa pallidæ fiunt, nulla enim in ipſis adeſt epidermidis denſitas, aut opacitas, nulla vitioſa in reticulo infectio, nulla mutatio tum numero, cum exilitate vaſorum, nulla denique ſanguinis inopia, ſed a poſtrema earum cauſa pallor deduci debet; a languido videlicet cruoris colore, qui ceteris paribus cutim deturpat.

Ut plane nobis cauſæ innoteſcant, quæ naturalem ſanguinis colorem pervertunt, ejuſdem elementa perſcrutari oportebit, illa præſertim, quæ coccineum præbent colorem, ut vitia ſpecialia hujus partis inveſtigare queamus; nos itaque circa hoc facilior, & certior ſanguinis analyſis edocet.

1. Sanguinem ex vena recenter extractum, & frigefactum in duas diverſas ſubſtantias ſeparari, quarum altera in globum coit compactum rubro colore infectum, altera liquida remanet, flavumque ſerum repræſentat, quod rubram portionem circumcingit, ac ſublevat.

2. Globulum illum in taleolas conciſum, & limpida tepenti aqua lotum coccineum colorem amittere, & gelatinæ more translucidum fieri, rubram vero cruoris partem ſub pulveris ſpeciem fundum petere.

3. Tandem ſerum hujuſmodi igni expoſitum, qui ovi albumen condenſare potis ſit, ſimilem referre ſpiſſitudinem, reliquum fluidum perſiſtens flavum paulo magis, & ſalſuginoſum ab urina haud abſimile.

Ea itaque analyſis confirmat quatuor potiſſimum eſſe admittenda ſanguinis elementa:

1. Sub-

---

cetera duo, neceſſe erit Græco idiomate dari verbum χλώρoω, ῶ, *viridem reddo*, ex quo χλώρωσις originem ducat ut apud Græcos reperitur eum μετεμψύχοω, ῶ *animam traduco* μεταμόρφοω, ῶ *transformo* unde producuntur, μετεμψύχωσις & μεταμόρφωσις.

1. Subſtantia quædam *glatinoſa craſſior*, ſeu *inſpiſſata lympha*, quæ ſolo frigore coit.

2. *Rubra ſubſtantia*, quæ in grummato ſanguine cum parte gelatinoſa craſſiori remixta coaleſcit, facile tamen tepenti aqua ſeparabilis.

3. *Gelatinoſa ex rariori lympha, & tenuiori conflata*, quæ niſi certa ignis vi concreſcit.

4. Poſtrema tandem *ſerum eſt urinoſum* nonnihil, quod vehiculum eſſe videtur ceterorum componentium, duorum ſaltem priorum.

Cum ex quatuor his elementis ſecundum tantum rubrum appareat, cetera translucida, aut leviter lactea remaneant, ei tantum erit tribuendus ruber ſanguinis color, quo intime inficitur cruor: nonnulli crediderint fortaſſis magnam eſſe partis rubræ rationem cum ceteris componentibus, præſertim cum æqualem coccineum, vividumque illum colorem ſuppeditet, at (*) certiſſimæ obſervationes docuerunt niſi decimam, aut duodecimam & minorem fortaſſe totius maſſæ conſtituere portiorem.

Hactenus enunciata Leuvvenhoeckii inventis magnopere confirmantur; ipſe enim microſcopiorum ſelectiſſimorum ope duas ſubſtantias inter ſe procul diverſas detexit, limpidam alteram, & diaphanam, quæ maximam conſtituebat partem; rubram alteram cujus moleculæ æque diſtributæ per albam fluctuabant ſubſtantiam, hæ rubræ moleculæ totidem globuli apparebant, qui quantumvis exigui ex ſex aliis minoribus globulis coagmentabantur.

Facile enim eſt percipere hujuſmodi globulos rubrum præbere ſanguini colorem, liquorem vero translucidum, in quo ipſi enatant, tres reliquas partes ſuperius allatas conſtituere; rationem vero rubri ſanguinis cum cæteris componentibus exiguam eſſe conſtat; ſufficit tamen, ut integra maſſa undique coccinea conſpiciatur.

Ex anteacta igitur analyſi, & obſervatione conſequitur plus, minuſve cruorem coccineo imbui colore pro ubertate, aut inopia globulorum, pro multiplici eorum diviſione, pro eorundem motu inteſtino, aut vorticoſo velociori, pro aptiori configuratione, & ſuperficie rubrarum molecularum, quæ majores rubræ lucis faſciculos reflectat, contra vero ſi ea omnia ex converſo eveniant, cruorem pallidiorem videbis.

Neceſſe enim erit aliquam, vel plures earum cauſarum locum habere ad chloroſim producendam, ſeu coccineum deturpandum ſanguinis colorem; tribus igitur poſtremis cauſis omiſſis ignotis magis & incertis priores duas patentes magis examinabimus, ſed ut recte de iis judicemus, atque cauſam cognoſcamus, qua numerus imminuitur coccineorum globulorum, aut eorum retardetur motus inteſtinus, originem illorum longe perpendere neceſſe erit.

Alimenta, quæ primam ſuppeditant ſanguinis materiam intra ventriculum ſeliva, & gaſtrico ſucco imbuta, ſolvuntur, atque digeruntur ita, ut in pulmentum convertantur ſpiſſum, cinereum, ac ſubacidum, vel facile acceſſibile, quod *Chymum* audit, hic inteſtina ingreſſus bile, atque ſucco pancreatico remixtus, novam mutationem ſubit, per quam lacteus magis, & tenuior factus *Chyli* nomen aſſumit, & lactea vaſcula intrare valet. Hujuſmodi chylus majorem perfectionem acquirit, dum *Aſelii* pancreas, ciſternam Pecquetianam, & thoracis conductum lympha commixtus pervadit, quæ lympha ipſum fluidiorem, dulcioremque reddit; tandem hoc naturæ labore penitus ſubactus chylus per ſiniſtram ſubclaviam cruori permiſcetur, ubi ſenſim, ſenſimque in circulo ductus, ſanguinis naturam, & proprietates adipiſcitur.

Chylus ex lacteis venis extractus, dum microſcopio inſpicitur, globulis conflatus

(*) Act. Eruditor. Lipſienſ. Ann. 1682. Menſe April.

flatus apparet a coccineis haud abſimilibus, amplioribus tamen, & ſphæricis minus, minuſque compactis, quorum ſuperficies diverſimode lævigata omnes coloratos lucis radios reflectens alba non rubicunda pateſcit, majorem ſemper tunc perfectionem acquirit; globuli enim uberiores, exiliores, atque ſphærici magis evadunt, etiamſi nondum coccineis copia, tenuitate, aut rotunditate præcellant, quæ totidem qualitates adipiſcuntur cum intimius ſanguini permixti, coccineis prorſus ſimiles fiunt, ex quo naturæ opus perficitur, quod *ſanguificationem* appellant.

Ea plane oſtendunt numerum, & tenuitatem coccineorum globulorum a tribus potiſſimum cauſis derivare, a conditione chyli, in quo concreſcunt, & ſanguinis, qui illos perficit, verum a chyli una, & cruoris indole, a materia videlicet componente, plus minuſve apta, & a cauſa ſimul efficiente, quæ complexim eorum perfectam ſubactionem foveant.

1. Si alimentorum ſubactio in ventriculo perficiatur ita, ut chylus neceſſariis conditionibus polleat, confertiores erunt, exigui magis, atque rotundi ejuſdem globuli: quare ceteris paribus e parte ſanguinis ex chylo innumeræ efformabuntur elementares ſphærulæ exiliores magis, atque lævigatæ, quæ vividiſſimum coccineum colorem præſeferent, contra vero elementorum qualitates & congeries impares erunt, ſi chylus digeſtionis vitio pecccaverit.

2. Sanguis demum vulgari velocitate in circulum actus, dummodo cordis, & arteriarum contractionibus neceſſaria vi impellatur, atque naturalem conſervet motum inteſtinum, ceteris paribus ex parte chyli ejus moleculæ a cruore magis alcoholizatæ confertiores apparebunt, tum quaſſatæ magis, ac tornatæ coccineæ valde fient, contra vero imbecilliora evadent hujuſmodi elementa, ſi iis deficiat conditionibus ſanguis.

3. Tandem ſi tum chylus, cum ſanguis ipſe ſimul bene conſtituti ſint, eo magis globuli illi diviſi, lævigati, rubri conſpici poterunt, contra vero ſi gemina cauſa infirmior extet.

Plures dantur cauſæ, quæ chyli qualitates vitiare, atque ſanguinis motum retardare, vel utrumque efficere valent; nil ergo mirum ſi vultus pallor, qui potiſſimum a vitiatis globulis dependet, tot concitet affectus; illos tamen omnes noſtrum non eſt hic perſcrutari, eos tantum detegere fas erit, qui ſuppreſſionis, aut ſegnis menſtruationis ergo pallorem faciunt, quam *chloroſim* vocant; idcirco eo collineat quæſtio.

1. Admonuimus jam ſuperius Capite III. ſegniores menſes in juvenibus gaſtricum ſuccum infirmare, ac digeſtionem perturbare, idemque evenire in ſuppreſſis, aut imminutis Cap. IV. menſibus, vel conformationis vitio interceptis Cap. V. chloroſis igitur, in hoc triplici caſu, a labefactato chylo oriri poterit, dummodo nulla alia adſit cauſa.

2. Vidimus pariter Cap. III. in retardatis menſtruis cruorem ſegnius circumvehi, minuſque plethoræ cauſa a cordis, & arteriarum viribus teri, idem ſupervenit ſuppreſſis, aut imminutis Cap. IV. menſibus, vel intermiſſis Cap. V. pallor enim in hoc triplici caſu a ſolo oriri debebit ſanguinis vitio, cum quo chylus permiſcetur, ceteris jam abſentibus cauſis.

3. At in iis circumſtantiis chyli ſimul, & ſanguinis vitia copulantur, ut duplici hac de cauſa natus pallor intenſior, ſæviorque evadat; Evidens itaque erit in eo triplici caſu omnis corporis ambitum faciei præſertim, quæ gracilior eſt, & diaphana eo colore imbui, quem cetera tria non coccinea elementa duplex nempe lymphæ ſpecies, ſerumque ſuppeditare valebunt, & eæ ſubſtantiæ cum album cinereum colorem, fuſcum nonnihil, luteum referant, ægrotantium cutim ſimili ratione deturpant, ut chloroticæ mulieres omnem prorſus venuſtatem amittant.

At

At plerumque hujuſmodi humores ſupra ſtatum naturalem majori bilis copia infici ſolent pro hepatis infartus ratione diverſa; quare ægrotantium facies varias flavedinis ſpecies refert, modo emortui folii, modo aurei numiſmatis colorem exhibet.

Tandem ſi infarciens bilis viridis, ac poracea ſit, tunc ſanguis viridem, aut viride-nigerrimum colorem vultui communicabit.

§. III.

Symptomata.

CHloroſis vetuſtior præſertim omnes pene functiones lædit; quam ob rem ut clarius incedamus in hac ſymptomatum congerie, enumerationem proſequi neceſſe erit, quam in iis deſcribendis articulo primo inſtituimus, idcirco ab iis initium faciendo, quæ ad læſas imi ventris functiones pertinent, ad thoracis, capitis, cutiſque innoxia phœnomena explicanda gradus faciemus.

1. Lacticinoſus fluxus unoquoque menſe in chloroſi intercipitur, qui ſanguinem infarciens, gaſtrico ſucco, atque ſaliva remixtus, eorum qualitates ita pervertit, ut vulgarium ciborum impreſſiones linguam, & ventriculum afficientes maxime labefactentur; præſertim ſi dulcia fuerant alimenta, quæ leviter organum afficient, inſipida videbuntur, ſi illa aſperum ſenſum excitaverant, nauſeoſa evadent, a quibus inappetentia, guſtuſque depravatio, quæ hunc morbum comitantur, dependent.

2. Eorum impreſſionum læſiones, quas lymphæ gaſtricæ, aut ſalivæ vitia producunt, poſſunt ita guſtum depravare, ut non ſolum tædeat ægras obviorum alimentorum, verum ſordes appetant, quales ſunt carbones, cineres, gypſum, cretam, ſal, aut acetum, quia hujuſmodi ſubſtantiæ, vel irritant magis guſtus organum, vel corrigunt ſalivæ, aut gaſtrici ſucci vitia, ac perinde eam depravati appetitus ſpeciem producunt, quam *Picam*, aut *Malaciam* appellant.

3. Ea depravatio pro ſubjectorum circumſtantiis diverſis varia eſt. Nam uno aliæ, alio alteræ ſordium genere veſci adamant pro ſpeciali a ſaliva, aut gaſtrico ſucco vitio adepto, aut ejuſdem vitii intenſitate diverſa, eæ varietates a conſuetudine etiam derivare poterunt, aut exemplo ceterarum mulierum ſimili laborantium vitio, quod non raro accidit.

4. Poſita enim ſalivæ, aut ſtomachicæ lymphæ corruptione, aut inefficacia id tantum ſufficiet, ut digeſtio ſub optimo etiam vitæ regimine naturæ uſibus impar evadat, verum vitæ regimen neceſſario impar eſſe debebit, ſi ægræ pleraque ſana alimenta contemnant, ac viliora tantum poſcant, quæ neque ventriculus ſubigere valet, neque optimam nutritionem ſuppeditabunt, nil enim mirum ſi ex hac gemina cauſa, in chloroticis mulieribus digeſtio ſegnis, difficilis, laborioſa, ac imperfecta fiat.

5. Ab ea vero chymus, chyluſque ſubactus in ventriculo morans ejuſdem tunicas, ſuperiuſque orificium irritare potis erit, tum cardialgiam, vomitum, atque ſingultum excitabit, mox ad inteſtina tranſductus borboriſmata, colicos dolores, ac alvi fluxus inducere valebit.

6. Sanguinis ſpiſſitudo, quæ chloroſim præcedit, atque lactei humoris retentio, quæ illam comitatur, vel ſubſequens incompleta digeſtio varias ſecretiones implicare, ſecretoſque humores inſpiſſare videbis, ex quibus viſcerum obſtructione oriri debebunt, eorum præſertim, quæ ſegniores ſuccos naturaliter ſeparant, uti hepar, pancreas, ſplen, atque glandulæ meſeraicæ.

7. Hypocondriorum elevatio pluribus de cauſis ſuperveniet.

1. Ab ventriculi intumeſcentia flatu turgentis, aut indigeſtis cibis. 2. Ab inte-

inteſtini colon turgentia a retento aere circa ejuſdem flexionem hypocondria verſus. 3. A tumore obſtructi hepatis, aut lienis. 4. A ſympathica diaphragmatis contractione, quam ventriculi dolor excitaverat.

8. Cum diverſa ſit in ſingulis morbis uteri conditio, varia ſimul erunt ſymptomata ſuperventura; nonnullæ enim unoquoque menſe de doloribus colicis conqueruntur, nam cum omnia tunc parata ſint ad menſtrua cienda, vaſa idcirco vermicularia lacteo humore ſatura venas comprimunt, atque uterum doloroſa tenſione, & levi phlogoſi afficiunt: incaſſum tamen hæc omnia eveniunt, cum venoſæ appendices nihiloſecius reſerari renuant. Ii dolores, prout in utero diverſum occupat ſpatium irruens menſtruus ſanguis, modo hypogaſtri regionem aggrediuntur, modo lumbos, inguina, aut femora gravant; contra vero plures dantur morbi, in quibus nulla adſunt proximæ menſtruationis indicia; neutiquam itaque tenſionem, aut dolorem ægræ perſentiunt, imo per uterum libera circulatio perficitur.

9. Ex *una* enim parte in chlorotico morbo ſanguinis copia continens augmentum acquirit, ſuppreſſionis, aut menſium ſegnitiei ergo, quare vaſa laxi partium contextus præſertim pulmonum videlicet turgide apparebunt; ex *altera* vero parte in hoc morbo ſanguis ſpiſſior, viſcoſus jugiter redditur, quia ab imperfecto, aut impuro chylo producitur, ideoque vaſa replere debet, pulmonum potiſſimum, quæ maxime tumefacit, ac ea duplici de cauſa veſiculæ pulmonales compreſſæ a circumpoſitis tumidis vaſculis difficillime ſeſe explicare valebunt, quod brevem, ac laborioſam reſpirationem faciet.

10. Conſequens erit neceſſarium in hoc ſtatu pulmones impares eſſe, omnem congeſtum ſanguinem penitus exprimere, veſiculis non ſatis extenſis, reliquus itaque exuberans ſanguis ſollicitabit ſingulis momentis novas inſpirationes, ac proinde reſpiratio crebrior, præceps magis fiet, quo brevior erit, ac difficilior.

11. Cum ſanguis vehementius a muſculis exprimatur, dum majori vi contrahuntur, ut ſanguis ita elicitus uberius mollia viſcera infarciat, qualia pulmones ſunt, ideoque quo magis ægræ ſe exerceant, eo turgidiores cruore ipſi evadent, quod reſpirationem difficiliorem, moleſtam, breviorem, atque præcipitem inducere valebit; id præſertim evenit, quando velocius properant, aut clivum aſcendunt, ubi grandiores, & violentiores contractiones excitantur.

12. Cum ſanguis vaſorum pulmonalium turgentiæ potiſſimum cauſa difficulter a ſiniſtro cordis ventriculo ad aortam, & a dextero ad pulmonalem arteriam tranſeat, conſequitur porro ventriculos imperfecte evacuari, quare ſyſtoles cum incompleta evadat, crebrior etiam, & exigua magis erit, quam in ſtatu naturali, & qui ei reſpondent pulſus, exiliores, & frequentiores apparebunt.

13. Demonſtravimus jam ſuperius articulo vigeſimo, muſculos in chloroticis infirmiter contrahi, cor vero muſculorum lege idem patiens pulſos debiliores, quam in ſtatu naturali gignere, dummodo ſaltem inertem ægræ vitam gerant.

14. At ſi illæ mox validiori corporis exercitio ſuccutiantur, non modo pulſus crebrior evadet, quia ſanguis a muſculis expreſſus velocius in cordis ventriculos irrumpit, atque tumefacit, verum magnus, atque fortior fiet, cum ſanguinis copia cor replens, contractiones arteriarum vividiores, & ampliores excitaverit.

15. Cruor, qui in hoc morbo per abdominis viſcera, atque matricem præſentis obſtructionis ergo circumvehi impeditur, caput uberius aggredi debebit, atque capitis dolorem excitare in chloroticis obvium.

16. Hujuſmodi vero capitis affectus vehementer augebitur, modo ægræ animi pathematibus corripiantur, aut corporis exercitatione nimis concitentur, quæ ſanguinis motum promovendo cerebrum magis, atque magis infarcient.

17. Ea-

17. Eadem de cauſa carotides arterias atque temporales pulſari crebrius conſpicies, quia ſanguis eo copioſe evectus ampliores, validioreſque contractiones excitabit.

18. In chloroticis mulieribus parum ſpiritus animalis ſecernitur, tum exiguæ copiæ ergo, quam ſpiſſus ſanguis cerebro ſuppeditat: cum difficillimæ diſtributionis cauſa, quam cruoris ſegnities inducit, ex iis cerebri fibras laxari videbis, ſpiritus ipſos a ſeroſo ſanguine ſeroſos ſeparari, tum fibras illas madefactas nimis, molliores fieri, vero humectatis, laxatiſque ceterarum partium fibris ægras pertinaciori ſomno corripi in compoſita ratione laxitudinis, & mollitiei fibrarum earum.

19. Quam ob rem morboſa hac cerebri labefactione mulieres laborantes etiam expergefactæ externis objectis quam debillime commovebuntur, ut eorum pleraque abhorreſcant, ſocietatem effugiant, ac triſtitia abreptæ, ſtupidæ, ſuique compotes non appareant.

20. Quamvis contemptio rerum omnium, quas ætatis ratione magni facere deberent, ſatis hujuſmodi ægras deſides faciat, eo magis ipſæ tamen ignavia marceſcunt pro vita ſedentaria, qua magnopere delectantur; id duplex cauſa producit, primum fluidi nervei inopia, & per nervos ejuſdem ſegnities, ex quibus muſculorum contractiones labefactantur, ſecundum ſanguinis muſcularem ſubſtantiam infarcientis reſiſtentia, quæ ita muſculos contrahi impedit, ut dolorem interdum pariat.

21. In eo morbi ſtatu cruor pene omnis lympha eſt, ſeroſitate refertiſſimus, iſque a cordis atque arteriarum pulſibus parum quaſſatur; ſerum itaque lympha ſpiſſiori imperfecte remixtum facilius ſeparari ſinet, verum vaſorum eſtremitates infarciens uberius ſeroſitatem in lymphaticas venas impellet, tandem eæ lymphaticæ venæ laxæ jam, & labefactatæ difficillime ſerum exprimere potis erunt, quod ibi perſiſtet. Ex hoc enim cauſarum complexu facile concludi poteſt, in chloroſi partes omnes ſeroſa lympha infarciri, ut omnia *Leucophlegmatiam*, aut univerſale œdema futurum eſſe prænuncient.

22. Die, & veſpere præſertim pedes, crura, atque femora interdum œdematoſa fient, 1. Nam cruor contra leges gravitatis evehi coactus majorem lymphæ copiam ibi relinquet; 2. Verum, quia hujuſmodi ſeroſa lympha, capillaria pertinacius obſtruens, difficilius ſurſum tolli potis erit.

23. Lectulo jacentibus ægris pro orizontali poſitu, tum extremitatibus, cum ceteris corporis partibus humores ad libellam ſe ponunt, eorumque circulatio æque facile undique perficitur, atque œdema evaneſcit: vultus tamen adhuc tument, tumentque palpebræ, & oculorum vicinia, nam hujuſmodi partes laxiori donatæ contextu, minus elaſticæ ſunt, minuſque valent detentam lympham expellere.

24. Cerebrum ipſum mollitiei ratione œdemate affici poſſe ſuſpicari licebit: quare ei tribui poterit difficultas, qua mane e ſomno excitantur, ſumma ad eum proclivitas, donec jacent, atque ſtupor perſiſtens paullo poſtquam ex cubili ſurrexerunt, uſque dum poſitus immutatio levet, vel ſaltem imminuat cerebri œdema.

25. Veniunt tamen plura ſymptomata perpendenda in chloroticis obvia: hujuſmodi ſunt inappetentia, vomitus, ventris tumor, convulſiva præfocatio, atque ſordium quandoque appetentia, quæ ab hyſterica cauſa derivare videntur, atque catameniorum in utero ſuccuſſione; verum ſuſpicionem noſtram explanare omittimus, quod percipi difficile eſt, antequam hyſtericam paſſionem oſtendamus, quam extremo Libri ſecundi capite explanabimus.

§. IV.

§. IV.

Diagnoſis.

I. Morbi indoles facile innoteſcit, nam ſi puberes inſpicies, vel mulieres pallidas, ac decolores fieri, nullo præcedente morbo, cibos reſpuere, ſordes appetere, neque ſui compotes eſſe, &c., quarum catamenia aliunde cognoſcas retardata, imminuta; aut ſuppreſſa fuiſſe, tuto aſſerere poteris illas chloroſi laborare, quæ phænomena menſtruorum ſegnitiei, aut ſuppreſſionis ergo in diem aucta, eo magis Diagnoſim confirmant.

II. Neque arduum videtur diverſas cauſas detegere, quæ varios morbi gradus conſtituunt; chloroſis enim ſupervenit juvenibus nondum menſtruantibus, etiamſi puberes fuerint, quæ diſcrepantia catameniorum defectui tribuitur. In mulieribus viro junctis, quæ concepiſſe ſuſpicantur ad menſium ſuppreſſionem pallorem referunt, quæ geſtationem conſequitur. Tandem ſi eo laborent nubiles jam menſtruantes, vel jugatæ citra conceptionis ſuſpicionem, aut viduæ, niſi menſtruorum inopiæ, ſuppreſſioni, aut cunctationi morbus tribuitur: *vid. cap. iv. & v.*; quibus eorum cauſas perſcrutati ſumus; at ægræ ipſæ paſſionis hiſtoria non parum lucis præbere valebit.

Interdum tamen mulierum mentiri valde intereſt, ut earum aſſertiones infidæ videantur: quot nubiles enim, aut viduæ jam fœtum gerentes, potius quam crimen fateri, ſuadere ſtudent faciei pallorem, atque corporis laxitudinem ab interceptis, aut morbo ſuppreſſis menſibus procedere, neque illis credendum, quæ nos fallere nihili ipſis pendere affirmant: quoties enim jugatæ procul dolo geſtare ignorant, atque pluribus ſymptomatibus laceſſitæ remedia poſcunt, quæ ipſis ſanitatem reſtituant; tamen prudens Medicus de proprio nomine, atque artis decore ſollicitus, monitus conſulat, quæ *Cap. IV. Art.* 5. propoſuimus, quæque recenſeri hic ſupervacaneum cenſemus.

III. Morbi gradus facile deteguntur: ab ægritudinis enim diuturnitate; ſymptomatum natura, & numero, atque functionum læſarum nobilitate plane deducuntur, quod tamen intererit perſcrutari tum ad Prognoſim, cum ad optimam medendi rationem inſtituendam.

§. V.

Prognoſis.

I. Chloroſis plerumque morbus diutinus, & pertinax evadit, nam ut ei medeamur, catamenia provocare in iis, quæ nondum menſtrarunt, vel ea reſtituere, aut confirmare oportet in menſtruantibus mulieribus, quod utrumque difficillimum eſſe *Cap. III. & IV.* obſervavimus.

II. Haud infrequenter morbi vetuſtate ipſe diuturnior, & pertinacior fit, temporis enim diuturnitate eruptionis impedimenta roborantur, atque neceſſariam humorum ſubactionem magis, atque magis implicant.

III. Felicem tamen eventum prænunciare poterimus, ſi ſemel menſes apparere incipiant, etiamſi inopes valde, decolores, aut inordinate revertantur, tunc remediorum continuatione integram eorum reſtitutionem ſperare fas erit.

IV. Nihiloſecius cum hujuſmodi morbus facile renovari poſſit, idcirco caute de futura valetudine pronunciabimus, ſæpiſſime enim, dum ægras convaleſcere autumabis, ægritudinem redintegrari videbis, vel quod obſtacula nondum remota fuerint, vel quod minima de cauſa novum ſanguinis inquinamentum regi-

regiminis vitio, animi pathematibus ortum, aut tempeſtatis rigor morbum innovet.

V. At quantumvis difficile chloroſi mederi videatur, ipſa tamen parum damni infert, dum recens eſt, ac leviora ſanguinis vitia producere valet, quare cum viſcerum obſtructiones, quæ menſes intercipiunt, nondum univerſales appareant, remediorum uſu ea obſtacula ſubverti poſſe ſuadendum erit.

VI. Contra vero inveteratus morbus periculo non vacat, experientia tamen didicimus, eum feliciter curari poſſe, dummodo nullum perniciosum valde ſymptoma ſequatur, atque ægræ exacte Medico obediant, vitæque rectum regimen obſervent, quod raro tamen eveniet.

VII. Maximum tunc detrimentum patientur ægræ, ſi ipſæ ſordida nimis poſcant alimenta, libenterque edant; tunc enim *ex una* parte hujuſmodi depravatus appetitus oſtendit, ſalivam, & gaſtricum ſuccum lacticinoſo uteri humore in ſanguinem exuberante inquinari nimis, quod vermicularia ipſo valde infarciri ſupponit, ejuſque regreſſum, per venoſas ſemitas impediri, *ex altera* vero parte ſordes, quas appetere non renuunt, craſſiorem chylum ſuppeditare, qui in diem ſanguinis ſpiſſitudinem augendo, obſtructiones parit, auget, atque nuperrimas ceteris viſceribus inducit.

VIII. Perniciosiſſimus, atque periculoſus magis morbus, evadit, cum chloroſis ampliores infartus præbeat, eoque pertimeſcendus, ſi uteri, aliorumque viſcerum ſcirrhos, aut pulmonum tuberculos &c. gignat, vel ſi ſanguineos excreatus, vomitus, leucophlegmatiam, abdominis, aut uteri hydropem, febres intermittentes, rebelles, aut lentas, hecthicas producat.

IX. Tandem quæ diu chloroſi laborarunt, ſteriles fiunt, vel difficillime, aut ſero concipiunt, aut fœtus per idoneum tempus gerere, eoſque ſanos, vividoſque parere impares evadent, quod merito infartui uteri tribuitur, qui conceptioni, aut fœtus nutritioni officit, ut ſpecialiter Libro tertio examinabimus.

X. Ab iis excipies, quæ geſtationis ergo pallidæ fiunt omni detrimento expertes, quæ a tertio, vel quarto menſe naturalem colorem recuperant, atque conſervant, quia embrione tunc aucto ipſe majori nutrimento indigens, omnem aſſumit lacteum humorem, cruoremque in vaſis exuberantem.

§. VI.

Curatio.

TRes ſunt chloroſis ſpecies a conceptione procedentes: quæ nondum vel incomplete menſtruantes puellas afficit; quæ ſuppreſſis, aut valde imminutis menſibus laborantes vexat; quæ gravidas adoritur.

I. Hæc poſtrema nullum remedium poſtulat: tertio enim, vel quarto geſtationis menſe ſponte abit, neque remediis ei obvenire neceſſe erit, nam menſes perperam provocando abortus facile induci poſſet, ſi forte pharmaca efficacius agant; optimum enim conſilium erit, morbum negligere, cum pallor tunc neceſſarium videatur geſtationis ſymptoma omni periculo expers, vel ſaltem palliativa medela uti intererit, quæ hujuſmodi phœnomeni incommoda leviter compeſcat. Ea de cauſa

2. Ægras admonere oportebit, ut optimum vitæ regimen obſervent, quantum ciborum depravatus guſtus permiſerit; igitur cavendum erit, ne nimia ſordium cupidine laborent, neque tamen eas cupientibus pertinacius contendere conveniet, rationibus potius ægras admonebis; verum ſi rationis compotes non ſint, iis potius erit indulgendum, quam acriter obſiſtendum, nam experientia docuit ita minus lædi.

2. Suf-

2. Sufficit tunc digeſtionem promovere, atque ventriculum aliquo idoneo ſtomachico modica doſi ſumpto roborare, circa quod ægrotantium guſtui, & ventriculi viribus conſulere cenſeo, uſitatiora tamen hujuſmodi, quæ magis commendantur remedia, ſunt, Extractum juniperi, Confeſſiones hyacinthinæ, & alkermes, Theriaca, Opiatum Salomonis, Rhabarbarum, aut Cortex Peruvianus, vel ejuſdem tinctura, Coralia rubra, Oculi cancrorum, atque oſtrearum teſtæ, Elixir denique proprietatis ſimplex, vel garrus, quinta eſſentia abſynthii, atque aqua Carmelitarum.

3. Interdum uſuvenit blandis clyſteribus demulcentibus alvum ciere, ſi naturalis deſit lubricitas, ita craſſa inteſtina expiando ventriculus facile ſaburris liberabitur, quandoque enim ſuſpicari licebit, quod ſordium impuritates imperfecte ſubactæ, quibus gravidæ veſcuntur, in inteſtinis morantes areſcant ita, ut fæces citra abortum expelli nequeant.

4. His de cauſis præter clyſteria interdum lenioribus purgantibus uti cogimur, ut efficacius primæ viæ repurgentur, qualia ſunt Rheum, Manna, Sal vegetabile, ſimul etiam remixta, aut pulpa Caſſiæ, ſero lactis, vel infuſu ſeminum lini ſoluta.

5. Nihil enim timendum eſt, ſi mulieres primo geſtationis menſe ſæpius vomant, imo ſaluberrimum eſt ſi hujuſmodi evacuatio a ſordibus ventriculum liberet, quibus gravatur, vomitus ſane tum matri, cum fœtui non parum nutritionis demit, at magis intereſt, utrumque primis menſibus deficere, potius quam deleterio exuberent nutrimento.

6. Moderari tamen vomitum juvat ſi pertinax nimis, & violentus evadat, idcirco longe a prandio poſtquam vomitu evacuatus fuerit ventriculus, ac ptiſanæ, aut thei poculo lotus, exhiberi poterunt grana decem theriacæ, aut unum pilularum Cynogloſſi, aut Starkei tertia quaque hora ſumpta, donec penitus vomendi conatus compeſcantur.

7. Hanc methodum jugiter, patienterque proſequi neceſſe erit initio laborioſarum geſtationum, uſque dum tertio deſinere incipiant, & quarto tandem menſe ea phænomena prorſus abeant; tunc enim aucto fœtui robore, qui uberius alitur, naturalis appetitus reſtitui, ac digeſtio in mulieribus rite perfici ſolet; vultuſque vividus revertitur in iis color.

II. Ceteris duabus palloris ſpeciebus, quas ſegniores, aut ſuppreſſi menſes producunt catameniorum eruptionem ſollicitando, aut revocando ſolummodo medetur. Patet enim nihil differre palloris medelam ab ea, quæ ſuppreſſionem, aut menſium ſegnitiem reſpicit, quorum morborum ipſe tantum ſymptoma videtur, quare caput quartum pervolventibus, ubi multiplex exſtat menſes ſuppreſſos medendi ratio, facile patebit, quæ pro circumſtantiis diverſis ægrotantium ætatis, aut viribus, vel temperamento accommodata remedia ſeligere fas erit. Verum cautelis omnibus attendere oportebit, eodem capite articulo tertio indicatis, maximi ſane momenti, quæ hic pariter animadverſionem poſtulant.

Præter hanc tamen medendi methodum, quam eradicativam appellant, alteram hic, quam palliativam dicunt, oſtendimus, quæ morbi progreſſus imminuere, aut præoccupare valet; non omnis enim tempeſtas eradicativam inire curationem permittit, imo temperationibus in quibus magis convenit, haud raro eam ſubſequuntur optimi effectus, qui integram valetudinem promittant, quamborem palliativam plerumque methodum proſequi coacti ſumus ad levandum ſaltem, niſi tollendum morbum, quæ etiamſi eſſentialiter a priori multum diſtet, ſpecialiter tamen hic explicationem meretur.

1. Optimum vitæ regimen præſcribere, atque alimenta boni ſucci, ac facilis digeſtionis ſubminiſtrare oportebit, viliora quæ poſcunt ſtrenue interdicere, utpo-

utpote quæ morbum confirmant, atque augent; quare huic ſedulo incumbere noſtrum erit, præſertim cum mulieres tunc citra geſtationem omni periculo vacent; ægris verum ſuadere intra epulas vinum aqua remixtum haurire, vel parum meraci a prandio quandoque ſaccharo, aut nuci miriſtica copulati ingurgitare, ipſas vero ſollicitare ut primo mane cubile relinquant, vere preſertim; denique ne melancholia corripiantur, cum ſociis lætam conſuetudinem ineant, tandem ſtudere ut matutinis horis jejuno ſtomacho gradatim ſpatientur.

2. Si te non latuerit illas valde opprimi palpitationibus, aut pertinaciori capitis dolore magnopere laborare, præſertim cum pulſuum plenitudo, aut ver, vel æſtas id poſtulent, ægras identidem flebotomizare opus erit; brachium enim ſecare poteris ſi proximæ abſint menſtruationis indicia, quamvis pedem etiam ſcindere liceat; at hujuſmodi venæ ſectio magis idonea, imo neceſſariiſſima videtur, quando menſtrua cito futura ſuſpicemur.

3. Caveto venæ ſectionem frequenter nimis reiterare, cui ſubſtitui poterit calidum pediluvium per horam, vel duas unum caloris gradum continenter ſervando, illud praxis docuit utilitatem æquare levioris venæ ſectionis, inferius ſanguinem evocando, atque caput, cor, & pulmones levando.

4. Si ægræ pedum œdemate laborent, in pediluvio decoctiones uſuveniunt plantarum Aromaticarum, quæ ſunt Roſmarinus, Thymus, Salvia, Serpillum, Majoranna &c., quibus addi poterunt duo vini ſextarii, vel ſpiritus vini œnephoris quadrans, ut horum remediorum ſpirituoſi moleculi ſolvantur œdema, calore vero ſanguis evocetur.

5. Quantumvis ſedulo vitæ incumbamus regimini ægrotantium, tamen errores, aut ventriculi vitia, ſaburras, aut cruditates continenter producunt, quæ in diem digeſtionem perturbant ut eas identidem purgare cogamur. Si ipſæ graciles ſint, emaciatæ, lenta febre, aut phthiſi corripi videantur, compoſita erunt eccoprotica adhibenda ex Rheo, Sale vegetabili, Polychreſto, aut manna, caſſia, ſyrupo pomorum, aut florum perſicorum conflata; at ſi pituitoſo donentur temperamento, & œdematoſæ fiant, infuſus locum habet folliculorum ſennæ, in quo ſoluta fuerat uncia una & ſemis, aut duæ mannæ calabrienſis; præſcribi pariter poterunt diagridium, pulvis cornachinus, aloes, jalapa, vel turbith ſub forma bolari.

6. Ut conſtantem tamen purgantia effectum præſtent, ſtomachicis interdum uti opus erit, quæ completam digeſtionem confirmando chylum perficient in ſanguinem tranſiturum. Hinc idonea reperies ſtomachica, quorum ægrotantium conſtitutioni, & morbi gradibus magis accommodata ſeligere poteris.

Aromata.

Cinnamomum Caſſia lignea Cortex pſeudo-vvintheranus Charyophylli Macis Nux aromatica Cardamomum	Quæ modica doſi, vel cibis permiſceri poterunt, aut ex iis vina medicata præparari, quæ cochleatim mane jejunio ſtomacho haurire licebit:
Crocus Orientalis	Vel ſubtiliter pulveriſatus, ſumitur a granis x. ad xv; vel exigua doſi theiformi infunditur jejuno ſtomacho mane ſumendus.

Gra-

Grana

Semina Coriandorum Baceæ Juniperi	Hauriuntur ſub ptiſanæ, aut thei forma.

Electuaria, & Confectiones

Theriaca Conf. Alkermes Conf. Hyacinthina Opiatum Salomonis Extractum Juniperi	a gr. xx. ad drachm. ſemis, mane jejunio ſtnmacho ſuſumenda cum vini cochleare.

Elixiria

Aquæ deſtillatæ, vel ſtomachicæ præparationes

Elixir proprietatis ſine acido Quinta eſſentia abſynthii Aqua meliſſæ, ſeu Carmelitarum	a gutt. xxv ad xx cum vini cochlea a jejuno ſtomacho mane ſumenda.
Aqua Menthæ	ad unius, vel dublicis cochlearis doſim.
Elixir proprietatis, ſeu Garrus	Doſis erit exiguum cochlear aquæ, aut vini duplo commixtum
Decoctio abſynthii Vinum abſynthiatum Syrupus abſynthii	ab ℥ vi. ad. vii. ab ℥ iii ad iv. ab ℥ i.

Gummi, aut Reſina

Maſtix Myrrha	a gr. x. ad xv. in ſubſtantia, ſub forma bolari

7. Stomachicis addi poterunt mitiora aperientia *Cap. iv.* indicata ex iis efficaciora eligendo, at in genere ferrum, vel chalybs utitiora ſuppeditat, qualia ſunt,

Limatura ferri, aut chalybis phyriſata	a gr. x. ad xviii., vel xx. jejuno ſtomacho, confectione hyacinthina, aut in prandio Rhabarbaro remixta.
Crocus Martis aperiens Maji matutino rore confectus	cum opiatis, velut limatura a xv. ad xx. grana ſumitur.
Crocus Martis per balneum Mariæ confectus, ſeu ut vocant, Ethiops Martialis.	a gr. xv. ad xx.
Tartarum Martis ſolubile: Sal Martis Riverii	ſub forma bolari ſumitur, aut ſolutum ptiſana quadam, aut decocto a gr. xviii. ad xx.

Tinctura Martis	a gutt. xx. ad xxv. decocti aut ptiſanæ poculo infuſa.
Globuli Chalybei	decoctionis aperientis, aut ptiſanæ cratere infuſi donec fluidum nigro colore inficiatur.
Vinum album Chalybeatum ſuperaffuſum, videlicet limaturæ Chalybis, aut Croco Martis aperientis.	ab ℥ iij ad iiij mane ſumendum
Aqua Chalybeata infuſione Croci Martis, ferri æruginoſi, aut clavorum	pro ordinario potu vino copulata

8. Aperientia remedia congrua doſi ſtomachicis conſociando, infuſus, decoctiones, apozemata, pulveres, boli, opiata & innumera componi poterunt ſimilis ratione ac Cap. IV. docuimus.

9. Cum aquæ thermales intus ſumptæ una congerant utilitates omnes purgantium, aperientium, atque ſtomachicorum, ideo efficaciſſimæ in chloroſi experiuntur, ſi idonea tempeſtate, vere nempe, & autumno per longum tempus, modica doſi exhibeantur, dummodo ventriculi vires permiſerint, in Gallia præſtantiores ſunt hæ *Vichi*, *Plombieres*, *Balaruc*, *Bareges*, *Bagneres &c.*

Aquæ minerales ferrugineæ, quæ gallarum admixtione nigro inficiuntur colore Martis ergo, quo ſaturantur, utiliſſime evadunt in chlorotico morbo; poſſunt enim exhiberi æſtivo tempore per plures quidem dies modica tamen doſi, ipſis interdum permiſcendo idoneam quantitatem Salis Polychreſti de *Seignette*, aut *de Duobus* ut cito eliminentur; hujus ſenſus illæ ſunt *Vals*, *Caranſac*, *Spa*, *Buſſan*, *Forges*. Animadvertendum tamen eſt eas interdicendas eſſe quando ventriculus labe, aut artus inferiores œdemate laborent cum anaſarcæ metu pari ratione, ut circa uſum thermalium ſuperius admonuimus.

10. Inter uſitariora remedia ſubſequens extat quæ præcipuas indicationes implet

℞ Limatur. Chalyb. in aqua præparat. Cinnam. pulverati, ana. part. j.
Sacchari tenuiſſime triti, part. ij.
M. F. pulvis, cujus doſis a Ʒ ß *ad* Ʒ *j.*

Hujuſmodi pulvis exhiberi poteſt mane, vel inſtante prandio jejuno ſtomacho, ſuperbibendo ſimplex, vel duplex poculum diluti juris, aut decoctionis plantarum aperientium.

Cum ægræ ventris ſtipticitate afficiantur, huic remedio bis in hebdomada grana aliquot Rhabarbari addi poterunt ſi ventriculus peccet; pulveris vero Cornachini, aut Hydragogi cujuſdam, ſi pedum œdemata appareant: ſi auctoribus nonnullis fides habenda eſſet, uti ſpecifica remedia in hoc morbo amplecti poterunt 1. Radix condita Angelicæ ad ℥ vel ℥ ß mane comeſta, aut ejuſdem paullo majoris doſis decoctio duplici aquæ cratere ſumpta. 2. Simili ratione commendant Scorzoneræ radicis decoctum. 3. Verum ſex, duodecim, aut quindecim grana Bezoaris Orientalis quidam magni faciunt cochleare ſoluti decoctionis plantarum illarum; at multum abeſt, ut laudes eximias hæc remedia mereantur, quas de iis prædicarunt, quinimo experientia didicimus cæteris vulgaribus remediis ea nihil prorſus præcellere.

12. Cum palloris phœnomena magis teterrima ſint pulmonum labefactatio, aut phtiſis ipſa, quas ventriculi dolor, crebra tuſſis humida, vel ſicca, macies, inſomnia continenter prænunciant, tum motus veſpertinus febrilis, aut nocturni

ni ſudores &c., ſedulo itaque ea præoccupare fas erit, cum nonnulla eorum indicia appareant, hac de cauſa identidem venam ſecare intererit: primas vias caſſia, manna, aũt ſero expiare, jura vero quandoqne exhibere ex pullo, vituli roſtro, ranis, aut teſtudinibus confecta, dein furfuricula aqua aut vituli jure cocta, & cinnamomo, aut ſaccharo remixta proderit; verum veſpre leviora narcotica uſuveniunt, qualia ſunt decoctio capitum papaveris albi, ſyrupus diacodii ad ℥ iij vel iiij. aut pilularum Cynogloſſi ſimilis doſis, quæ moleſtam tuſſim compeſcant, lac denique præſcribi poterit plantis bechicis, & pectoralibus deſtillatum, aut ſerum depuratum floribus Verbaſci ſuperaffuſum, tum lac caprinum, aſininum, aut vaccinum pro alimento ſi ventriculus ſinant; interdum ſuſpendere opus erit palloris medelam, & cum ad eam revertamur caute incedendum erit idoneis bechicis aperientia temperando.

13. Univerſalis œdema, ſeu anaſarca obvium pariter eſt atque moleſtum chloroſis ſymptomata, ut ipſum igitur præoccupemus, atque una penitus ſubjiciamus, erunt adhibenda 1. decocta ſarſæ parillæ, radicis petroſelini, decoctionibus diureticis remixto, aut mille pedibus. 2. Decoctiones diureticæ ex radicibus apii, cardui, chærophilli, naſturci fontani, pinpinellæ &c. 3. Boli diuretici ex pulveribus confecti aſellorum, ſalis admirabilis Glauberi, aut arcani duplicati, quibus adduntur ſyrupus ramni cathartici, terebinthina Veneta &c. de cetero remedia, quæ in chloroſi adhibentur nihil officiunt anaſarcæ adverſus quam ſimul conveniunt.

14. Neminem latet in diuturnis, & laborioſis morbis ſæpe mutari remedia oportere, id tamen in hac morbi ſpecie potiſſimum convenit, ubi ventriculus medicamentis aſſueſcit, quibus nova ſubſtituere neceſſe eſt, idcirco modo ſtomachica, modo aperientia, modo utraque ſunt adhibenda, interdum purgantia iis addere opus erit, interdum humectantia, diluentia, aut demulcentia ſubſtituere, præſertim ſi thoracem labefactari ſuſpicemur, tandem diuretica, & hydragoga locum habent, ſi œdema hydropem minetur.

15. Connubium denique optimam medelam præſtat: id jam (a) Hippocrati innoteſcebat, quod poſtea innumeræ obſervationes confirmarunt: admonendum tamen eſt, ut ſaluberrimos præbeat effectus, eamdem methodum proſequi intereſſe, quam pro corporis exercitatione n. 1. commendavimus: primum videlicet viro ſenſim ſenſimque uti, ſi id temperantia ſinat, crebrius vero donec uterus valeat ſubire utilitates omnes, quæ ab eo poſſunt derivare, atque contractiones aut ſciſtalticas obſcillationes perſentiant, quas matrimonium inducere ſolet, lymphæ, cruoris, lacteique humoris circulationem reſtituindo, quæ catameniorum eruptionem perfecte revocabit.

CAPUT IX.

De menſibus nimiis, atque uteri hæmorrhagia.

§. I.

Deſcriptio.

CUm in mulieribus ſanguinis fluxus imminui, vel intercipi poſſit, ita uberroſus nimis quandoque evadit, ut viribus officiat, novumque morbi genus conſtituat, ei directe oppoſitum, de quo Cap. IV. diſſeruimus.

(a) *De Morbis Virginum.*

Hujuſmodi dupliciter conſiderari poteſt, modo fluxus quamquam immodicus aliqualem adhuc periodi ſpeciem retinet, & *menſes nimios* tunc ipſum appellant, modo nullam periodorum legem præſefert, imo copia, aut pertinacia vitiatur, ideoque ſanguinis jacturam, aut *uteri hæmorrhagiam* vocare conſueverunt quare ambas ſpecies ſingillatim explicabimus, & primo

Menſes nimii: Fluxuri ſanguinis copia a tribus potiſſimum cauſis dependet, a periodo menſtruorum a fluoris perſiſtentia, atque ubertate fluentis ſanguinis, ut ſuperius *Cap. IV.* perpendimus, ubi vidimus catamenia imminui eorum reſpectu dum raro revertuntur, cito deſinunt; vel exigua quantitate fluunt; ex converſo enim inferri poterit menſtruorum frequens regreſſus, effluvii perſiſtentia, vel ejuſdem copia menſes nimios facere.

I. Hujuſmodi conditiones vel ſingillatim peccare poſſunt, ideoque immodici menſes crebri, diutini, aut uberrimi apparebunt; & *primam* conſtituent morbi ſpeciem.

II. Vel binæ ſimul conditiones vitiantur, quare crebri, & diutini; vel diutini, & uberrimi, vel uberrimi, & crebri menſes redibunt, atque *alteram* morbi ſpeciem inducent.

III. Vel omnes tandem hujuſmodi conditiones continenter agent & *tertiam* producere valebunt menſium nimiorum ſpeciem.

Ne decipiamur igitur animadvertendum eſt, cum haud facile ſit in ſtatu naturali determinare catameniorum ſtadia reſpectu eorum diuturnitatis, ac copiæ, quæ omnia in diverſis ſubjectis pro ætatis, temperamenti, climatis, aut vitæ geſtæ ratione variare ſolent, eo itaque difficilius erit hæc definire in iis, quæ nimio laborant fluxu an morboſus ſit, nec ne. Quapropter ſuperallatæ conditiones non ſufficient; ut morboſus menſium ſtatus videatur, niſi nocua quædam ſuperaddantur phœnomena, quæ illos contra naturæ leges erumpere confirment: hujuſmodi ſunt guſtus depravatio, pallor, languor, laſſitudo, œdema, atque univerſalis labefactatio.

Ut hujuſcemodi effluvium *ſanguinis jactura* nuncupari mereatur, aut copioſum, aut diutinum valde eſſe debet; Quando uberrimum fluit; *uteri hæmorrhagia* ſolet appellari; quando diuturnum magis, minus abundans tamen, Latine, (*a*) *Stillicidium*, aut *Ploratus uteri* vocari ſolet; Gallico ſermone *Perte mediocre*, aut *Suintement de ſang de la matrice*.

Facilius eſt ſanguinis jacturam, quam menſes nimios detegere, nam proculdubio omne ſanguinis profluvium, tum ubertoſum nimis, parumque perſiſtens, cum modicum, diuturnum tamen inter veros morbos ſolent recenſeri.

De cetero omnes ſanguinis fluxus, qui utero gerentibus, aut puerperis ſuperveniunt, & in partu ſæpiſſime, aut abortu immodici fiunt, ad uteri hæmorrhagias ſane referri debent, at cum in circumſtantiis diverſis adoriantur; quæ ſpecialia poſtulant remedia, ſuique generis phœnomena producant, idcirco Lectorem mittimus ad Librum Tertium, ubi ſingillatim de geſtatione, & morbis eam conſecuturis verba faciemus.

§. II.

(a) Auctores nonnulli uteri *Stillicidium* pro menſium imminutione habent, at valde decipiuntur, nam diutinum, & continens effluvium, quale eſt *uteri Stillidium* vera eſt ſanguinis jactura, etiamſi modica: *Aetius* tale profecto cum conſideravit dum primus de hoc morbo loquutus eſt. *Tetrabibl. IV. Serm. 4. Cap. 63.*

§. II.

Cauſæ, quæ menſes nimios inducunt.

ID eſt trium morborum cauſam explicare, ſeu ſingillatim perſcrutari, qua ratione menſes, vel, 1. cito revertantur: 2. nimis perdurent, aut 3. uberrimi nimis fluant.

I. *De menſibus crebris valde.* Si paulisper menſtruationis leges examinabimus, tribus de cauſis apparebit, menſes citra naturæ ordinem citiſſime renovari. 1. vermicularium vitio, dum citius quam par eſt lacteus in iis cumulatur ſuccus; 2. appendicum venoſarum faciliori productione, atque diſtenſione, quæ a minima vermicularium turgentia reſerari ſinunt, cruoremque crebro effundunt. 3. Sanguinis, labe, qui in eas appendices nitens ipſas haud infrequenter aperiri cogit. Tres hujuſmodi cauſæ ſingillatim, vel complexim binæ, vel omnes ſimul pro diverſitate remotarum cauſarum, a quibus originem ducunt, quæque diverſa ratione inter ſe copulatæ periodos plus, minuſve breviores producunt.

1. Vaſa cito replentur vermicularia, atque crebro lacticinoſo ſaturantur latice, ciborum abundantiæ valde nutrientium cauſa, quibus opulentæ veſcuntur mulieres, quæ vitam otioſam inertem plerumque gerunt, quales ſunt Civicæ omnes; idem Altricibus evenit, quæ citius quam par eſt, mammis adhuc turgentibus, lac emittere ſtudent.

2. Appendices venoſæ producuntur, atque extenduntur facile, ideoque crebro etiam reſerantur vermicularum turgentiæ ergo, quæ molli, laxaque tunica obteguntur: in iis præſertim id accidere conſpicimus, quæ graciliori donantur corporis habitu, albo fluore laborant, vel quæ uteri excoriationes paſſæ ſunt in difficili partu, abortu, aut ſecundinarum extractione, vel quæ uterum ulcere habent corſum.

3. Sanguis magno niſu appendices frequenter, periri cogit, quando in vera plethora exuberat valde pro nutritione nimia, aut inertia, vel quando rareſcit in pſeudo-plethoricis mulieribus, ubi velocius circumvehitur, quod iis accidit præſertim, quæ acrioribus cibis, aromaticis, ſapidis aluntur, vel ſpirituoſos hauriunt liquores, nimis ſe exercent, vigilant, animi vexantur pathematibus, aut febre acuta laborant.

II. *De menſibus diu perſiſtentibus.* Eorum pertinacia tribus de cauſis oriri videtur: 1. Ex vitio vaſorum lacteorum, quæ ſupra ſtatum naturalem lacteo turgent humore, abſque eo quod illum effundant, comprimuntque venas circumpoſitas: 2. Appendicum vitio, quæ dum ſegniter reſerantur, lente ſanguine, continenter tamen, manant; 3. Sanguinis vitio, qui continuo eo affluens appendices diſtendit. Hujuſmodi cauſæ, ut ſuperiori articulo indicavimus, ſe junctim, vel complexim agere poſſunt pro remotarum cauſarum diverſitate, quarum diverſa copula, plus minuſve menſes producit.

1. Vaſa lactea diu turgida perſiſtunt, atque vicinas premunt appendices, quia anguſtis ſuapte natura ipſa donantur orificiis, vel palloris reliquiis obſtruuntur, quod lacticinoſi humoris effuſionem retardat; Latex enim uberrimus, (*v. n.* 1. *Art.* I.) qui vermicularia continenter replet, verum ejuſmodi humoris ſpiſſitudo (*ibidem*) effluvium implicat, atque impedit valde.

2. Appendices jam apertæ difficillime obducuntur pro tunicarum laxitudine, (*v. n.* 2. *Art.* III.) aut elaterii amiſſione (*v. n.* 2. *Art.* I.), vel quia excoriationibus labefactatæ fuerint (*ibidem*).

3. Sanguis uberrime in venoſas irruit appendices, quando veræ, vel ſpuriæ plethoræ cauſa per totum corporis ambitum redundat, (*v. n.* 3. *Art.* I.) vel

dum uteri vaſculoſo contextu a nimia lacteorum compreſſione retinetur, (*v. n.* 1. *Art.* III.) denique ſanguis celeriter circumvectus in appendices pari velocitate irrumpit, (*v. n.* 3. *Art.* I.)

III. *De menſibus nimis uberrimis*. Ubertas tres cauſas agnoſcit : 1. Vitium vermicularium, quæ turgidiſſima ſunt, comprimuntque vicina vaſcula, atque per appendices omnem erumpere ſanguinem cogunt; 2. Lata appendicum orificia, quæ pro ampliori diametro ipſum effugere ſinunt : 3. Cruoris velocitatem, quæ uterum verſus coccineum laticem impellens, ipſum uberius fluere cogit : hic pariter ex diverſo remotarum cauſarum connubio plus, minuſve abundans gignitur effluvium.

1. Vaſa lactifera tument nimis, dum eorum oſtiola, vel naturaliter exigua ſunt, vel palloris ergo obſtructa, ut proinde, lacticinoſum humorem minus valeant effundere; (*v. n.* 1. *Art.* II.) qui copia maxime illa replet, (*v. n.* 1. *Art.* I.) ac ſpiſſitudine difficillime erumpit (*ibidem*).

2. Orificia venoſarum appendicum in iis laxiora ſunt, in quibus circumveſtientes tunicæ laxæ nimis albi fluoris cauſa, aut aliunde labefactatæ apparent, (*v. n.* 2. *Art.* I.) vel excoriatæ fuerunt in laborioſo partu, abortu, aut fœtus, vel placentæ extractione (*ibidem*), vel ulcere eroſæ (*ibidem*).

3. Sanguis fluit velocius, & uberius in iis, in quibus eximia cruoris copia appendices infarcit (*v. n.* 3. *Art.* II.), vel in ipſas celerius irruit (*ibidem*), vel liquatus nimis facilius erumpit, ut in omni humorum ſolutione accidit.

IV. Animadvertimus jam ſuperallata enumeratinoe frequentiam, perſiſtentiam, vel ubertatem effluvii *priorem* conſtituere ordinem menſium nimiorum, qui plerumque ab iiſdem, vel affinibus cauſis originem ducunt; quare nil mirum ſi interdum caſu fortuito copulentur binæ earum cauſæ, ut *ſecundum* magis laborioſum ordinem efforment; vel tres ſimul agant, & *tertiam* producant maxime periculoſam, uberrimam magis effuſionis ſpeciem; at incaſſum fuſiorem exhiberemus explicationem, quæ facile cauſarum earum comparatione innoteſcit.

§. III.

Cauſæ, quæ uteri hæmorrhagiam producunt.

SAnguinis morboſa jactura maximam, & continentem valde venoſarum appendicum aperitionem ſupponit, quæ vel *uteri hæmorrhagiam* in copioſiori, aut *ſtillicidium* in diuturniori, ſed modico profluvio, inducere ſolet, ideoque hujuſmodi dilatatio duplex eſſe poterit, vel quæ nullam continui ſolutionem conjunctam habet, vel quæ aliqua læditur exulceratione : examinabimus nunc ſingillatim ambas.

I. Appændicum dilatationes, quæ citra continui læſionem accidunt, iiſdem de cauſis in uteri nimio profluvio producuntur, ex quibus menſes nimii oriri ſolent; ex. gr. appendicum orificia, quæ maximæ dilatari debent, quando cauſæ omnes (*n.* 1. 2. *Art.* III.) ſuperius indicatæ ſimul concurrant, tunc fluet uberius ſanguis per extenſa orificia, præſertim ſi ipſis ceteræ jungantur cauſæ (*n.* 3. *Art.* III.) enunciatæ, quæ veram *uteri hæmorrhagiam* perducere valebunt, a ſola ortam appendicum dilatatione, plus minuſve perſiſtentem pro cauſarum pertinacia, quæ orificia diſtendunt.

Modicam vero, ſed diuturniorem, eorum orificiorum dilatationem faciet cauſarum congeries (*n.* 1. 2. *Art.* II.) complexim agentium; exigua tunc copia erumpet ſanguis per longum tamen temporis ſpatium, præſertim ſi cauſæ addan-

dantur (*n.* 3. *Art.* II.); ideoque tunc habebimus a ſimplici orificiorum dilatatione abſque continui eroſione *uteri ſtillicidium*, ſeu *ſuintement della matrice*.

II. Dilatationes vero cum continui ſolutione, aut appendicum excoriationes plures cauſas agnoſcunt, quas tantum indicabimus, nam ſingulas alibi noſtrum erit perſcrutari; hujuſmodi ſunt;

1. Ulcus uteri plus minuſve extenſum, profundum, aut fædum, quod viſceris fundum, latera, aut collum intrinſecus deturpat, ab innumeris natum cauſis infra *Lib. II. Cap. IV.* enunciandis.

2. Excoriationes, aut ſciſſuræ, quæ in laborioſo partu, abortu, vel ante ortum diſceſſi fœtus, aut adhærentis placentæ extractione interiorem uteri ſuperficiem lædunt.

3. Rhagadia, abraſiones, aut inciſiones, quas in interiori uteri facile inducunt, albi fluores acriores valde, injectiones ſtimulantes, aut diſtenſiones, quas in violentiori partu ægræ patiuntur, læſiones tandem, quibus obſtetricantes uterum ſæpe lædunt.

4. Varicoſæ, aut aneuriſmaticæ vaſorum dilatationes, quæ repentinam menſium ſuppreſſionem, ſcirrhum, aut obſtructiones ſubſequuntur, liberam hinc circulationem intercipientes, vel quæ fungis, aut carcinomatibus ſuccedunt, in cancro & cancroſis ulceribus obviis.

Cum hæ cauſæ omnes ſimul ex alterutro vaſorum genere ampliorem truncum offendant, ipſum late ſciendendo, aut erodendo, uberrimum tunc eveniet ſanguinis effluvium, ſeu uteri hæmorrhagia; at modica cruoris jactura, ſeu uteri ſtillicidium tunc gigniunt, cum hæ cauſæ ſegniter agant, vel leviter ampliora vaſa abradant, vel exiliora tantum, atque capillaria erodant.

III. Neque præteribimus plures alias externas cauſas, quæ internis conſociatæ valde conducunt ad ſanguinis jacturas provocandas, atque augendas quotieſcumque in utero ſuperallatarum diſpoſitionum, aut vitiorum aliquod extet, quod impar ſit ullum effectum gignere eædem cauſæ poſſunt catameniorum regreſſum promovere fluxum producendo, aut affluentis ſanguinis quantitatem augendo, præpoſito jam lacteorum vaſorum, appendicum, aut ſanguinis vitio: ecce vobis palam eorum præcipuas, quaurm actionem tantum indicabimus.

1. Magnus tempeſtatis æſtus, aut exacerbationes febrium, quæ precedunt, aut comitantur morbillorum, aut variolarum eruptionem, vel ſuppurationem; vigiliæ crebræ, & immodicæ, intenſiora animi pathemata, uti ira &c., in quibus circumſtantiis omnibus ſauguinis rareſcentia magnopere creſcit, ejuſdemque circuitus acceleratur, quod ſanguineum duplo niſu in uterum irrumpere cogit.

2. Uſus nimius balneorum, aut ſemibalneorum calidorum, vel pedes calefaciendi abuſus, quare rareſcentia, quam inferius calor inducit, velocitatem ibi, atque ſangninis copiam auget, ut uteri vaſa potiſſimum repleantur.

3. Subita frigoris aggreſſio, quæ totum corpus invadit, aut inopinata terroris perceptio, gelida pluvia, quæ ræpente madefacit &c.; frigus enim ejuſque univerſalis convulſiva conſtrictio, quæ tunc externum corporis ambitum adoritur, ſanguinem intus repellit, & internas partes, uterum præſertim, tumefacit.

4. Veneris nimius uſus, aut violentiora exercitia, qualia ſunt deambulatio, ſaltus, chorea; tunc enim reiteratæ muſculorum contractiones ſanguinis circulum ſollicitant, atque velocitatem intendunt ita, ut majori niſu ad uterum ſe transferant, præterquam quod Matrimonii uſus uteri fibras tonicis conſtrictionibus nimis excitando, propria uteri vaſa reſerari, atque circulum ibi augeri nititur.

5. Cæſus aut æquitationis, vel rhedæ ſucuſſiones &c. ſubſultus enim quibus

tunc uterus exponitur, vaſa aperiuntur, atque ſcindunt, quandoque minima de cauſa aliunde ſuperaddita.

6. Ululatus violentiores, aut declamatio, vel lectio elata voce diu continuata, crebra ſternutatio, vomendi conatus &c. quæ muſculos reſpirationis, diaphragma, aut imi ventris muſculos contrahunt, frequenter, vehementerque; ac proinde agitato, commotoque utero ejuſdem facile referantur, aut ſcinduntur vaſcula.

7. Inteſtinorum tormina diu in diarrhœis paſſa, teneſmus &c. aut niſus in ſublevando pondere, quod magnam producit tunicam muſculorum reſpirationis, aut abdominis contractionem, atque diaphragmatis, quæ uterum premit, atque aperit ejuſdemque vaſa diſcerpit.

8. Abortus, aut laborioſus partus, caſus, ictus, quos gravidæ interdum patiuntur, quique placentæ adhæſionem debilitant &c. quare in iis circumſtantiis venoſæ appendices, quæ geſtationis ergo dilatantur, multum ſanguinis effundunt, atque per longum temporis ſpatium, ſi ſemel referentur, aut uterus tumidus fœtu, aut ſecundinarum præſentia obductionem magnopere impediat, at hujumodi morbos *Lib. III.* ſingulariter perſcrutabimur.

9. Efficaciorum tandem emmenagogorum remediorum abuſus, irritantium peſſariorum, vel pedum venæ ſectionum &c. ad menſes revocandos crebro nimis obviorum, vel quando ſponte catamenia abire cogantur, nam eorum remediorum actio eruptionem vehementius ſollicitando, dum uteri vaſa referari magis renuunt, eorum plerumque ſciſſuras periculoſas valde, & letales interdum inducit.

§. IV.

Differentiarum explicatio.

VArietates omnes, quæ animadverſione dignæ ſunt, vel a diverſa morbi ſpecie, vel a cauſarum indole diverſa, vel a diverſo ſitu, quam in utero morbus occupat pendere videntur.

I. Ut jam *Articulo primo* oſtendimus, differentias, quæ a morbi diverſitate originem ducunt, hic reiterare licebit, &c

1. Cum cruoris effluvium, quamvis uberrimum nimis, atque diutinum appareat, periodorum tamen aliquam ſpeciem referat *menſes nimios* ipſum vocant; *hæmorrhagiam* vero cum nullam periodum preſeferat.

2. Menſes nimii immodici eſſe poſſunt frequentiæ, perdurationis, aut fluxus ubertatis, ergo, ſi ab unica earum cauſarum originem ducant, & *primus* hinc oritur menſium nimiorum *ordo*; ſi a binis *alter* prodit: *tertius* producitur, ſi tres omnes hæ cauſæ ſimul confluant.

3. Sanguinis jacturæ interdum uberrimæ ſunt, breviores ſint nec ne, & tunc *uteri hæmorrhagiam* illas appellant, interdum prodeunt, diuturniores tamen, quas *uteri ſtillicidium* nuncupari conſueverunt.

II. Differentiæ, quæ pro cauſarum natura diverſa inter ſe diſcrepant, ſpecialiorem hic explanationem poſtulant.

1. Omnis ſanguinis fluxus immodicus, quem vel *menſes nimios*, vel *uteri hæmorrhagiam* appellant, a continui plerumque ſolutione, vel a ſimplici ad eam diſpoſitione dependent, quod *priorem differentiam* conſtituit.

2. Fluxus nimius, quem gignit quædam continui labes ab uteri ulceribus, ſciſſuris, quæ, aut varicibus oriri ſolet, & *ſecundam differentiam* præbet.

3. Omne immodicum cruoris effluvium, continui læſione expers, gignitur ab appendicum, aut vermicularium vitio, vel copia, aut velocitate ſanguinis aucta, atque *tertiam* ſuppeditat *differentiam*.

4. Vi-

4. Vitia lacteorum vaſorum, quæ hujuſmodi morbos producere valent, ſunt naturalis anguſtia, vel accidentalis obſtructio excretoriorum, qui parum vel nihil lacticinoſi humoris effundunt, ideoque turgida plerumque diu retinent vermicularia.

5. Venoſarum appendicum vitia, quæ ſimiles affectus gignunt, naturali, aut acquiſitæ earum laxitudini tribuuntur, quare reſerantur facile, ac diutius in eo remanent ſtatu.

6. Sanguinis vitia, quæ eaſdem calamitates pariunt a vera, vel ſpuria vaſorum plenitudine, aut aucta ſanguinis velocitate prodeunt, quapropter in uteri appendices, earumque orificia magno niſu cruor continenter irrumpit.

III. Tertium differentiarum genus, quod a continui ſolutionis poſitu dependet, vel locali diſpoſitione, neque multiplex, neque magni faciendum videtur.

1. Hujuſmodi affectio plerumque uteri cavitatem, raro vaginam deturpat, quod patet ſurſum inſpicientibus *Cap. I.* ubi catameniorum ſemitas expoſuimus.

2. Specialiter vero fundus, latera, aut orificium uteri afficiuntur, quare patientes de renum, umbilici, lumborum, femorum, inguinum, aut pubis dolore ſæpiſſime conqueruntur.

3. Si vero vaginam id fœdet ſupra, vel infra; anterius, vel poſterius locari poterit, ideoque doloroſæ impreſſiones, modo veſicam, modo rectum vexabunt.

§. V.

Symptomata.

1. IN omni morboſo ſanguinis effluvio ægræ debiles plus, minuſve, atque laxæ reperiuntur pro jacturæ ubertate, aut pertinacia diverſa; hujuſmodi phænomena neceſſario eveniunt a debiliori muſculorum contractione, qui exigua ſpirituum copia irrorantur, tum a fibrarum laxitudine, quarum vaſa ſanguinea cruore valde depauperata ipſas alere imparia ſunt.

2. Cordis, & arteriarum pulſus parvi, languidi, atque ſegniores reperiuntur, tum ſanguinis, cum ſpiritum defectu; *ſanguinis inopia*, dum exigua copia, ſegniterque ad cor affluit, paucaſve lentas contractiones excitare potis eſt; *ſpirituum paupertate*, qui in ratione inopis ſanguinis imminuuntur, atque labefactantur ita, ut debiliſſimas, deſideſque cordis contractiones tantum gignere valeant.

3. Facies pallet dum cruor, qui viridem colorem præbet, nimio fluxu diſſipatus cutis exiliora vaſcula necdum perfecte replet, verum pallor etiamſi univerſalis, ſit, vultu magis conſpicuus fit, quia cutis ibi gracilior ſubtus poſiti cruoris qualitates tum ſanitatis, cum morbi ſtatum facilius oſtendit.

4. Extremitates frigeſcunt, tum quia ſanguis, caloris potiſſima cauſa, inopiæ ergo exigua copia illo traducitur, cum cordis laſſitudinis ergo, qui ſegnius ibi pro majori diſtantia illum impellit.

5. Ægræ ſtatim appetitum amittunt, tantumque ciborum horror, atque depravatio intenditur, quantum morbus increſcit, quod duplici de cauſa orriri ſolet. 1. Quia animales ſpiritus linguæ, aut ventriculi nerveas fibras parum irrigando eorum inſtrumentorum ſenſum imminuunt; 2. verum quia inops ſanguis, qui parum ſalivæ, aut gaſtrici ſucci ſuppeditat, fermenti actionem infirmat.

6. Quantumvis incumbant ægræ, tum alimentorum ſelectui, cum exiguæ copiæ, quibus veſcuntur, incompletam tamen digeſtionem patrant, defectu id eveniat vel paupertate gaſtrici ſucci, vel ventriculi laxitudine, qui nihilum ſuis contractionibus foveat fermenti actionem.

7. Pluribus de cauſis ipſæ citiſſime emaciantur, 1. ſi parum alantur, 2. ſi cibos imperfectæ digerant, parumque chyli proinde abſorbeant, 3. ſi tandem con-

continuo ſint obnoxiæ cruoris effluvio, quod majorem nutrimenti copiam diſperdat, quam alimenta reſtituant.

8. Obſtructiones haud infrequenter imi ventris accidunt, quia humores per abdominis viſcera ſecernendi in his perſiſtunt debilioris cruoris impulſus, & fibrarum elaterii cauſa, quæ ſpirituum deficientia relaxantur.

9. Tandem ſenſim ſenſimque *Cachexia* laborare incipiunt, in quo morbo plus lympha, atque ſero, quam ſanguine turgent vaſa, & quantum cruoris diſperditur, tantum ſeri potus reſtituit; hac de cauſa in iis, in quibus plures venam ſecare interfuit, ultimum depromptum ſanguinem ſeroſum magis conſpicies.

10. Seroſa lympha tunc in ſanguine redundans raro pura eſt: plerumque enim, aut chyli imperfecti admixtione, quem primæ viæ ſubminiſtrant, aut humorum recrementis peccat, bilis præſertim, quam abdominis viſcerum hepatis potiſſimum obſtructiones in ſanguine retinent, ac inde Cachexiam ipſa intendit.

11. Tunc ægræ ſtantes, vel ſedentes pedibus, aut cruribus œdemate afficiuntur, tum quia ſanguis difficillime citra gravitatis leges ſurſum tollitur, majorem rei copiam ibi relinquens, cum quia lympha ipſa ibi ſuperſtes lymphatica vaſa infarcies revehitur difficillime; eaque mora inflat.

12. Contra vero dum ægræ lectulo detinentur inferiores artus detumeſcunt orizontalis poſitus favore, qui cruoris, atque lymphæ circulationem promovet, vultus tamen, palpebræ, aut oculorum vicinia œdematoſa fiunt, cum in iis partibus maxima habeatur ſolidorum laxitudo, minimumque elaterium, quod lymphæ ſtaſim fovet.

13. Morbi pertinacia œdema augetur atque ſenſim, ſenſimque crura, femora, renes aggrediens, anaſarca producitur; identidem exuberans lympha per abdominem, aut thoracem effunditur, ſi qua ibi obſtruſtio ſiſtat, quam ſegnis lymphæ, au ſanguinis circuitus produxerit.

14. Si ſtantibus, vel ſedentibus ægris uteri oſtium ita locatum ſit, ut ſanguis facile erumpat, ſtillabit ille ſtatim, iiſdemque proprietatibus pollens, quibus ad uterum affluxerat; fluidus nempe, ruber, calidus, atque odoris expers, qualis ex vena flueret exciſa: at ſi uteri orificium obtegatur, aut ægræ lectulo jaceant, ſanguis ibi retentus figitur, grummoſque parit plus, minuſve extenſos, duros, aut fœtidos, prout ſanguis ibi moratus eſt.

15. Hi grummi, dum ex utero prodire conantur, fibras irritando ſiſtalticas excitabunt contractiones, atque uteri orificio præſertim dolorem in exitu parient, plus, minuſve intenſum, pro ut magis hæ partes inflammatæ, ſenſibiles, aut dolentes fuerint pro majori, vel minori oſtii arctatione, vel pro diverſa grummorum magnitudine, aut duritie.

16. Dolor, quem ægræ tunc perſentiunt, animi deliquia producit ſympathicæ reactionis ergo, quæ partium mirifico conſenſu cor aggrediens motum ejuſdem retardat: idem evenit cum ventriculus indigeſtis cibis gravetur, aut inteſtina ſtatu intumeſcant, præterquam quod ægræ ſæpe languent, reſpiratio gravis ipſis ſuperveniat, vel commoveri, aut pedibus ſtare conentur: etenim circulatio in iis circumſtantiis ſtatim intercipitur, ideoque ſyncopes, ſeu lypothimiæ frequentiora ſunt immodici fluxus phœnomena.

17. Quandoque accidit grummoſum ſanguinem in exitu dolorem comitari vehementiorem, qui convulſiones, aut motos convulſivos inducit; ab utero enim redux ſanguis partes omnes laceſſit, quæ cum matrice ſympaticam relationem habent.

18. Dum nulla continui ſolutione afficitur uterus, immodicum ſanguinis effluvium, ſi ſemel deſinat, nullum vel levem album fluorem relinquit, contrarium tamen evenit, ſi uteri alliſio magnam uteri partem occupet, aut vetuſtior ſit.

§. VI.

§. VI.

Diagnoſis.

Diagnoſis quatuor Articulos complectitur, quorum, 1. Naturam; 2. Species; 3. Cauſas, 4. Sedem morbi oſtendit, quæ omnia ſedulo perpendamus oportebit.

I. Circa morbi naturam mulieres ſanguinis effluvio ſupra vulgarem fluxum uberrimo, diutino, aut frequentiori obnoxiæ præſertim ſi ex eo laſſeſcant, ac phænomenis pleriſque corripiantur ſuperius *Articulo I.* indicatis, illas ægrotare teſtari facile poſſumus, & contra naturæ leges id evenire fateri.

Puellæ tantum, aut juvenes ſponſæ hujuſmodi profluvium cun ictu ſanguineo confundere poterunt, ab eo tamen diu decipi nequeunt: facile enim eſt; 1. Urethram a vagina diſtinguere, aut ex quo eorum canalium ſtillet cruor; 2. Verum animadvertere intererit an citra mictum, vel inter migendum ſanguis erumpat: in primo enim caſu ex utero; aut vagina, in poſtremo caſu e veſica prodiret. 3. Urinam denique obſervando, ſi intimius cruenta appareat, ex veſica ſanguinem ſcaturire tuto aſſerere poteris; ſi vero ſanguis urina fimbriarum modo admiſceatur, illum ex utero originem ducere ſuadebis. 4. Tandem ſi dubium ullum ſupereſſet, ægram, ſe decepiſſe, ipſam percontare, verum partem affectam examinare neceſſe erit.

II. Neque difficile eſt definire varias effluvii ſpecies, quæ ab utero procedunt.

Sufficit enim detegere, ſi fluxus aliquam periodorum ſervet quam tunc *menſes nimios* appellabit; ſi vero continenter effluat, ipſum *uteri hæmorrhagiam* vocabis.

In primo caſu ſatis erit ordinem indagare menſium nimiorum, prout eos §. IV. Art. I. n. 2. indicavimus.

In altero caſu, ſi cruoris effluvium maximum ſit, perduret nec ne, *uteri hæmorrhagiam* ipſum audit, *ſtillicidium* vero *uteri*, ſi modicum ſit, ſed diutinum, ac pertinax valde.

III. Difficilius vero erit nos certiores fieri de diverſis ſpecierum cauſis, quantumvis enim de iis ſolliciti erimus, quarum indago ad morbi curationem maxime conducit, tamen haud infrequenter conjecturis fidere coacti erimus.

1. Nihilo ſecius ſuſpicari licebit aliqua continui læſione uterum afficit, 1. Si effluvium contra naturam eveniat, & legitimam hæmorrhagiam æmuletur: 2. Si cauſam adfuiſſe cognoſcamus eam ſolutionem inducere potiſſimam: 3. Si ægræ uteri calorem, tenſionem, atque dolorem perſentiant: 4. Si nunquam hujuſmodi morboſus fluxus penitus intercipiatur, ſed album, vel rubrum aliquod ſtillicidium relinquat: 5. Tandem ſi is acer, fœtidus prodeat, ac ſuppurationem indicet.

2. Detecta enim continui ſolutione, parum intererit definire ejuſdem ſpeciem, cum remediorum ſelectui id nihil faveat, quæ omnibus ſolutionibus æque conveniunt, ſciſſuræ enim ipſæ ſint, varices, vel excoriationes, in ulcera tandem ſingulæ degenerant. Verum ſi cui rem intimius perſcrutari libuerit, innoteſcet.

Hujuſmodi continui ſolutiones ulcera peperiſſe quando earumdem latex purulentus fluxerat, vel præcedentem inflammationem, aut abſceſſum non rite pertractatum, aut acrem album fluorem ægræ paſſæ ſint, vel erodentibus irritantantibus nimis injectionibus uterum laceſſerunt.

Excoriationes vero, vel ſciſſuras tunc in cauſa eſſe ſuſpicabimur, cum nullum adſit purulenti effluvii indicium, quinimo aliunde innoteſcat vehementiores ægrotas uteri divulſiones in laborioſo partu, aut placentæ extractione paſſas fuiſſe.

Vari-

Varices denique diruptas fluxum gignere ſuadendum erit, quando protinus adorietur ipſe, uberrimus valde ſit, & diutinam menſium ſuppreſſionem conſequatur, quam uteri tumor, atque gravitas comitabuntur: vel ſi ille ab uteri ſcirrho procedat, qui circulum intercipiendo venas facile varicoſas reddere valuiſſet.

3. Contra vero conjecturare oportebit nullam continui læſionem adeſſe, atque morborum a ſanguinis copia, aut rareſcentia, vel a ſola vitiata vaſorum diſpoſitione derivare, quando uterus in ſtatu reperiatur ei directe oppoſito n. 2. indicatio, quando videlicet 1. Contra naturam fluxus menſes nimios tantum gignat: 2. Nulla cauſa præceſſerit, quæ eam ſolutionem parere valeret: 3. De uteri calore, tenſione, aut dolore necdum ægræ conqueſtæ ſunt: 4. Nullum fluxus intermiſſio ſtillicidium relinquerat: 5. Vel, ſi ullum ſupererit, acrimonia tamen fœtore, aut pure expers videatur.

4. Cum omnis abſit continui ſolutionis ſuſpicio, *primam* morbi cauſam fateri neceſſe erit plenitudinem eſſe, aut rareſcentiam ſanguinis, vel ejuſdem velocitatem, qua circumvehitur, quod facile innoteſcet, 1. Pulſuum obſervatione, quos plenos, duros, amplos, crebros, aut celeres reperies: 2. Faciei inſpectione, quæ vivida, coccinea, atque colorata apparebit etiam inſtante morbo: 3. Subito, optimoque venæ ſectionis effectu, quæ ſollicite inſtituta ægritudinem facile ſubiget.

Altera hujus affectus cauſa laſſitudini tribuenda videtur appendicum venoſarum, quæ elaterio deficientes reſerantur facile, difficillime coarctantur. Hujuſce cauſæ indicia erunt: 1. Morbi perduratio, aut pertinacia, quæ venæ ſectiones eludit: 2. Ægrotantis gracilis corporis habitus, qui parem uteri, ejuſdemque vaſorum debilitatem prænuntiat: 3. Fœcunditas nimia, per quam pluries geſtando uterus facile elaterium amittit, præſertim ſi prima juventute fœtus gerere incœperat; 4. Albi fluoris perſiſtentia, quæ maxime ſolvi uteri contextum.

Tandem, quæ *tertia* conſiderari poteſt morbi cauſa rarior eſt, & vitium vermicularium reſpicit, quorum excretoria compaſta nimis, & arcta menſes crebros, copioſos, ac diuturniores reddit, continenter appendices comprimendo; ea cauſa in illis tantum oriri poterit, quæ diu pallore laborarunt, quæ ſero, vel imperfecte menſtruarunt, aut in iis, quæ vermicularia obſtructa ſunt, vel ſuapte natura obtecta.

IV. Parvi faciam ſedem rite morbi diſtinguere, aut ſemitam inquirere, ex qua ſanguis erumpat: raro enim ita e vagina procedit, ut hoc perſcrutari pene fruſtraneum videatur; at ſi id intereſſe quis crederet, facile patebit ægram explorando, ut uteri tunicas, vaſorumque ſtatum cognoſcamus, atque uteri orificium examinare queamus, quod patulum, dilatatumque inſpiciemus, quando ſanguis ex utero procedat; obtectum vero, ſi illa e vagina tantum perfluat.

Quo ad ſpecialem partis affectæ indaginem pertinet, uteri nempe, aut vaginæ, id ægras percunctando de doloris tenſione, aut caloris tramite facile dignoſci poterit, nam vaginæ aut uteri partes eas affici videbis, quæ iis phœnomenis reſpondent.

§. VII.

Prognoſis.

I. OMnis genetrice ſanguis per uterum amiſſio cujuſve ſit ſpeciei, vel a quavis cauſa procedat, periculoſa ſemper, & nocua valde experitur, quia gravia ſyptomata inducit; depravatum nempe guſtum, languorem, maciem,

ciem, aut ſyncopem &c., quæ ſæpe infauſtas conſequutiones habent, quales ſunt cachexia, hydrops, conſumptio &c.

II. Cruoris jacturæ quo vetuſtiores, eo deteriores eſſe ſolent, non ſolum quia earum perſiſtentiam a pertinaciori cauſa ipſas oriri indicat, verum quia temporis diuturnitate humorum qualitates infirmantur valde, atque uteri vaſa magnopere labefectantur.

III. Idem pronunciabimus de ſanguinis jacturis, quæ anibus accidunt infauſti plerumque eventus, tum quia in iis niſi a violentori cauſa, a vaſorum nempe laceratione procedere poterunt; cum ſanguinis ergo, qui neceſſaria fluiditate, & balſamis moleculis orbatur, quæ conciſa valeant conſolidare vaſcula, tandem ætate amiſſo ſolidorum elaterio vaſa amplius claudi, fluxumque ſiſtere imparia ſunt.

IV. Hœmorrhagiis difficilius, quam menſibus nimiis mederi quimus, nam illæ ab continui ſolutione, hæ a ſola appendicum dilatatione; laxitudine, aut molitie dependet, ut facilius, ſublata cauſa, ad naturalem ſtatum reducantur,

V. Menſes nimii *prioris ordinis*, qui ab unica cauſa producuntur, facilius quam ii *ſecundi ordinis*, convaleſcunt; qui duplicem cauſam agnoſcunt, atque iſti facilius, quam *poſtremi ordinis* menſes, quos triplex cauſa gignit.

VI. Citius, promptiuſque eſt ſanguinis jacturis mederi a copia, rareſcentia, ſive aucta velocitate ſanguinis orti, quam iis, quæ intimum pro cauſa cognoſcunt uteri vitium, illa enim ſanguinis amiſſio ipſam rareſcentiam, atque velocitatem ſubducit, vel aliquam tantum venæ ſectionem poſtulat, at uteri læſiones continenter rebelles experiuntur.

VII. Inter varia hujuſmodi vitia, quæ uteri vaſa deturpant, ſciſſuræ nempe, eroſio, & ulcera, uno verbo, continui ſolutiones difficilius ſanantur, quam eorum laxitas, diſtentio, atonia, aut inertia, quæ nullam comitem habent continuitatis vitium, quare illæ cruoris amiſſiones his deteriores ſunt.

VIII. Uberiores hæmorrhagiæ ſimplici ſtillicidio periculoſiores evadunt: in iis enim copioſe, & celerrime ſanguis amittitur, plura hinc, & teterrima magis phœnomena producuntur; leviori quantitate vero erumpit ſtillicidium, quod diu abſque gravi nocumento perferre valent ægræ.

IX. Quandoque tamen difficilius convaleſcunt ſtillicidia, quam uberrimæ uteri hæmorrhagiæ, nam ea vetuſtius ſupponunt interius uteri vitium, quod in ulcus degeneraverat curatu difficillimum, verum hæmorrhagiæ copiam potius rareſcentiam, aut celeritatem ſanguinis pro cauſa agnoſcunt, vel ſaltem nuperrimas ſciſſuras facile coaleſcentes.

§. VIII.

Curatio.

HUjuſque morbi medela tres caſus complectitur. 1. Uberrimam, atque perſiſtentem ſanguinis amiſſionem, quæ vel repente aggreditur, vel menſes nimios æmulatur: 2. Veram cruoris jacturam, ſed modicam etiamſi pertinacem, ac diutinam valde, ſtillicidium nempe, quod aliquam, vel nullam periodum ſervat. 3. Alterius poſt inceptam, aut perfectam valetudinem regreſſum, quem præoccupare noſtrum erit. Nunc igitur breviter ſpecialem utrorumque curationem plane explicabimus.

CASUS PRIMUM.

Uteri hæmorrhagia.

CUm præceps hic ſit morbus, cito idcirco ei mederi, & efficacier neceſſe erit, eaque de cauſa quatuor ſubſequentes indicationes implere prudenter noſtrum erit, videlicet: 1. Copiam imminuere, aut velocitatem, quibus ſanguis in uterum irrumpit: 2. Elaterium vaſorum ſuſtinere uteri laxati nimis, vel aliquo modo labefactari, 3. Narcoticis epicratice ſumptis uteri ſenſibilitatem obtundere, ac ab ea natas ſyſtalticas contractiones, quæ fluxum augent: 4. Temperare tandem, atque ſædare ſanguinis expanſionem, vel nimiam ſaltem ejuſdem fluiditatem, aut acrimoniam corrigere, ſi iis de cauſis ſanguinem peccare ſuſpicabimus; quare

1. Ægras quieſcere, atque continuo lectulo detineri jubeto: inverſus itaque poſitus magis idoneus putatur, quia uterus tunc latior eſt; plures Auctores etiam commendant clunes magis, quam abdomen elevare, qua ratione fluxum imminui videtur, at cito percipiemus tantummodo uteri cavitate affluentem detineri ſanguinem, ibique in grummos coagmentari, qui per vices erumpunt contractili uteri vi expulſi, cujus rei mitior effectus eſt affluxum augere, quam ob rem potius quam hanc amplecti methodum magis idoneum videtur ægras orizontali locari poſitu, qui cruoris effuſionem ſtatim ſinit ad uterum affluentis antequam in grummos ipſe coeat; vulgares culcitræ ex lana repletæ plerumque ægris moleſtæ evadunt, eaſque calefaciunt valde, atque ſanguine imbibuntur illuc putreſcente; ſalubrior itaque erit culcitram ſtramineam, vel, ſi eam faſtidiant ex crinibus confectam adhibere, tandem non ſolum oportebit, quod ægrotantes cubili detineantur, verum in eo quieſcant, ſileant, ac, ſi fas erit cogitationes omnes a mente removeant; certum enim eſt præcipites locutionis, aut animi validas commotiones hæmorrhagias facile reduplicare, aut revocare.

2. In hoc caſu venam ex brachio ſedare magis idoneum remedium eſſe experti ſumus, id enim univerſalem ſanguinis redundantiam ſubducendo ad uterum etiam affluxus imminuitur, contractiones vero cordis moderando illius affluxus velocitas etiam retardatur, quare dupliciter brachii venæ ſectio per patulas appendices affluentis ſanguinis niſum imminuit, earumque obductionem efficaciter fovet, hujus tamen remedii uſum cito inſtituere neceſſe erit, antequam vaſa diu diſtenſa ſuum amittant elaterium, magis enim prodeſſe videbis ſex venæ ſectiones initio morbi ſollicite peractas, quam duodecim ſero, aut poſt longiora intervalla inſtitutas.

Neque ſectionum numerum, neque extrahendi ſanguinis copiam determinare facile eſt, circa, quod ægrotantium vires, ætatem, pulſum conditionem, atque morbi gradum reſpicere oportet, plerumque tamen in præcipiti ſanguinis jactura, quæ maximum detrimentum minatur, fas erit quarto quoque horio venam ſecare, vel ſaltem quatuor, aut quinque intra ſolis curriculum venæ ſectiones patrare, duodecim, aut quindecim unciarum ſingulas, niſi quid valde obſit: ſubſequentibus diebus numero, aut quantitate pauciores venæ ſectiones jubere poterimus, modo fluxus nonnihil compeſcatur; verum animadvertere debemus minus ægras lædi duabus ſupra opus venæ ſectionibus inſtitutis, quam una, ſed neceſſaria omiſſa; falſo enim aſſidentes conqueruntur de maximo ex utraque parte tum morbi, cum medelæ cauſa cruoris diſpendio, quo jam patientes penitus interimi pertimeſcunt, quare prudens tunc medicus, qui ſatis pulſum indolem noſcit, iis ſedulo perpenſis eorum animoſe querimonias contemnat, opportuniora interdum arti, auxilia præſcribendo.

Olim

Olim ſane minus in hoc morbo obviæ venæ erant ſectiones, iiſque ſubſtituebant plerumque validas (*a*) brachiorum, aut ſuperiorum partium frictiones, tum arctiſſima digitorum (*b*), brachiorum, crurum, aut genuum vincula, vel cucurbitulas (*c*) mammis applicitas &c., ea tamen remedia patientibus valde moleſta experti ſumus, parumque pro valetudine reſtituenda efficacia, nondum tamen penitus exoleverunt, quinimo auctoritate antiquorum celeberrimorum ſuffulta interdum, etſi fruſtra, adhibentur; difficulter tamen ſibi ſuaſerunt Medici, & niſi temporis diuturnitate cognoverunt, aut melius dicam fateri auſi ſunt, hujuſmodi praxim etiam veterum auctoritatibus tutam venæ ſectioni non præcellere tamen, ne dicerent inutilem prorſus evadere, ingenui tandem recentiores ejuſdem futilitatem teſtari non ſunt veriti; eamque contemnere abſolute ſuadent.

3. Suapte natura ſanguinis amiſſio neque purgantia, multoque minus emetica poſtulat, valde enim timendum erit, quod dejectiones, aut vomendi conatus eam non intendant, ut crebro evenire ſolet, nihilo ſecius non deſunt circumſtantiæ, in quibus prodeſt ægras purgare, aut vomitum excitare, qua methodo interdum hæmorrhagias ſiſtimus ceteris remediis rebelles. Eas tamen diſtinguere haud facile eſt, *judicium difficile* ſane; ſigna itaque earumdem pathognomonica oſtendemus ubi *cautelas in hoc morbo magis neceſſarias* enunciabimus; ſufficiet hic animadvertere vulgaria pugnantia uſuvenire, qualia ſunt Manna, Caſſia, ſal vegetabile, aut Rheum; tum Tamarindorum pulpa, aut Sennæ folliculi infuſi; emeticorum vero reſpectu tutiora, & utiliora erunt ipecacuanhæ grana viginti, aut viginti quinque thei poculo ſumpta; at in potioribus circumſtantiis, quibus hæc conveniunt remedia, niſi prius venæ ſectionibus vaſa ſufficienter depleveris, non erunt propinanda.

4. Dum cruoris volumen imminuimus, atque ſanguinis extractiones vaſa uteri explicamus, eorum appendices conſtringere laxas nimis, aut conciſas opus erit, qua de cauſa adſtringentia exhibebimus apozemata, aut bolos.

Hujuſmodi apozemata ex decoctionibus perfici poterunt plantarum adſtringentium, Plantaginis videlicet, Boraginis, Mille-Folii, Urticæ, Althææ ceterarumque hujus ſenſus, quas infra *Articulo ſubſequenti* enumerabimus; at ſalubrior erit earum ſtirpium ſuccos depuratos apozematum modo haurire, ad trium vel quatuor unciarum doſim, cui circiter uncia additur ſyruppi appropriati roſarum nempe exſiccatarum, baccarum myrti, coraliorum, corticis granatorum, aut conſolidæ majoris.

Boli vero coagmentantur ex ſanguine Draconis, Terra Japonica, Maſtice. Coraliis Præparatis, Succino, ovorum Teſtis, Alumine Rupeo, Balauſtis, Cortice Granatorum, Lapide hæmatite, Croco Martis adſtringente &c., quorum duo vel tria ſeliguntur ad decem, duodecim, vel quindecim grana ſyrupo quodam appropriato remixta ſumenda; uſitatiores tamen boli fiunt ex aluminis, ac ſanguinis Draconis ſingulorum granis quindecim ſub forma bolari pauco ſaccharo commixtis.

Cum quarta quaque hora ægris jus propinare mos ſit, ita ſimili intervallo intermedio tempore apozematum, aut bolorum eorum, vel utriuſque ſimul doſis, ſi morbus urgeat, exhiberi ſolet; bihorii vero intermedio ſpatio ſemel, vel bis ptiſanæ nonnihil calefactæ poculum pro vehiculo præſcribite.

5. Si grave opus ſit, atque letale effluvium repente ſiſtere, juri alter vel duo pugilli addi poterunt florum *Scolymi ſilveſtris* in taleolas diviſi, vel eorum defectu drachma una ventriculi hædi, vel leporis probe loti, hujuſmodi re-

(a) Galenus, *I. ad Glaucon. cap.* 14. (b) Galenus *Ibid.* Hippocrates, *II de Morb. Mulier. in Princip.* Aetius *Tetrab. IV. Sermon.* 4. *cap.* 64. Paulus Ægineta, *De Re Medic. Lib.* 3. *cap.* 54.
(c) Hippocrates, *Sect. Aphoriſm.* 50.

di remedia tutiſſima ſunt, eaque uteri hæmorrhagiis valde prodeſſe compertum eſt.

6. Cum in hoc morbo obtuſos dolores haud infrequenter circa uteri collum ægræ perſentiant ab eruptione, mora, aut grummis ſanguinis productos, iique patientes invite commoveant, atque matricis excitent violentiores ſubſultus, qui ægritudinem confirmant, atque augent, idcirco magni momenti erit narcoticis eas impreſſiones temperare; qua de cauſa ptiſanæ ebullienti addi convenient capita aliquot papaveris albi, vel apozematibus ſyrupi diacodii parum, aut bolis tincturæ cujuſdam anodynæ guttæ aliquot, modificando ita doſim eorum pro ægrotantium viribus, ut abſque ſopore quieſcant.

7. Patet jam non eſſe tunc copioſe ægras nutriendas, ne alimentorum ubertate cito plethoram reſtituamus, quam venæ ſectionibus ſubducere conamur, exhiberi tantum opportunum cenſeo lene nutrimentum nonnihil glutinoſum, quod humores demulceat, pareſque reddat vaſa conſolidare; quare ægræ ſolo vapido jure alentur quarta quoque hora ſumpto ex pullo, aut vituli fruſtulis confecto, quod ſi denſare volueris, eam radicibus Althææ aut Conſolidæ majoris in bracteolas diviſis ebullietur; eo pariter collineant vitulorum tali, aut piſces glutinoſi exangues, vel cruſtacei; ſi vero intererit efferveſcentiam, aut rareſcentiam ſanguinis moderare, pullorum coquendorum venter ſeminibus repletur, melonis contuſis, & mundatis, vel eorum uncia culinari ollæ infunditur, aut juri emulſio ſuperadditur, quandoque tamen ſeminibus radices ſubſtituuntur aliquæ, aut folia oxalidis.

8. Ægras levi hac nutritione ſuſtinere fas erit, donec morbi vigor perſiſtat, quo ſublato largiorem diætam indulgere poteris, & loco bovillæ carnis, aut vervecis, quæ acriorem ſuccum præbent, oryzæ vitulinæ carni addi poterunt, aut earum cremor, vel lentium coctarum cochlearia aliquot; gelatina etiam interdum propinari poteſt ex carnibus patrata &c. impoſterum ſi convaleſcere incipiant luteum ovorum jure ſolutum, aut integrum ſi lubeat, abſorbeant ægræ, vel oryzarum parum aut juſculi cum pane cocti: ſero tamen in hoc properato.

9. Morbi initio vini potum interdicito, pro uſu leniorem ſubadſtringentem ptiſanam exhibendo: ſubſequenti Articulo enumerabimus ſtirpes, quæ hic uſu veniunt, ſed uſitatiores ſunt radices Conſolidæ majoris, Poligoni, aut Biſtortæ, verum folia Plantaginis, Millefoliorum, Urticæ, Althææ &c., ex iis tamen tum radicibus cum foliis uncia eſt adhibenda, ut levior fiat potus, facile ſecernatur, eumque patientes affatim haurire queant: crebro etiam efficax experitur levior decoctio lentiſci, aut leviſſima tinctura terræ Japonicæ.

10. Hujuſmodi ptiſanis præcellere videntur quæ ex corticibus aurantiorum immuturorum, aut radice oxalidis conficiuntur, præſertim ſi qua humorum ſolutionis, aut rareſcentiæ ſuſpicio adſit; quapropter in iis circumſtantiis interdum ita proficuæ ſunt, ut nonnulli auctores quaſi totidem ſpecifica ipſas commendent.

11. Sæpiſſime evenit ægras repente animi deliquiis, aut lipothymiis corripi, quæ ſane perterrere ſolent, idcirco promptiora quædam auxilia ad manus habere neceſſe eſt, qualia ſunt acetum ſimplex, compoſitum, aut theriacale, Sal Anglicus volatilis, vel aqua Carmelitarum; iis nares fricantur, ac tempora aceto, aut aqua hungarica, frigida etiam aqua facies aſpergitur; at his omnibus incaſſum adhibitis, exhiberi poterunt confectiones Alkermes, aut Hyacinthinæ, tum aqua Florum aurantiorum ſolutæ, proderit etiam cochlear vini Rotæ, aut Alicantis, vel parum aquæ Carmelitarum aqua fontana remixtæ.

12. Cum haud infrequenter illa animi deliquia a grummis ſanguineis procedunt, qui uteri orificium obtegentes, ejuſdem limen premunt, vel mora ſan-

ſanguinis effuſionem impediunt ; ideo grummoſum ſanguinem removere cito oportebit, ſedulo tamen cavendo ne uterus, ejuſdemque oſtium lædatur.

Plerumque propoſita methodo prudenter, diligenterque inſtituta ſanguinis jacturam ſiſtimus, ita ut vel convaleſcere tantum reliquum ſit, vel cruoris ſtillicidium ſuperſit, de quo articulo ſequenti &c., quandoque tamen evenit ſi uteri vaſa conciſa, aut eroſa ſint, hæmorrhagiam diu ſuſtineri remediis uſitatioribus rebellem, quam ob rem ſapienti Medico efficaciora auxilia adhibere fas erit etiamſi periculoſa ſuſpicentur, ea externa plerumque ſunt, fomenta nempe, cataplaſmata, emplaſtra, peſſaria, tum uteri injectiones, frigida pediluvia &c. de quibus attendite.

I. Inter ea infirmiores experti ſumus fomentationes ; ipſæ ex decoctionibus fiunt radicis Biſtottæ, Poligoni, Burſæ Paſtoris, Plantaginis, Equiſeti, Roſarum Rubrarum, Baccarum Myrti, quæ aqua veterinariorum ebulliant, hinc ex his madefacta linteola poſtquam expreſſa fuerint, abdomini, pubi apponunt, interdum ſpongiam ebullienti aceto madidam applicant; animadvertendum eſt hujuſmodi remedia pene frigida eſſe adhibenda, ne calorem ipſius augeamus, quam ſpecificis remediorum viribus jacturam minuamus, eidem conſulto ſubſequentium topicorum ergo.

II. Neque his præcellent emplaſtra, quæ lumbis, aut umbilico tantum applicare conſueverunt, ut ceteris topicis ſpatium relinquatur ; plura hujuſmodi componi poſſunt ex adſtringentium familia deprompta, at ſæpiſſime officinalia uſuveniunt, *Emplaſtrum pro matrice, Emplaſtrum de maſtice, Emplaſtrum Comitiſſæ, Emplaſtrum contra rupturam &c.*

III. Cataplaſmata non immerito magis commendant, applicantur ipſa pubi, vel oſſi ſacro; ea multiplici ratione patrantur, ex foliis Urticæ combuſtis; vel araneorum telis pauco aceto toſtis, aut ſubero pulverato, ovi luteo, & aceto roſato remixto, ex quibus pulmentum conficitur ; denique terra bolaris uſuvenit ſucco plantaginis lota & aceto ſubacta, vel fimus aſini, aut verris aceto lotus; gypſum tandem arabico gummi torrefacto commixtum, ac ter quaterve ovorum albuminibus in pultem induratum magnopere commendatur.

IV. Peſſaria ſimili ratione, ac cataplaſmata confici ſolent, verum cum proximius morbi ſedi locentur, plurimi idcirco exiſtimantur; id tamen incommodi habent, quod in utero erumpentem ſanguinem repellant, ibi in grummos inſpiſſaturum, niſi tamen brevi hoc utatur auxilio, citoque removeatur.

Haud infrequenter ipſa conflari ſolent 1. ex ſuccis plantarum adſtringentium, Plantaginis, Millefolii, Centinodiæ, Urticæ, tum pulveribus balauſtorum, Gallarum, corticum granatorum omnia albumine ovi ſubigendo, donec pultem referant, quæ vero, aut multiliciis obducta vagina intromittitur.

2. Ex pulveribus interdum coagmentantur accaciæ veræ, maſticis, ſanguinis Draconis multo ſucco Portulacæ aut Plantaginis ſolutis, ut facile imbibantur goſſypii grummi, qui filo appenſi utero apponuntur.

3. Ex fimo ſuis, aut aſini, Plantaginis ſucco, aut Portulacæ imbuto & mucillagine ſeminum Cidoniorum, aut Tragacanthæ, roſarum aqua peracta ſubacto, qui ſub pultis forma linteo obtectus intra vaginam mittitur, certioremque ibi effectum præſtare aſſerunt.

V. Magni facere poteris in utero injectionum effectus magis quam peſſariorum; ipſæ enim morbi ſedem intimius attingunt, eadem tamen de cauſa caute incedendum erit ipſas levioribus componendo adſtringentibus; quæ matricem minime laceſſant.

Tutiſſime fieri poſſunt ex decoctionibus radicum, & foliorum adſtringentium, gallarum ſuccis expreſſo, inter quos magis commendantur ii Plantaginis, Urticæ, Millefolii, aut conſolidæ majoris, qui modo ſingillatim adhi-

bentur, modo gummi Arabico ſoluti, addito quandoque ſanguine Draconis, aut amylo; ſi auctoribus fidendum ſit, ceteris præcellere videntur injectiones ex ſucco ſtercoris aſinini recentis, cujus efficacia in hoc morbo pluribus experimentis comprobatur.

VI. In quacumque tum uteri, cum ceterarum partium cruoris amiſſione oxicrati potum veteres magnopere commendarunt, quamvis, in uteri hæmorrhagiis pro ſumma ſenſibilitate, & nervoſo gracili contextu eo parcius uſi ſint; id tamen hodie pene obſolevit, ac, ubi præceps videatur occaſio, modica ſubſtitui ſolet copia ſpiritus ſalis, aut vitrioli dulcificati, vel ſalubrius aqua Rabelli ad gratam aciditatem uſque, ptiſanis ſuperceffuſa, quæ magis edulcari poſſunt ſyrupis conſolidæ, aut roſarum rubrarum. Hoc ſæpiſſime efficaciſſimum remedium reperi.

VII. Tandem frigida pediluvia ex aſtringentibus etiam decoctionibus patrata commode uſuveniunt; vidimus enim capite præcedenti calida pediluvia per aortam deſcendentem, ad vaſa uterina ſanguinem derivare, quod fluxum valde auget, ex converſo itaque patet gelidam aquam ſanguinis curſum retardando ejuſdem affluxum ad uterum imminuere, ſimulque hæmorrhagiam non parum compeſcere.

CASUS SECUNDUS.

De modica ſanguinis jactura, ſeu cruento ſtillicidio.

DUplex eſſe poteſt uteri ſtillicidium: *alterum* ex ſe morbum conſtituit, *alterum* ſymptomaticum eſt, quod hæmorrhagiæ uteri ſuccedit, atque ſenſim remediorum uſus, aut fluxus continuatione imminuitur.

In utroque caſu brachii venæ ſectiones conveniunt prout ſymptomata, aut ægrotantium vires poſtulaverint, minus tamen licebit ſanguinis extrahere quam in uteri hæmorrhagia, præſertim ſi ſtillicidium ſymptomaticum ſit, ubi ægræ præcedenti cruoris amiſſione, aut inſtitutis venæ ſectionibus maxime langueant.

Uterque caſus poſtulat ægras epicatrice purgare alvum ciendo, aut vomitum excitando, modo nihil obſit, in iis præſertim circumſtantiis, quas inferius indicabimus, ubi neceſſarias ad hunc morbum pertinentes cautelas enunciabimus, tutius vero in idiopathico affectu alterutram purgandi metodum ſeligere oportebit, cum in eo plus virium ſuperſit minuſque adſit detrimenti metus, quam in ſymptomatico ſtillicidio, in quo nuper coalitæ appendices facile reſerari queunt, ſi primas vias expiare opus ſit, magis idonea adhiberi poterunt, & ægrotantium viribus accommodata remedia; verum ſi vomitum excitare conveniat, ipecacuanha ceteris emeticis erit anteponenda modica tamen, ſed ſufficienti doſi.

Poſtquam purgatione, atque venæ ſectionibus vaſa depleta, & primæ viæ expiatæ fuerint, cauſis mederi noſtrum erit, quæ ſtillicidium induxerunt, aut confirmant; ſi ab ulcere affectus, ſcirrho, aut uteri cancro originem ducat, iis morbis propria palliativa ſaltem conveniunt remedia, quædam interdum leniora adſtringentia ad imminuendum ſtillicidium magis opportuna ſuppeditando, quæ ex infra propoſitis ſeligere poterunt; at ſi a vulgaribus cauſis dependeat quæ ad tres reducuntur claſſes: quarum 1. Laſſitudo eſt, ſeu atonia appendicum venoſarum, quæ laxe occluduntur: 2. Levis eroſio, atque nonnullarum nuperrima laceratio, quæ difficillime coaleſcit: 3. Obrſtuctio lacteorum vaſorum, quæ continenter repleta propinquas venas comprimendo earum dilatationem confirmant, ac cruoris amiſſionem intendunt, remedia ſingulis idonea ſequenti articulo enumerabimus.

I. Quapropter appendicum tum laxitate cum atonia, 1. Adſtringentia uſuveniunt,

veniunt, quæ hujus partis elaterium reſtituere, eaſque appendices arctare potis ſint; cum hæc remediorum claſſis confertiſſima ſit, ideoque magis commendata hic enunciare tantum licebit; uſitatiora * aſteriſco deſignando, etiamſi fatemur præexcellentiam eorum plerumque a præoccupatione, aut conſuetudine pendere.

VEGETABILIA.

Radices

* Tormentilla * Biſtorta * Filipendula * Pimpinella * Fragaria * Pentaphyllum Geranium Robertianum	In decoct. a. ℥ ß. ad ℥ j. In ſubſt. ſ. p. a ℈ j. ad ℈ ij.

Folia

* Poligonum * Plantago * Mille-folium * Burſa Paſtoris Equiſetum Piloſella * Pimpinella * Urtica alba Myrus Pentaphyllum Pervinca Solidago Saracenica Pulmonaria Folia tenella Quercus Pyrola Nummularia Brunella Betonica	In ptiſan. aut decoct. a m. j. ad ij. Eorum ſuccus expreſſus, depuratuſque a ℥ ij ad ℥ iiij.

Flores

* Roſæ rubræ Italicæ * Balauſta Flores Cotoneorum	In decoct. a ℥ j. ad ℥ ij. In ſubſt. ſ. p. a ℈ j. ℈. ij.

Fructus

Bace Cupreſſi Gallæ Glandes, earumque calices, aut capſulæ Grana Coriaria	In decoct. a ʒ j. ad ℥ ij. In ſub. a ℈. ad ℈ ij.

Baccæ myrti * Cortices granatorum	}
Cortices aurantiorum agreſtium	Ptiſana conficitur ex quator aurantiorum corticibus duplici aquæ œnophoro ebullitis.

Succi.

* Catechu, ſive terra Japonica. * Maſtix * Sanguis Draconis. Acacia vera.	In ſubſt. a. ℈ j. ad ℈. ij.

Ligna.

Santala * Quercus * Lentiſcus.	In decoct. a ℥ ß. ad ℥ j.

Balſama.

* Coppay * Canadenſe	Sacchato remixta a gutt. IV. ad gutt. VI.
* Terebinthina Veneta	a ℈ j. ʒß. cum ſyrupi cochleare aut ovi luteo.

A N I M A L I A.

Perlæ Spodium * Cornu Cervi pp. * Teſtæ onorum calcinatæ * Os ſepiæ	In ſubſt. ſ. p. a ℈ j. ad ℈. ij.

M I N E R A L I A.

* Lapis Hæmaticis. * Bolus Armena * Creta Brianconia Terra ſigillata * Succinum Flavum Granata. * Alumen * Coralia †	In ſubſt. ſ. p. a ℈ j. ad ij.

Præ-

† Poſt contentiones innumeras tandem compertum eſt coralia producere in ſecta quædam, ex polyporum genere, quæ intra eorum corticem locata flores interdum referunt, quare Marſilius, & alii decepti ſunt ipſa falſo inter plantas enumerando. Recentiorum ſetentia non ſolum veritate, & polyporum exiſtentia eſt ſuffulta, verum Sale ipſo Alcalino Volatili, quod Coralia recenter captata analyſi ſuppeditant, odore urinoſo piſolbus putreſcentibus proprio, quem ipſa redolent dum aqua putreſcunt, ſatis oſtenditur animalis natura. Nos tamen his conſuetudini conſulentes inter mineralia coralia recenſuimus.

Præparationes Galenicæ.

* Aqua Planginis	ab ℥ j. ad ℥ ij. vel iij.
* ----- Burſæ Paſtoris	
* ----- Mille-Folii	
* ----- Roſarum	
----- Equiſeti	
* ----- Poligoni	
----- Foliorum tenerrimorum quercus	
----- Ranarum	

Syrupi.

* Syrupi Roſarum exſiccatarum	ab ℥ j. ad ℥ j. ß
* Baccarum Juniperi	
a Urticæ emortuæ	
* Mille-folii	
* Plantaginis	
* Cidoniorum	
* Caroliorum	

Trochiſci

* Succini flavi	a ʒ ß. ad ℈. ij.
Gordoni	
Terræ Japonicæ	

Preparationes Chymicæ

* Crocus Martis adſtringens	a ℈ ß. ad ℈ j.
* Tinctura Coraliorum	a ʒ j. ad ʒ ij.
* Roſarum rubrarum	
* Terræ Japonicæ	
* Aqua Rabelli	guttæ aliquod *ad gratam aciditatem*.

Poſſumus ex multiplici plantarum vel aromatum ſerie ad libitum plura ſeligere, & idonea doſi ptiſanas, depuratos ſuccos, apozemata, jura, julapia, potiones &c., vel bolos, oppiata, rotulas &c., conficere ſecundum leges *Cap. IV.* enunciatas: frequenter enim convenit remediorum formam innovare ut facilius ægrotantium guſtui ipſa aptentur.

II. In appendicum venoſarum meroſione edulcorantia, & agglutinancia remedia opportuniora ſunt, quæ nonnihil etiam adſtrigentia & vulneraria ſint. Suſequens claſſis hujuſmodi continet medicamenta, concinno ordine digeſta, inter quæ aſtericus * uſitatiora deſignat.

VEGETABILIA.

Radices

* Symphitum majus * Nimphæa * Althæa * Oxalidis * Fragaria	In decoct. ab ℥ j. ad j. ß.

Folia

* Verbaſum * Hypericum * Gnaphalium montanum * Alchimilla * Sanicula * Bugola * Lactuca * Portulaca * Caryophyllata Geranium Sanguineum Scabioſa	In decoct. a m. j. ad ad m. j. ß.

Semina

* Semina frigida * Lauctucæ Portulacæ	In emulſ. ſingulorum a ʒ ij. ad ʒ vj. in decoct. duplum.

Succi

* Tragacantha Gummi Arabicum * Laudanum * Myrrha	a gr. x. aut xii.

Ligna

* Lenticus	In decoct. ad ʒ ß. pro ſingulo œnophoro.

ANIMALIA

* Spodium raſum * Cornu Cervi raſ.	In decoct. a ʒj ad ʒij pro ſingulo œnophoro In ſubſt. a ℈j ad ℈j.

Syrupi.

* Conſolidæ majoris
Granatorum
Oxalidis
Limoni
Omphacii
Ribeſiorum.
} ab ℥ j. ad ℥ ij.

Ex ſuper allatis ſubſtantiis, ut nuper demonſtravimus, ſub diverſa forma varia medicamenta componi poſſunt, decoctiones nempe, oppiata &c. animadvertendum tamen erit agglutinantibus, & vulnerariis incaſſum adhibitis, adſtringentia addi debere ex prima remediorum claſſe deſumpta.

III. In poſtremo caſu ubi a chloroſi ſuperſtitem aliquam ſuſpicemur uteri obſtructionem, quæ vaſa lactea adhuc infarciat, ac proinde ſanguinis circulum intercipiat, mitiora aperientia uſuveniunt *Cap. VIII.* indicata, ubi de chloroſi diſſeruimus; modica tamen doſi, & adſtringentibus copulata, alias augeri poterit potius quam imminui cruoris effuſio.

IV. Non deſunt interdum ſigna quæ varia cauſarum connubia in hoc morbo indicant, eroſionem videlicet, & laſſitudinem ſimul, obſtructionem atque eroſionem, laſſitudinem & obſtructionem, at quod valde deterius eſt, eroſionem una, laſſitudinem ac uteri obſtructionem oſtendunt, in ſingulis his caſibus enim remedia pariter copulare neceſſe eſt, quæ compoſitis cauſis mederi efficaciter valeant.

V. In omnibus nuper propoſitis circumſtantiis, 1. Topica auxilia præcedenti articulo enunciata poſſunt adhiberi, fomenta nempe, emplaſtra cataplaſmata &c. quinimo minus timoris ſupereſt calorem ex his utero communicatum ſtillicidium augere, copiam ac velocitatem augendo affluentis ſanguinis.

3. Præterea alterum reliquum eſt remedium, quod adhuc indicare prætermiſimus, in hæmorrhagiis tamen caute adhibendum, cum facile uterus calefaciat, quamvis in ſimplici ſtillicidio utiliſſimum evadat.

Hujuſmodi ſunt ſuffumigia, quæ diverſa ratione patrari poſſunt, ſimpliciora fiunt ex aceto candenti laminæ ſuper affuſo; magis compoſita parantur ex roſarum rubrarum coroliis, Balauſtis, Baccis Myrti, Maſtice, Karabe, Laudano &c. omnia ſubtiliter terrendo, & gummi tragacantha ſubigendo, inde in aqua roſarum, aut plantaginis ſoluta trochiſci efformantur, quæ laminæ ignitæ ſuperimponuntur. Quidam (*a*) Auctores inter ſpecifica remedia ranas umbroſo loco exſiccatas laudant, aut ungulas muli in bracteolas conciſas eadem ratione igni, aut ferro candenti ſuperimpoſitas.

Recipiuntur plerumque hujuſmodi ſuffumigia per ſellam familiaricam, at cum fumus difficillime ita ad uterum pertingat, commodius tubus additur; oportebit tamen ſellam elevare, ac ignem a tubo aliquantiſper removere, ne tactu caleſcat nimis, & uterum, aut vaginam lædat.

3. Cum uteri ſtillicidium hæmorrhagia minus periculoſum evadat, minuſque urgeat, etiamſi diu perſiſtat, ideo largior victui erit indulgendum, quare non ſolum gelatinas permiſeris cornu Cervi, aut carnium, verum juſcula, oryzarum cremorem, fercula, ova ſorbiblia, aut jure ſoluta; in prandio, carnium tantum-

a) Michael Joannes Paſchalius, *Methodi curandi Lib. I. Cap.* 55. qui aſſerit hac methodo vetuſtiorem hæmorrhagiam curaſſe.

tummodo uſu interdixeris, his interdum ſubſtituendo piſces aſſatos, vel aqua parum excoctos, ægræ interim procul vino ptiſanæ uſu perſiſtent, ſero levem narcoticum hauriendo, ſi difficillime ſomnum capiant.

4. Etiamſi fruſtraneum videatur ægris continuam quietem commendare, nihilo ſecius violentiora exercitia ipſis interdicere fas erit, in quod ſedulo incumbere convenit, ut ægræ cubili, aut ſiſellio ſilentes detineantur: verum cum lætitiæ æque, vel mœroris ideæ ipſis noceant, itaque ab iis erit abſtinendum connubii uſum pariter intermittendo.

Ea medendi ratione, vel ſubigitur ita morbus, ut lymphaticum effluvium album lacticinoſum tantum, vel quaſi carnium lotura cruentum fiat, quod flores albos appellant (de quibus capite ſequenti, vel penitus eradicatur, ut regreſſui obſiſtere tantum reliquum ſit.

CASUS TERTIUS.

Methodus præcavendi hæmorrhagiæ regreſſum.

1. Omnia removere ſatagere debemus, quæ hæmorrhagiam aut ſtillicidium renovare valerent, quare ægras certa vitæ methodo regere neceſſe erit violentiora ipſis exercitia prohibendo, quæ cito lectulo quieſcant, ſero expergeſiant, verum ut animi pathemata compeſcant, neve conjugis abſentia triſtentur, hortari debemus, unam tantum comeſtionem permittendo elixæ, vel aſſatæ carnis, vini potui parcius indulgendum videtur, niſi parum interdum ventriculus poſcat.

2. His cautelis, quæ potiſſimam conſtituuntur prophilaticæ curæ partem, remediorum uſus addi poteſt, quæ meliorem in ſubigendo morbo præſtabunt effectum, at cum magna ex parte, vel penitus ſublata cauſa videatur, ea remedia modica doſi ſat erit exhibere, mitiora etiam pariter eligendo.

3. Idcirco ſi inertes, aut laxæ perſiſtant venoſæ appendices, leviora adſtringentia ſub ptiſanæ, aut ſucci depurati forma propinabis, vel bolos, quibus ægra uti poterit, uſque dum catameniorum effluvium periodice abſque ulli ſanguinis jactura reſtituatur, identidem abſolvitur medela ſola ptiſana, aut leviori decocto chinæ radicis, vel chinæ ſimul, & ſarſæparillæ.

4. In appendicum vero eroſione demulcentium, & agglutinantium uſu erit inſiſtendum, ac præter ſuperius indicata remedia commode uſuveniunt jura pullorum, ſeminum frigidorum, ranarum, teſtudinum &c.; vulnerariis quandoque remixta, qualia ſunt balſamum Coppay, aut Canadenſe, butyro ſimul cacai, aut ſpermate ceti ſubacta.

5. Uſum reiterare poteris mitium aperientium ubi ſuperſit lacteorum obſtructiones, hujuſmodi ſunt decocta amara, in quibus ſoluta fuerint grana quindecim, aut viginti tartari chalybeati ſolubilis; tum viginti, aut vigintiquinque terræ foliatæ tartari, tandem lactis ſerum locum habet plantis amaris ſuperaffuſum, cui ſimilia addita ſint remedia.

6. In omnibus iis circumſtantiis aquæ minerales ferrugineæ utiles evadunt idonea tempeſtate propinatæ, modo parum, vel nihil purgandi vi polleant, atque modica ſaturentur ferri copia, cujuſmodi ſunt illæ de *Forges*, at ſi purgantes minus, aut ferrugineas adhibere coacti erimus, poterunt ipſæ aqua communi dilui.

7. Lactis uſus in eo triplici caſu opportuniſſimus experitur, aliqua tamen diverſitate, quando enim elaterium reſtituere opus ſit vaſorum lacteorum, lac caprinum, vel nonnullorum auctoritate ovinum commendatur, modo eum ventriculus patiatur, aſininum valet edulcorare ſanguinem, lacticinoſum humorem ſolve-

ſolvere, aut vermicularia laxare, vaccinarum vero magis idoneum videtur vulnerariis decoctionibus conſociatum, quando nuperrimas cicatrices agglutinare interſit, vero eo ſimul aſininum collineat.

8. Suffumigia tamen in ſingulis caſibus conveniunt modo tepentia ſint, cum unius ſit ſcopus appendices roborare, atque laxam uteri interiorem ſuperficiem, ideo trochiſci uſuveniunt ex thure, maſtice, laudano, roſarum corollis, aut balauſtris confecti, vel ex duobus eorum, aut tribus aqua plantaginis, quæ gummi tragacanthæ auxilio in trochiſcorum formam redacta utero ſub fumi ſpecie excipiuntur.

Cautelæ neceſſariæ circa hujus morbi medelam.

I. Cum graviſſima cui mederi intereſt indicatio ſit ſanguinis jacturam compeſcere, idcirco remedia, quibus maxime fidere debeamus, reiteratæ ſunt venæ ſectiones, adſtringentes ptiſanæ cum radicibus biſtortæ, ſymphiti, corticibus granatorum, aut aurantiorum viridum &c., decoctiones terræ Japonicæ, ſucci deputati, plantarum adſtringentium urticæ, Althææ videlicet. Plantaginis, Mille folii &c., boli tandem ex pulveribus ſtipticis ſanguinis Draconis præſertim alumnis rupei ad grana ſingulorum quindecim quarta quoque hora ſumenda.

II. Menſes nimi ſimilia poſtulant remedia, mitiora tamen, & aptiori doſi.

III. Cum uteri ſtillicidium minus periculi conjunctum habeat, in remediorum uſu minus angi fas erit; imo prudentis erit interdum cunctari naturæ conatus perſcrutando, ut morbi gradus rite detegere, & magis idonea remedia exhibere valeamus.

IV. Generice effluentis ſanguis copiam intercipere debemus, minime tamen citius quam par eſt, ne violentiores ſuperveniat hyſtericæ ſuffocationes, neve, quod deterius eſſet; hæmorrhagiæ præceps detenſio inflammationem, aut ſcirrhum inducat, quare ſuſpicari licebit de crebro adſtringentium uſu, quibus caute Medici fidere debebunt.

V. Frigida itaque pediluvia, peſſaria, aut ſtipticæ, injectiones, niſi periculum urgeat, minus conveniunt, ac in præcipiti caſu caute incedendum erit, ne promptior remediorum effectus magis, quam morbus ipſe ægras offendat.

VI. Idem judicare debemus de aqua Rabelliana ptiſanis, aut portionibus addita, etiamſi ejuſdem modica doſis numquam præcipites effectus præſtet, aut ullam pernicem inferat.

VII. Admonuimus jam, calida abdomini applicare, aut vaginam intromittere, nocuum eſſe, calore enim rationibus ſupperius allatis ſanguis ad uterum celerius tranſducitur; frigida tamen nimis paciter nocent, quæ ſanguinem figunt, ibique morboſos infartus gignunt.

VIII. Medicorum nonnulli in uteri profluvio plumbi præparationes magnifaciunt, ſaccharum videlicet, magiſterium, atque liquorem Saturni, uteri injectionibus non ſolum, quod modica doſi minus periculoſum foret, verum intus ſumi jubent, quod omni contentione dignum eſt, ac proſequi nefas. magno itaque Boerhaavio in hoc parendum erit Chemiæ peritiſſimo, qui: *Saccharum Saturni*, ait (a), *interne commendatur pro remedio ſalubri contra hæmoptœn, hæmorrgagiam, mictum ſanguinis, gonorrhœas, fluores albos, & ſimilia, tum etiam pro mitificante remedio contra acria ſanguinis; ſed numquam auſus fui facere periculum, quia felices ſucceſſus haud vidi ab aliis adhibentibus natos, quoniam novi vix doloſius haberi, tetrumque magis venenum, quam ab hoc plumbeo ſtatim in ce-*

(a) Chymiæ *Tom. II. Proceſſu* 173. *in Scholio.*

in ceruſſam redituro, ut acidum ab occurrente quacumque re inde abſorbetur; hinc letalem, nec facile poſtea ſanandum venenum corporis induitur.

IX. Quod nos magis implicat uſus eſt emeticorum aut purgantium; hujuſmodi remedia a celeberrimis Practicis magnopere commendantur; quinimo mirabiles quandoque effectus præſtant (*a*), id tamen valde incertum erit; certiſſimum contra eſſe conſtat eorum actione morbum augeri neque augmenti gradum dignoſci poſſe, haud mirum enim in iis circumſtantiis *judicium difficile* eſſe, cum niſi longa praxi & ſumma artis ſolertia obtineatur, circa quod animadverſiones noſtras ſequenti capite complexi ſumus.

X. Evidens enim eſt: 1. Nedum purgantia, aut emetica in uteri hæmorrhagia convenire, niſi ventriculi aut inteſtinorum cruditates jacturam intendant: 2. Has ſaburras confirmare non poſſe morbum niſi triplici ratione: aut febres excitando, quæ ſanguinis velocitatem accelerent: cruorem periodice inſpiſſando, quod infartum uteri augeat; inteſtina criſpando aut vellicando, quod pares in utero effectus inducant; ex iis ergo conſequitur ea remedia nunquam eſſe adhibenda, niſi: 1. Cum ventriculos, aut inteſtina cruditatibus, aut indigeſtis cibis graventur, quod nauſeæ, tormina, languor oſtendunt, vel inconcinnum vitæ præcedentis regimen: 2. vel ſi periodica febre corripiantur ægræ, quam comitentur periodica pulſuum concentratio; horro; tormina, aut regulares colicæ inſultus.

XI. Ecce vobis limites, quibus purgantia exhiberi poſſunt, ac maxima prudentia duas alias conditiones poſtulat, ut tutius incedamus: *Prima* eſt vaſa venæ ſectionibus deplere, ut uberiores vitemus effuſiones, quas ea remedia excitare poſſent; *altera* procul eſſe dolorem, aut tenſionem uteri, quæ in iis caſibus inflammationem parere valerent.

XII. In conditionum earum etiam confluentia nunquam eumdem præſtare ea remedia effectum expectabimus, plerumque tamen tutius uſuveniunt in ſimplici ſtillicidio, quam in uteri hæmorrhagia, cum minus pertimeſcenda ſit hæc ſanguinis irruptio; Tutius pariter in hydiopatico, quam ſyptomatico ſtillicidio, quia minus languidæ ægræ facilius eruptionem patientur, ſi qua evenit; tutius tandem in ea ſanguinis jactura, quæ nullam continui ſolutionem comitem habet, nam integra uteri vaſa magna eruptioni obſiſtunt, quam læſa.

XIII. Cum de utilitate in hoc morbo, aut pernicie purgandi certiores facti ſimus, reliquum parum implicat: emetica enim erunt anteponenda, modo cruditates adhuc ventriculum gravent, præſertim ſi ægræ facile vomant, purgantia vero ſi ſaburræ ſint inteſtina ingreſſæ; vel quando ſtomacho adhuc morantibus ægræ laborioſe eructent.

XIV. Eliguntur interdum mitiora purgantia, & ægrotantium viribus accommodata, epicratice plerumque primas vias expiando, emeticorum vero reſpectu Ipecacuanha potiſſima eſt ad 20., XXIV, aut XXX grana, aut tartarum emeticum, vel alia antimonialia; de cetero radix illa mitius agit, ſolvit, atque abradit facilius ventriculi ſaburras, tandem tartaro emetico alvum magis ciet.

Remedia in uteri hæmorrhagiis commendata, quibus utiliter, vel ſaltem innoxie uti potes.

Quamvis adſtringentium, & agglutinantiam ſeries, quas oſtendimus, innumera ſuppeditent remedia, diverſa circumſtantiis omnibus opportuniſſima non eſſe præ-

(a) Hippocrates, *Lib. II. de Morbis Mulier.* omneſque poſt eum, qui de hoc morbo ſcripſerunt.

prætermittenda cenſuimus nonnulla ſpecialiter ab auctoribus commendata, quæ utilia vel tuta ſaltem experta ſunt, hujuſmodi ſunt,

I. Alumen rupeum quod Adrianus (*a*) Helvetius, tamquam ſpecificum remedium in omni ſanguinis amiſſione propoſuit, at in uteri hæmorrhagia potiſſimum paratur ſalis fuſione argenteo præparata cochleare, cui fuſo ſubquadruplum ſanguinis draconis additur, ac antequam maſſa indureſcat, pilulæ efformantur magnitudine piſi.

Si modica appareat cruoris jactura earum pilularum drachma ſemis quarta quoque hora exhiberi ſolet cum ſyrupi cidoniorum cochleare, at ſi hæmorrhagia maxima ſit, ſcrupuli duo aut drachma præſcribi poſſunt ptiſanam ſuperbibendo graminis, aut infuſum plantarum capillarium.

D. Helvetius hujus remedii efficaciam magnopere prædicavit, qui validos effectus vidit; imo validos quandoque nimis prodire expertus eſt, citius enim unam par eſt fluxus ſupprimendo teterrima ſymptomata producit; plerumque aluminis ſumpti copia ventriculum gravat, continentes anſietates inducit atque languores, alvum obſtipat, ut conatus nimii neceſſarii ſint in excernendis fæcibus incaſſum clyſteriis exhibitis,

Hodie Helvetii ſpecificum pene obſolevit, ei tamen ſubſtituitur alumen ſanguine draconis, & pauco ſaccharo, tragacanthæ auxilio remixtum ſub forma bolari, & ſimili intervallo bis in die exhibitum, qua methodo tutius evadit.

II. Eſſentia Rabelli, cujus compoſitio in pharmacopæa Pariſienſi deſcribitur ceteris ſtipticis præcellit, & efficaciſſima eſt, cujus actionem pro libitu moderare valemus.

Vulgaris exhibendi ratio eſt 56. aut 57. guttas poculo, aut libris duabus aquæ ſymphiti radicis ad gratam aciditatem ſuperaffundendo, cui additur uncia, vel uncia cum ſemiſſe ſyrupi granatorum, ribeſiorum, aut capillarium plantarum donec gratiſſima citreæ potionis ſpecies conficiatur.

Ejuſdem cyathus quinque vel ſex unciarum quarta quaque hora propinatur in uberiori fluxu, qui ſi modicus ſit, duo, vel tria pocula pro ſingula die ſufficient, aut ſemel in ſimplici ſtillicidio.

Hoc remedium nec ventriculum lædit, nec inteſtina conſtipat, ſi eſſentia deeſſet, ſpiritus vitrioli dulcificatus ſubſtitui poterit, qui ſimili ratione ſumptus eoſdem præſtabit effectus.

III. Succus (*b*) expreſſus ex fimo aſinino, aut ſuillo rite depuratus utilis (*c*) cenſetur quotidie quatuor drachmarum doſi ter hauſtus, æqualis copia remixtus ſyrupi coraliorum, roſarum exſiccatarum, aut baccarum myrti parum aqua totius citri aromatizatus; interdum diluitur cum aquæ plantaginis uncia, vel alterius ſimilis, tum ex eodem ſucco ſyrupus conficitur, qui ſimili methodo ſumitur, tandem ex fimo cataplaſmata coagmentantur, quæ hypogaſtricæ regioni quandoque applicantur.

IV. Radix filipendulæ, (*d*) cortex radicum mori albæ (*e*); teſta ovorum (*f*) calcinata, epidermis (*g*) pedum anſeris exſiccata, utraque remedia quaſi totidem ſpecifica commendata reperies, quæ ad drachmam hauriuntur aqua, vel ſucco plantarum adſtringentium prius ſoluta.

V. Ovi vitellum crudum, vel leviter coctum vini rubri cochleare, aut aquæ plantaginis diſtillatæ hauſtum leniſſimum, tutiſſimumque remedium ſuppeditat,

(*a*) *Traitè des Pertes de ſang.*, Paris 1697. in 8. (b) Roderic, a Caſtro *De Morbis Mulier. Lib. I. Cap.* 3. & aliis paſſim. (*c*) Joannes Schmidt. *Ephemerid. Medico-Phyſicar. Decur. I. ann. IX. & X. Obſerv.* 56. (*d*) Mercatus *De Morbis Mulier. Lib. I. Cap.* 8. (*e*) Idem, *ibid.* (*f*) Riverius, *Cent. IV. Obſerv.* 86. Raymundus Fortis, *in Conſult. & Reſponſ. Medic.* (*g*) Jo: Artamannus, *in Praxi Chimiatrica.* Raim Fortis *ubi ſupra.*

tat, quod per plures dies ingurgitare poterunt ægræ utiliter, præſertim in uteri ſtillicidio.

VI. Gummi (*h*) arabici drachma aquæ plantaginis, vel alterius ſtirpis ſimili virtute donatæ uncia ſoluta mane jejuno ſtomacho ſumpta non parum prodeſt, hoc remedium æque ac ſuperallatum ex glutinantium claſſe deſumitur, & in uteri ſtillicidio a leviori excoriatione orto convenit.

VII. Flores (*i*) nucis decidui umbroſo loco exſiccati, ac in pulverem redacti eo collineant vini rubri cochleare per aliquot dies propinati.

VIII. Remedium, quod tot laudibus extollit (*k*) Foreſtus quaſi ſecretum mirabile, ab Helideo ſummo Clinico Bononienſi præceptori ſuo adeptum. Ipſum ita paratur:

Turtur ſumitur modice pinguis, poſtquam plumis exutus, atque exenteratus fuerit, ipſe pauco vino, ac aqua roſarum luitur, venter vero maſticis ruditer contuſi uncia repletur, & veru transfoſſus, dum aſſatur butyri loco aceto roſato irroratur, ſedulo dein adeps colligitur; aſſatus vero turtur, ollæ recenti, & vernice intus obductæ imponitur, lutatoque vaſe in furno ad ſiccitatem comburitur donec pulvis fieri poſſit.

Foreſtus admonet per plures dies exhibendum eſſe cochlear unum hujuſmodi in aqua plantaginis, aut quavis alia decoctione adſtringenti, interdum ægras circa renes, pubem, atque inguina illa pinguedine fricando; at ſi hujuſce remedii virtuti fidendum eſſet, maſtici potius, quam ejuſdem præparationi effectus tribuendus videtur, cum parum, vel nihil a præparatione eos pendere cenſeam.

IX. Subſequens decoctio, quam (*l*) Septalius proponit ut potiſſimum, atque arcanum remedium experientiis comprobatum hic locum habet.

Cortices ſumuntur trium aurantiorum viridium in bracteas conciſi, & cum libris ſeptem aquæ ad tertiæ partis conſumptionem ebulliuntur, reſiduum filtratur, cujus unciæ octo, aut novem quotidie mane exhibentur. Septalius animadvertit ejuſdem decoctionis virtutem augeri, ſi ebullitionis fine addatur piloſellæ manipulus; aut pluries ferrum ignitum in ipſa extinguatur, potiſſimum itaque remedium eſſe teſtatur in morboſo uteri effluvio, modo ille continui læſione non laboret.

X. Inter topica remedia (*m*) Solenandrus cataplaſma quoddam magnifacit, quod primo morbi aggreſſu ſanguinis jacturam ſiſtit, vel vetuſtiorem etiam, aut pertinaciorem, atque (*n*) Riverii, Ettmul. (*o*) aliorumque celeberrimorum practicorum (*p*) auctoritate fulcitur, cumque tali pacto componitur.

R. *Gypſi ſ. p.* ℔ I.
Gummi Arabici torrefacti ſ. p. ℥. X.
Albuminum ovorum quaſſatorum n. V. aut VI.
Miſce, & ſub cataplaſmatis forma umbillico, & lumbis applicito, & multo goſſypio obducito.

Quanti pendat hujuſmodi remedium prætereo, at cum extrinſece tantum uſuveniat, neque ullum detrimentum adjunctum habeat; imo neceſſarium quandoque in uteri profluvio videatur, quare ipſum enunciare non prætermiſi.

XI. Demum ſtanni calx in menſibus nimiis, aut immodico fluxu intus ſumpta pauca roſarum aqua remixta quandoque exhibetur mane videlicet jejuno ſto-

macho

(*h*) Mercatus, *ubi ſupra*. (*i*) Solenander *in Conſil. Medicinal.* (*k*) Obſervat. *Lib. XXVII. Obſervat.* 10. (*l*) *Animadv. & Caut. Lib. VII. Cent.* 145. (*m*) *In Concil. Medic.*
(*n*) *Praxeos Medica Lib. XV. Cap.* 3. (*o*) *De Morb. Mulier. Cap.* 1.
(*p*) Timæus von Guldenkhlèe, *Lib. IV. Cap.* 9.

macho ad grana x. xv. aut xviii, per dies aliqot continuata; Cum hoc remedium ventriculum nihil laceſſat, ut vulgaribus adſtringentibus fieri ſolet exiguæ ſtipticitatis ergo, ideoque uſum adſtringentibus tutiorem judico, eumdemque nullam induxiſſe noxam quidam mihi aſſeruit amicus.

Eodem in hyſterica paſſione utendum ſuadent; circa quod eo lectorem mittimus ubi ſpeciatim de hoc morbo loquuturi erimus, ac de ſtanneorum noſtram exponemus ſententiam, quæ tanti exiſtimant.

Remedia adverſus eumdem morbum pariter commendata futilia tamen vel ſuſpecta.

Nulla magis veterum Medicorum remedia fulciuntur, quam cucurbitulæ mammis aprenſæ, quare Hippocrates his verbis aſſerit (q): *Mulieri ſi placet menſtrua ſiſtere, cucurbitulam quammagnam ad mammas appone:* (r) Galenus idem conſentit; hodie tamen prorſus obſoleverunt, me enim latet quem edant effectum; cum iis nondum uti vidiſſem, verum ſuadeo ex brachio venæ ſectionem cucurbitulis valde præcellere.

II. (ſ) Foreſtus, (t) Majernus, (u) Artamanus oſſa humana calcinata commendant; imo ſecundum Majernum ad albedinem torrefacta ad drachmam ipſa propinantur in vini rubri cyatho diluta, aut aquæ plantaginis, verum præter horrorem, quem horum remediorum habere ſolemus, parandi methodus, potus aperientia reddere oſſa, quam adſtringentia mihi videtur.

III. Franciſcus (x) Feyenus antiquus profeſſor Monſpeſſulanus proponit ſpongiam pice liquida imbutam, ac intra ollam furno ad ſiccitatem toſtam, ut ex ea pulverem fieri videamus; hujus pulveris grana xii, aut xv ſufficienti quantitate ſucci plantaginis ſoluta tum intus exhibet, cum injectionibus addit, eamque in uteri hæmorrhagiis utiliſſimam evaſiſſe teſtatur; at ille pulvis diureticus eſt, at proinde emenagogus; nefas ergo erit pro ſiſtendo immodico fluxu ipſum adhibere.

Idem pronunciare poterimus de colophonio, quod (y) Solenandrus laudat. ſucco plantaginis diluto ad drachmæ doſim ſumpto; fatetur enim ægram certo a quarta doſi valetudinem recuperaturam eſſe, *id fiat quater, ait, & erit curata infallenter Deo dante.*

IV. Riverius (z) ejuſdem Univerſitatis profeſſor meritiſſimus indubitanter aſſerit ſpicam nardi pulveriſatam ſimili doſi in liquore idoneo ſolutam optimum periſtitiſſe remedium, apparet enim *Obſervat.* 31. *Centur.* 2. eo aliis copulato adſtringentibus utiliter uſum eſſe, plurimi ſane exiſtimo Riverii in rebus Clinicis ſolertiam, at ſua pace valde id eveniſſe dubito; odor enim, atque ſapor aromatici indicant remedium attenuare, ac aperire; auctorum etiam plerorumque opinionem ſi amplectamur, qui menſes ipſam evocare potius docuerunt.

V. Neque majorem laudem meretur tinctura antiphthiſica Ettmulleri, quam auctor idoneo vehiculo (aa) ſolutam ad guttas xii. xv. xviii. exhibebat, ejuſdem parandi ratio hæc eſt (bb).

V. vac-

(q) *Sect. V. Aphor.* 50. (r) In Comment. *in hunc Aphoriſm.* (ſ) Obſerv. *Lib.* xxviii. *Obſerv.* 10.
(t) *Praxis Medic. Lib.* III. (u) *In praxi Chimiatrica.* (x) Practic. Medicin. *Lib.* iv. *Cap.* 58.
(t) *Praxis Medic. Lib.* III. (u) *In praxi Chimiatrica.* (x) Practic. Medicin. *Lib.* iv. *Cap.* 58.
(y) *In Conſiliis Medicinalibus.* (z) *Praxeos Medicæ Lib.* xv. *Cap.* 3. (aa) *De Morb. Mulier. Cap.* 1. (bb) Vid. Ettmullerum *in Comment. in Schrod. & in Morelli Method. Cap.* de Tincturis.

℞ Sacchari Saturni,
& Vitrioli Martis, ana. ʒ j.
Spiritus vini rectificati, ℥ viij.
Repone in loco frigido, donec rubeſcat ſpiritus.

Saccharum Saturni, quod compoſitionem intrat, ſatis obeſt, ut nullus Medicorum, quavis ſit auctoritate ſuffultam, illam amplecti debeat, animadverſiones noſtras ad trutinam advocare poteris ſuperius *p.* 107. expoſitas ubi Saturni uſum perſcrutati ſumus.

VI. Minus nocuus expertus eſt pulvis ſperniolæ crolii quem hic (*dd*) oſtendam, de cujus virtute anceps valde hærerem

℞ Myrrhæ electæ & Thuris maſculi ana. ℥ ij.
Croci triti ʒ ß.
Terantur, & miſceantur omnia.
Pulvis ex aqua ſpermatis ranarum per ſaccum reſoluta imbibatur vigeſies vel trigeſies, ita tamen ut ſemper prius exſiccetur
Tandem adde Camphoræ ʒ iij.
Pulvis ſervetur ad uſum, cujus doſis ad ij. vel iij. in aqua Artemiſiæ vel in vehiculo quovis idoneo.

Prima hujuſce formulæ inſpectione patet perperam thus & crocum eligi emmenagoga quidem pharmaca, & camphoram attenuanti facultate præditam ad uteri hæmorrhagiam ſiſtendam; quare inutile non ſolum, verum perniciosum hoc remedium puto, ac ſi identidem detrimenti expers fuit, id tenuiori doſi tribuendum cenſeo.

VII. Medicus quidam (*ee*) Alemannus ſmaragdorum pulverem ad grana octo ſumi jubebat, ac in deſperatis cruoris amiſſionibus profuiſſe valde teſtatur; idem prædicant de turcheſiis dupla doſi ſumptis, at tum de cupri facultate ſmaragdis inhærenti, cum de oſſium calcinatorum efficacia quibus, (*) turcheſiæ referuntur maxime dubito

VIII. Uſneam (**) ad ſcrupulum unum intus ſumptam non contemno, minus tamen commendo, quam Medicus quidam (*ff*) Alemannus, qui pro ſpecifico, atque potiſſimo habuit remedio, ut ſequentem compoſitionem ex ea patraret.

℞ Uſneæ pulveriſatæ, & Eboris foſſilis, ſeu Coraliorum, cum ſpermate ranarum recenter collecto præparatorum, ana. ℈ j.
Apii confecti, gr. j.

Cum ſyrupo idoneo f. Pilulæ parvæ foliato auro obductæ, quæ alternis diebus cum emulſione aliqua ex ſeminibus quatuor frigidis cum aqua ſpermatis ranarum prius recenter parata, circa decubitum ſumantur.

Idem

(*dd*) *In Baſilica Chimica.* (*ee*) Daniel Crugerus, *in Ephemer. Curioſ. Natur. Germ. Dec.* II. *Ann.* 5. *Obſervat.* 24. (*) Petrus Borel Medicus de Caſtro, & Academicus Pariſienſis Primus oſtendit, Anno 1664. Turcheſias Oſſa eſſe putrefacta, atque calcinata, Vide *Antiquitas de la Ville de Caſtres, Liv. II. Chap.* 12. Et la *Deſcription du Cabinet de l'Auteur*, in ejuſdem libri fine. Dominus Reamurius idem poſtea demonſtravit. Vide *les Memoires de l'Academie Royale des Sciences, annèe* 1755. *p.* 174.

(**) Arabes omnes Muſci ſpecies *uſneas vocant*: vide Matthioli *Commentaria in Dioſcorid. Cap.* 20. & Dodonèe. *Stirp. Hiſt. Pempt.* 3. *Lib.* 5. *Cap.* 13. at hujuſmodi vocabulum niſi eam muſci ſpeciem apud nos ſignificat circa Oſſa, & Cranium humanum adnatam, dum per diutinum tempus pluviæ, frigori aut radiis Solaribus illa expoſuerunt, quibus valde emollita, atque terreis moleculis imbuta, neceſſariam huic plantæ nutritionem valent ſuppeditare.

(*ff*) Martin Bernhard. a Bernitz, *in Ephemer. Curioſ. Natur. German. Decur. I. Ann.* 2. *Obſ.* 53.

Idem auctor pulverem propoſuit ex Uſneæ, fimi equini, & Sperniolæ ana- tica doſi peractum, quo flocci ex goſſypio, aut lana gummi ſimul arabici auxilio imbuitur, qui peſſariorum modo, vaginam intromittuntur, neque inutiliter.

IX. Quaſi totidem veteris credulitatis, neque ſuperſtitionis reliquiæ ſunt auxilia a nonnullis medicis recentioribus etiam commendata adverſus uteri profluvia. Convaleſcere igitur ægras defendunt, ſi ipſæ cadaver (*gg*) tangant, ſi ſub axillas (*hh*), aut prope ſcrobiculum bufonem exſiccatum geſtent, ſi proprii effuſi ſanguinis chalybeo cochleari torrefacti guttas (*ii*) aliquot cum ovi luteo hauriant, vel novem ſtercoris (*kk*) muris pilulas auratas comedant, ſi induſium (*ll*) ferant quo diu vir ſit uſus, ſi corpus circumveſtiant (*mm*) *muſco repenti terreſtri* Matth. ſeu *muſco terreſtri clavato* C. B. P. vel *Helleboraſtro*, (*nn*) apud Gallos *pies de griffon*, aut (*oo*) *Helleboro vero*; adde tandem ſerici (*pp*) coccinei Kerme præſertim infecti minutim conciſi drachmam, ovi luteo hauriendam, quod poſtremum remedium non erit prorſus floccifaciendum; at cetera antecedentia penitus contemnenda videntur, niſi horror interdum, quem ipſa excitant, motum aliquantiſper ſanguinis imminuerent, atque ita paullulum hæmorrhagiam ſiſtere valerent.

CAPUT X.

Fluor albus.

§. I.

Deſcriptio, & Differentiæ.

PRæter uteri hæmorrhagiam, de qua adhuc loquuti ſumus, alteri fluoris generi lacteo, albo, vel lymphatico ſunt mulieres obnoxiæ. Hujuſmodi effluvium interdum uberrimum, interdum modicum, modo continens, modo intermittens eſt Latine *Fluxus muliebris*, aut *Fluor albus* appellatur, Gallice *Flueur*, vulgo *Fleurs blanches*, aut *Perte en blanc*.

Raro hic morbus virgines aggreditur, non deſunt tamen exempla earum reſpectu, quæ diu chloroſi laborarunt, plerumque tamen eo corripiuntur mulieres, quæ pluries pepererunt, quæ laborioſos partus paſſæ ſunt, aut abortum; demum ætate conſiſtentes, quæque infirmam valetudinem gerunt, aut inconcinnum vitæ regimen ducunt.

Hujuſmodi ægritudo modo menſium ſuppreſſionem, modo, non, comitem habet; virum in utroque caſu modo perſiſtit, modo intermittit albus fluor.

Hic, qui citra ſuppreſſionem intermittens evadit, aliquot dies plerumque catameniorum eruptionem præcedit, eaque inſtanti augetur, ac proſiliente ſanguine perdurat etiamſi tunc diſtingui nequeat, patet denuo fluxu cruento deſinente in diem imminui poſt decem, aut decem & octo dies penitus abire, utrum citius, aut ſerius pro ſubjectorum diverſitate ſimili ratione revertere.

(*gg*) Vitus Riedlinus, *Lin. Medic. Ann.* 5. *Febr. Obſerv.* 20. (*hh*) Daniel Crugerus, *ubi ſupra*. Ephem. Curioſ. Natur. German. *Decur.* I. *ann.* VI. & VII. *in Appendic. Tit.* 2. *Faſcit.* 2. *Medic. Onofſelianorum*. (*ii*) Jo. Hartman. *In Praxi Chymiatrica*. (*kk*) Raimundus Jo. Fortis, *in Conſult. & Reſp. Medicis*. (*ll*) Ettmuller, *de Morbis Mulier. Cap.* 1. Joannes-Fredericus Helvetius, *in Diribito-Medico P.* 117. Hic credulus valde ſibi ſuadebat penitus menſes intercipit ut necdum reverterent: *Sed metuendum*, ait, *ne exinde, in tantum ſupprimantur menſes, ut numquam amplius in poſterum fluant.*

(*mm*) Martin. Bernard. a Bernitz. *Ephem. Curioſ. Natur. German. Decur.* I. *Ann.* 2. *Obſerv.* 52.

(*nn*) Renealmus. *Obſerv.* 21. (*oo*) Joan. Harthaman, *in Praxi Chymiatrica*. Ettmuller. *de Morbo Mulierum. Cap.* 1. (*pp*) Ephem. Curioſ. Germ. *Decur.* III. *Ann.* 1. & X. *Obſerv.* 235.

Continens vero albus fluor eadem methodo prope menſtrua increſcit, iis deſinentibus imminuitur, donec vulgarem gradum recuperet; nunquam tamen penitus deficit, quinimo ſimili ordine intercidit.

Quando ille intermittens eſt cum menſium ſuppreſſione, catameniorum periodum plerumque æmulatur, quorum vices gerere videtur; perduratio etiam a menſibus haud abſimilis eſt, etiamſi nonnihil diuturnior.

Tandem in menſium ſuppreſſione continens hujuſmodi fluor varietatibus valde obnoxius eſt, modo aggreſſu aut perduratione menſibus reſpondet, modo nullam periodum ſervat, quod interdum obſervatur in intermittente albo fluore, quem ſuppreſſio menſium comitatur.

Hæ totidem ſunt albi fluoris ſpecies, aliæ *cum* menſtruorum *ſuppreſſione*; aliæ *ipſa expertes*; *continentes* aliæ; aliæ *intermittentes*: quædam *periodice intermittunt*; nonnullæ *intermittendo nullam periodum conſervant*; at aliæ ſuperſunt differentiæ, quæ a *natura*, *colore*, atque *proprietatibus* fluentis laticis deſumuntur.

1. *Ab humoris natura*; nam ipſe modo ſeroſus, purus, lymphaticus eſt, modo albus, ſpiſſus, lacticinoſus apparet; quam ob rem alter *lymphaticus*, *lacticinoſus* alter fluor vocari ſolet. Poſtrema hujuſmodi ſpecies tres alias complectitur, quæ gradu inter ſe differunt; prior humorem præbet *lac* colore atque opacitate referentem; *altera* ſeri ſpeciem oſtendit, humorem nempe dilutum magis, album minus, magiſque translucidum; *tertia* tandem laticem præſtat diaphanum ſane, ſed mucilagineum magis, atque denſum ab aqua furfuris haud abſimilem.

2. *Ab humoris proſilientis colore*: qui varias conſtituit fluoris ſpecies prout fluor albus erit, fuſcus, cinereus, flavus, viridis, aut quaſi carnium lotura rubeſcens.

3. *Ab humoris qualitate*; quæ tres ſpecies gignit, *quæ* odore & acrimonia expers eſt, *quæ* acris & corrodens experitur, *quæ* male olet.

§. II.

Cauſæ.

HUjuſce humoris diverſitates, quas adhuc recenſuimus ſufficiunt, ut duplicem ſpeciem albi fluoris inſtituamus, quarum una fluorem *lacticinoſum* præbet, altera prorus *lymphaticum*. In priori caſu noſtrum erit perſcrutari ſuccum lacteum a vermicularibus ſecretum, in altero caſo puram lympham, qualis per lymphatica uteri vaſa circumvehitur, quare facile erit judicare: 1. Flore albos lacteos ab eo procedere, quod lacteus uteri liquor, antequam in vermicularibus colligatur pro eruptione facienda, continenter ſtillet; 2. Lymphaticos vero fluores gignere liquidiorem lympham, quæ a propriis vaſis proſiliens in uterum cadit, foraſque erumpit; ſunt procul hæ diſtinctæ ægritudines, quas ſæpe Medici confundunt, etiamſi ſejunctim eas pertractare conveniat.

Cauſæ fluoris albi lacticinoſi.

Lacticinoſum fluidum, quod in utero vermicularia ſecernunt, atque ibi menſis ſpatio congeſtum catamenia fovere debet, iis fluentibus ſolummodo ſtillando, ut periodicus fiat menſium curſus, quem *Cap. I.* explicavimus, nequit ipſum guttatim effluere, ac proinde album inducere fluorem niſi: 1. Ubertatis ergo vaſa eo repleta reſerari cogat: 2. Nimiæ fluiditatis ergo per appendicum orificia etiamſi rite firmata ipſum effugiat: 3. Vaſa vel nimis laxa ſint, vel faci-

facile parentia, ut minima vi eorum oſtia dilatare valeat, ſpeciatim igitur has diverſas cauſas perſcrutabimur.

I. Succus lacteus, qui pro chyli exuberantia in vermicularibus abundat, parietes vaſorum premit, atque aperiri cogit: in iis præſertim mulieribus.

1. Quæ uberius edunt, cibiſque veſcuntur valde nutrientibus, qui multum chylum ſuppeditant.

2. Quæ parum ſe exercent, vitamque deſidem gerunt, aut ſedentariam, parumque chyli amittunt.

3. Quæ in puerperio lac fugarunt, vel cito nimis fœtum alere deſtiterunt, ex quo chylus ad mammas evehi aſſuetus ad uterum tranſit.

In albo fluore ab hoc *primo* cauſarum ordine procedenti humor erumpens albus, ſpiſſus, lacteus prorſus apparet, nam mutato loco veriſſimum lac eſt redundans.

II. Succus lacteus, qui pro nimia fluiditate per extremitates etiamſi arctas vaſorum effugit, ſeri tenuitatem pro cauſa agnoſcit, inque iis reperitur.

1. Quæ phlegmatico, ac pituitoſo temperamento donantur, aut aquam continuo potant.

2. Quæ ſanguinem habent a lenta febri, aut alia morboſa cauſa ſolutum.

3. Quæ longo remediorum aperientium uſu humores nimis attenuarunt.

In hoc *ſecundo* caſu fluor clarus, mucilaginoſus extat aquæ non diſſimilis, multæ ſeroſitatis ergo qua diluitur.

III. Orificia lacteorum vaſorum, ſeu vermicularium vel nimis, vel facile patent, idcirco contentum humorem cito effundunt in iis.

1. Quæ ſuapte natura debiles, & faciles ſunt, in quibus vaſa omnia, uteri præſertim, conformationis ergo laxa, tenuia, aut patula nimis ſunt, ut facile reſerari queant.

2. Quæ vermicularia eorumque orificia emollita nimis habent ab ipſo ſucco lacteo multiplici de cauſa valde ſeroſo.

3. Quæ intima uteri tunica, quæ ea orificia obtegit, donantur laxa nimis ob frequentes, laborioſos, vel immaturos partus debilitata.

4. Quæ uterum libidinoſo tactu, aut pellicatu nimis laceſſiverunt, ut crebro vermicularia exprimendo ipſa tandem, eorumque orificia penitus elaterio orbentur.

In hoc *poſtremo* caſu fluor plerumque medium locum tenet inter mucilaginoſum, & lacteum effluvium, ex una parte lacticinoſo minus denſus, albus, atque lacteus apparet; ſpiſſus tamen magis mucilagineo, albus, aut lacticinoſus, æmulatur enim multa aqua lac dilutum, aut ſerum imperfecte depuratum.

Uſque adhuc de ſimplici lacticinoſo fluxu diſſeruimus, qui ab una triplici cauſa dependet; a copia nempe ſeri illius, a tenuitate, & ab inertia vermicularium, *primumque* ita fluoris albi *claſſem* in hac ſpecie conſtituimus.

At facile innoteſcit dari poſſe fluores, qui duas ſimul earum cauſarum copiam videlicet, & tenuitatem; tenuitatem, atque inertiam; inertiam tandem, atque ſucci ubertatem pro cauſa recognoſcant, & *ſecundam* in hac ſpecie conſtituemus alibi fluoris *claſſem*.

Accidit tamen copulari interdum tres eas cauſas, copiam nempe, tenuitatem atque inertiam; & ecce vobis palam *tertiam* hujuſmodi fluoris *claſſem*.

Fruſtra putarem in albo fluore diverſa cauſarum connubia determinare, quæ fluores producere valerent ex ſecunda, & poſtrema ſimul claſſe compoſitos, ſatis erit prioris cauſas rite indagare, iiſque affines, ut ſpeciales ortas comparationes facile detegamus.

Cauſæ fluoris albi lymphatici.

Lympha, quæ per vaſa lymphatica interna uteri facie reptantia circumagitur nequit in uterum effundit, acproinde lymphaticum fluorem parere niſi duplici ſequenti de cauſa: 1. Quando in iis vaſis detenta ibi œdematis ſpeciem gignat donec trans uteri tunicas ſibi pandat viam: 2. vel cum aliqua ex parte ſint propria labefactata vaſa, ut lymphæ exitum facile ſinant; id evenit dum uterus aliqua continui ſolutione læditur, at ambas nunc cauſas ſingillatim examinabimus.

I. Lympha in vaſis retenta per tunicarum hiatus exitum petit, atque in uterum irrumpit, ſi

1. Maximus habeatur uteri deſcenſus, qui producendo, implicando, aut laceſſendo tunicas vaſa comprimat lymphatica, ut inde lymphæ circuitus intercipiatur.

2. Si obſtructiones, tubercula, ſcirrhi aut carcinomata in uteri ſubſtantia exoriantur, quæ circulum lymphæ impediant.

3. Si tumores adſint, infartus, aut durities, quæ glandulas lymphaticas obſtruant ubi lymphatica vaſa confluunt ab utero redeuntia; hujuſmodi ſunt glandulæ omnes lymphaticæ, hypogaſtri præſertim, quæ ad Iliacarum bifurcationem locantur, quod refluxum inhibet lymphæ, eamque in propriis vaſis coarcervari cogit.

Ea obſtacula a ſanguinis ſpiſſitudine, atque lymphæ oriri poſſunt vulgari de cauſa producta, vel crebrius a morboſo variolarum, ſcorbuti; ſtrumarum, aut carcinomatis fomite; eademque de cauſa plerumque hujuſmodi fluoris ſpecies illas ægritudines comitatur, vetuſtiores præſertim.

II. Vaſa uteri labefactantur, eorumque ſciſſuræ lymphæ jacturæ occaſionem præbent, quando

1. Vaſa illa lymphatica moranti lympha turgida nimis ſponte ſibi aliquam ſternunt viam, quod plerumque diuturnioris, aut uberioris plethoræ conſequens eſt.

2. Quando interna uteri tunica excoriationibus, aut ſciſſuris læditur, ut lymphæ erumpenti ſemitam aperiat; id tamen citra lymphaticorum labem evenire poteſt.

Cauſæ continui ſolutionis eorum lymphaticorum vaſorum eædem ſunt, quæ ſanguinea vaſcula erodunt, de quibus fuſius capite præcedenti diſſeruimus, vel ſaltem gradu differunt, cum major vis in corrodendis requiratur ſanguineis vaſis, quam lymphaticis.

Quod ſuperius de diverſo claſſium lactei cruoris connubio locuti ſumus, idem hic intelligi debet lymphatici fluoris reſpectu: nam

1. Hujuſmodi fluores ſimplices eſſe poſſunt ab unica cauſa procedentes, lymphæ videlicet ſtillicidio, aut vaſorum labe;

2. Vel componi poſſunt ex duabus ſimul illarum cauſarum, quod haud infrequenter earum affinitatis ergo accidere ſolet.

Tandem pro coronide addam ſæpe evenire, quod tamen difficillime decerni poteſt, lacticinoſum fluorem lymphatico copulari, quorum connubium fluorem gignit partim lymphaticum, partim lacticinoſum, ſeu melius dicam lacticinoſo-lymphaticum.

§. III.

§. III.

Explicatio differentiarum albi fluoris.

PRima *differentia*. Fluor albus vel aliquam, vel nullam menſium ſuppreſſionem comitem habet.

1. In albo fluore tunc menſes ſiſtunt, quando ille lacticinoſus ſit, uberrimus, & ſecundo vel tertio ordini cognatus; exinaniuntur enim vermicularia antequam propinquas venas comprimere valeant, ut ſanguis exprimatur qui catamenia producit; ſuppreſſio vero in lymphatico fluxu evenit, quando diuturnior ſit, abundans atque ægras laceſſat, ut inanitionis ſtatum inducat directe oppoſitum plenitudini ad menſtrua cienda neceſſariæ, denique in utroque caſu ſuppreſſio nunquam completa fit, niſi per varios prius diminutionis gradus tranſacta fuerit.

2. Abeſt menſium ſuppreſſio quando fluor hujuſmodi prioris ordinis tantum & lacticinoſus ſit, vel recens, lymphaticus: in primo caſu enim vermicularia niſi ſupervacaneum humorem effundant multum in iis reliquum ad menſes evocandos ſufficiens; in ſecundo vero caſu nondum languent ægræ ut impares evadant menſtrua parere, morbi tamen pertinacia interdum poſt ſucceſſivam diminutionem aberrant tandem catamenia.

Secunda differentia. Fluor albus vel continens, vel intermittens eſt.

1. Ille ſecundi, vel tertii ordinis, lacticinoſus plerumque, continens eſt, præſertim in tenuitate humoris, aut laxitudine orificiorum vermicularium, quæ ipſum continent, lymphaticus pariter perſiſtit poſitis vaſorum labe, aut ſciſſura.

2. Fluor contra prioris ordinis lacteus ſemper intermittens obſervatur quia vaſa exuberantem tantum humorem effundunt, verum hujuſmodi ſecundi etiam vel tertii ordinis intermittens apparet, quando modicæ humorum tenuitatis, atque vaſorum laxitudinis ergo nequeat lacticinoſus ſuccus niſi a magna redundantia ſibi pandere viam, quod per vices accidit; patet enim intermittentes fluores continentes fieri poſſe, & contra.

Tertia differentia. Albi fluoris continuum effluvium, aut variabile eſt, & incremento obnoxium, aut unum perſiſtit.

1. Quotieſcumque penitus lacteo humore non exinaniantur vermicularia, conſtans ille album effluvium augere valebit, reliquum vero novam congeriem laticis inducet, qui per intervalla proſiliet; lymphaticus pariter fluxus variat, imminuitur enim dum alio erumpit lympha, augetur dum regiminis vitio, aut exercitatione nimia omnis ad uterum tranſducitur.

2. Fluores albi lactei & continentes procul augmentum æque profluunt, ſi quantum laticis ad uterum affluit, tantundem erumpat vaſis prorſus exhauſtis: lymphatici denique uniformes ſunt, cum nulla adſit vitæ, regiminis, exercitii, evacuationum, aut ſex rerum non naturalium perverſio.

Quarta differentia. Fluoris albi utriuſque incrementum modo periodum ſervat, modo nullam.

1. Hujuſmodi periodicum augmentum oſtenditur quando lacteus ſit fluor, qui ex ſucceſſiva fiat lacticinoſi humoris congerie, ut menſtruorum leges æmuletur.

2. Illud vero incrementum a periodo aberrat in lymphatico fluxu, ſi accidentales tantum cauſas recognoſcat; quinimo in lacticinoſo aberrabit quando hujuſmodi cauſſæ validius agant.

Quinta differentia. Intermittentis fluoris regreſſus modo periodici ſunt, modo non;

1. Ii periodum ſervant, quando lacticinoſum intermittat effluvium, quoniam

regulares regreſſus pro cauſa agnoſcunt lactei humoris copiam, quæ vermicularia per æqua intervalla referari cogit, dum ſingulis menſibus laticis illius innovatur congeries; ideoque tunc, modo non officiant accidentales cauſæ, lacticinoſum fluxum paucis ante catamenia diebus reverti obſervabis, & idoneo tranſacto novæ congeſtionis tempore periodice renovari, augeri denique uſque dum ſanguis erumpat; imminuitur tandem ſenſim ſenſimque prout vermicularia evacuantur, imo prorſus deſinit uſque dum nova repletione redux fiat, niſi caſu fortuito aliqua obveniat cauſa, quæ periodum intercipiat.

2. Irregulares prodeunt regreſſus dum lymphaticus erumpit fluxus quia ab accidentalibus cauſis originem duxit. Vid. *Differentia tertia.* Quandoque lacticinoſi fluoris etiam obvertuntur periodi, ſi qua extranea cauſa ordinem pervertat.

Sexta differentia. Hujuſmodi fluores diverſimode colorantur, interdum albi fiunt, & lac, ſerum, aut aquam furfuris referunt, ſimplicem interdum aquam æmulantur, tandem flavi, lutei, aurei, aut citrei coloris conſpiciuntur, virides interdum, fuſci, vel rubicundi.

1. Albi prodeunt fluores lac, ſerumque æmulantes, quando lacticinoſi ſint, ac prioris, ſecundi, aut tertii ordinis, minime deturpato lacteo naturali colore.

2. Aquæ limpiditatem oſtendunt, ſi eos pura lympha producat.

3. Lutei apparent quando bilis admixtione plus minuſve denſæ, aut coloratæ inficiuntur, vel cruentis guttulis deturpantur; prioris phœnomeni ratio ſatis patet, alterum explicaturus exemplum propono, flavi in peripneumonia ſcreatus, cujus croceus color a ſanguine potius intimius remixto, quam a bile procedit.

4. Virides prodeunt, ſi ipſis addita bilis, poracea valde ſit, vel illi pure ſaturentur, quod pravum colorem ſuppeditent.

5. Loturam carnium æmulantur, vel roſeum colorem pro diverſa admixti ſanguinis copia, ejuſque intima copula.

Septima differentia. Identidem albi fluores inodori ſunt & acrimonia expertes, modo acerrimi, corrodentes, aut male olentes.

1. Acrimonia omni orbantur, modo lacteus ſuccus, aut lympha neque bilem, neve pus conjunctum habeat, illumque laticem purus ſanguis gignat in utero non moraturum.

2. Contra vero acres rodentes ſunt in triplici oppoſito caſu; quando humores deturpantur bile, aut pure, vel a ſalino acriminoſo ſanguine procedant, vel diu in utero morantes ibi facile rareſcant, aut putreſcant.

3. In ſimilibus tandem circumſtantiis ſcitum plerumque redolent.

§. IV.

Symptomata.

I. FLuoris albi effluvium ſanguinem depauperat, eoque magis quo uberius diutinum, atque vetuſtius erit, ex quibus macies, pallor, in ratione magnitudinis, aut pertinaciæ morbi naſcuntur.

II. Prout ſanguis imminuitur, fibræ laxantur muſculares exinanitis, quæ per eas reptant, vaſculis, tum animalibus ſpiritibus deficientibus, quos minori copia tunc cerebrum ſecernit, quod vires proſtat atque appetitum lædit.

III. Imminuto cruoris volumine minorem ſuppeditant ſalivam parotides atque ceteræ faucium glandulæ, ejuſque labefactatur actio; exigua vero ad papillas nerveas affluentium ſpirituum copia illas inertes reddit, ſenſumque delet, quare inappetentia, atque guſtus depravatio erunt ſuperventura.

IV. Iiſdem de cauſis gaſtrico ſucco deficiente ventriculi fibræ robur amittent

tent ſpirituum inopiæ ergo, quare alimentorum ſubactio ſegnis, atque incompleta fiet.

V. Albus fluor electam demit chyli, atque lymphæ partem, quæ ſanguinem refocillare deberet, ideoque ab inopi, atque feroſo chylo *cachexia* facile procedet.

VI. Eædem cauſæ, quæ ceteros muſculos debilitant, cordis contractiones imminuunt, *vid num.* II. Sanguis enim infirmiori cordis vi impulſus ſegniter ad extremitates corporis affluet, ſegnius etiam ad ſecretoria organa, quæ ab extremis arteriarum originem ducunt, at hi humores ab imperfecto chylo orti cum denſiores evadant, in propriis receptaculis ſtagnare, atque magis inſpiſſari debent, quod plerumque viſcerum infartus, tum glandularum lymphaticarum obſtructiones producit.

VII. Viſcerum infartus, atque obſtructiones modo grandiores ſint, ſanguinis curſum intercipient, glandulæ vero obſtrictæ lymphæ greſſum impedient, priori enim de cauſa lympha in vaſis retenta uberius in lymphaticas hinc natas venas tranſire debet, altera de cauſa illuc tranſducta lympha difficillime ad ſanguinem revehi poterit, utraque demum de cauſa ſeroſa cruoris lympha pro diverſo corporis poſitu in diverſis partibus cumulabitur, artus itaque infarciri videbis ſtantibus, vel ſedentibus ægris, faciem vero oculos, palpebras iis decumbentibus.

VIII. Deleteria indoles chyli, quem primæ viæ ſuppeditant, atque depravati humores quos obſtructa viſcera ſecernunt, ſanguinem ſenſim ſenſimque deturpare debent, eique tandem acrimoniæ vitium communicare, ut tandem ſeroſa nata cachexia acrimonioſa, aut muriatica fiat.

IX. Quamobrem fluores omnes hujuſmodi, etiamſi prius mitiorem indolem præſeferant, acriores facti, & corrodentes vaginam tandem, pudenda præſertim excoriabunt, atque ulceribus deturpabunt.

X. Simili ratione ii mitiores fluores cum deteriores fiant, uteri internam ſuperficiem laceſſunt, atque phlogoſim inducunt plus minuſve infenſam, atque dolentem: uteri proinde dolor ac tenſio naſcentur, tum lumbi, renes, inguina, atque pubes dolebunt pro diverſitate partis affectæ.

XI. Superallata ſymptomata n. IX & X. eo graviora ſupervenient prout acrioris, & perverſæ indolis fluores erumpent; verum billioſo magis ægrotantes temperamento donatæ ſint, aut incongruum ducant vitæ regimen.

XXII. In his circumſtantiis cruoris vitium quotidie auctum; purulenta humorum conditio, quæ uterum deturpat, & ipſum ſanguinem; continentes uteri dolores; parvus chylus, quem primæ viæ præſtant, lentam febrem tandem excitabunt, exacerbationibus obnoxiam modicam primum, quæ tamen in diem increſcens morbum intendere potis erit.

XIII. Illa mechanica cauſa, quæ veſicam in ictu contrahit, uterum una conſtringit ideoque ibi affluentes lacteus, atque lymphaticus humores uno, eodemque tempore cum lotio ſimul foras erumpere decernes, eorum miſcella prius in uretra peracta, quapropter in mulieribus albo fluore correptis urinæ ſpiſſæ conſpiciuntur denſæ & filamentis aut floſculis purulentis fœdatæ, eoque magis quo fluor uberior, lacticinoſus, aut purulentus fuerat.

XIV. Floribus albis obnoxiæ mulieres ſteriles plerumque evadunt; ſi vero concipient, vel immaturos fœtus edunt, vel languidos aut imbecilles pariunt; at cum noſci oporteat conditiones conceptioni, geſtationi, atque embryonis nutritioni neceſſarias, itaque ad *Lib. III.* lectorem mittimus, ubi hæc fuſius pertractabimus.

XV. Eadem de cauſa *Lib. II.* pervolvite, ubi de ulceribus, hydrope, atque uteri deſcenſu locuturi erimus, quæ a fluoribus albis naſcuntur.

§. V.

Diagnoſis.

MUlieres haud infrequenter verentur morbum fateri, ut in ſummo morbi progreſſu tantum auxilium poſcunt, imo quandoque plures circumſtantias prætermittunt, quæ melius indolem, ſpeciem, atque cauſam ægritudinis oſtenderent.

Idcirco haud facile certiores fieri poſſumus ipſas albo fluore laborare; mox, poſtquam diu in eas inquiſiverimus, teſtantur, albo fluxu fœdari ſeroſo, atque uberrimo citra calorem, aut urentem dolorem, eumque neque urinæ ardorem comitari, neque veneris uſum implicare, verum circa menſes augeri trans imminui, modo periodice reverti, modo non; interdum continentem variationibus quamplurimis obnoxium apparere.

Nihilo tamen minus crebro confunduntur hujuſmodi fluxus cum ceteris fluoribus, qui ex eodem fonte proſiliunt, etiam diverſam naturam & cauſam agnoſcant: hujuſmodi ſunt, qui ex uteri ulcere, gonorrhœa benigna, aut virulenta procedunt, quos diſtinguere neceſſariiſſimum eſt.

I. Nobis invicem veniunt diſtinguenda hujuſmodi effluvia, *vel* quando albi fluores recentiores ſunt, *vel* vetuſtiores.

In *priori* caſu id eſt facilius; nam

1. Recentis fluxus latex nihil purulenti habet, pure tamen deturpatur, quod ulcus gignit.

2. Recens fluor odore, & acrimonia expers eſt, aut parum vitiatur, purulentus vero aceſcit, atque ferum redolet.

3. In illo parum, vel nihil caloris, aut doloris adeſt, attamen calet vehementer, atque dolet uterus in purulento fluxu.

4. Verum in albo recenti fluore febris abeſt, excitatur tamen plerumque dum ille pure inficitur.

5. Tandem purulentum fluxum præcedunt inflammationis acceſſus, aut ulceris indicia, minime vero nuperrimum.

In *altero* caſu fluores vetuſtiores eadem ſigna prænuntiant, quamvis diagnoſis difficilior evadat; plerumque enim accidit in his febrem lentam, dolorem, aut calorem adeſſe, verum fluentem laticem fœtidum, acrem, atque purulentum, aut puri affinem eſſe, quinimo vetuſtiores fluores ſigna omnia compleétuntur, quæ purulentum fluxum reſpiciunt, quare fruſtraneum videtur hunc a veteri fluxu diſtinguere, præſertim cum experti ſimus diuturniores albos fluores, & antiquos in cacheticis ſubjectis potiſſimum, etiamſi diverſo gradu, & ſpatio purulentos tandem fieri.

Interdum diſtingui debent albi fluores a gonorrhœa benigna, quæ tres caſus complectitur: quando recens eſt; quando antiqua in gonorrhœam degenerans virulentam, & continentem, vel tandem quando albo fluore copulatur, præcedat, aut ſuccedat.

In *priori* caſu dum recens eſt, ac proinde inflammationem comitem habet, gonorrhœa benigna facile innoteſcit.

1. Albus fluor nedum calet, ipſa tamen caleſcit.

2. In eo neque vagina, neque vulva inflammantur, in illa alterutra inflammatione læditur.

3. Dein albo fluore correptæ mulieres procul dolore virum cognoſcunt, minime vero, quæ benigna gonorrhœa vexantur.

4. In

4. In illo tandem fluore circa lumbos de dolore conqueruntur ægræ plus, minuſve intenſo, minime tamen in gonorrhœa benigna.

In *ſecundo* caſu quando benigna ſyphillis in gonorrhœam perſiſtentem degenerat, haud facilis erit diagnoſis, modo ſubſequentibus ſignis non innoteſcat.

1. Tunc catameniorum eruptio perſiſtit gonorrhœa nondum decreſcente, verum fluores ſiſtunt, aut imminuuntur menſtruo deſinente.

2. Gonorrhœam continentem præcedunt ſyphillidis benignæ, recentis ſigna pathognomonica, atque inflammatio, quæ omnia abſunt in albo fluxu.

3. Demum gonorrhœæ effluvium modicum apparet, uberrimum tamen in albo fluore.

4. Gonorrhœa tamen coitu communicatur, fluores vero albi viro innocui ſunt, aut leves excoriationes tantum pariunt.

In *poſtremo* caſu, in connubio, nempe benignæ ſyphillidis cum albo fluore, vel 1. gonorrhœa albo fluori ſuccedit, & tunc facile erit, antequam ſupervenîant, unum ab altero per propria ſigna initio hujuſce Articuli enunciata diſtinguere, verum gonorrhœa illa deſignabitur urinæ ardore, calore, phlogoſi, atque partis inflammatione, tum dolore in actu venereo.

2. Si denique fluor gonorrhœæ ſuccedat, quod tamen raro evenire ſolet. tunc perquam facillimum erit primum ſyphillidem noſci benignam, verum propriis pathognomonicis ſignis natum fluorem detegere.

III. Signa adhuc expoſita ſufficerent, ut diſtingueremus album fluxum a gonorrhœa benigna continenti, aut virulenta, ſi ægrotantium hiſtoriis fidendum eſſet, at ægras quandoque levioris caloris ergo ſyphillis latet, interdum ea ſymptomata quamvis vehementiora inſcitiæ ergo animadvertere neſciunt, vel ipſa parvi faciunt, ut ſæpiſſime ſub ſilentio prætereant, quæ in diem eveniunt, aut accidere obſervent, ne fluxus mutationibus detectis proprii errores detegantur; in iis caſibus ne in maxima verſemur incertitudine, in qua ignorantia, aut fraus illarum nos impellerent, verum conſpiciamus fluxus indolem de quo conqueruntur, gonorrhœæ itaque, aut albo fluori ipſum referre debeamus, oportebit.

1. Fluxum humorem pendere qui plerumque parum ponderat in continenti gonorrhœa, maxime in albo fluore, iſque uberrimus erumpit, at fateri fas erit ſi modicus ſit gonorrhœam tutorum deſignare; nam albi fluores interdum erumpunt qui ſyphillide parum uberiores ſunt.

2. In hoc poſtremo caſu ægras obſtetricare oportebit, ut triplicem ſedem benignæ ſyphillidis, ac proinde continentis gonorrhœæ inveſtigemus. 1. Proſtratæ ſe oſtendunt, ex quibus virus ſtillat ſupremum verſus vulvæ partem per orificia lacunarum Graffi ad latera uretræ locatæ: 2. Glandulæ vero Covuperianæ ſe prodeunt interna vulvæ parte ſitæ perineum verſus, aut circa hoſtium vaginæ, ex quibus gonorrhœa circa anum, aut limen vulvæ fluit: 3. Glandulæ tandem vaginæ, quæ virus in ipſo vaginæ ductu fundunt per vulvam erumpens.

In eo duplici caſu ſi ægrotantium inſpectione certiores fieri volumus ſyphillidem adeſſe, materiam ex lacunis, aut glandulis Covuperi exire obſervabimus, denique ipſam ſuperius, inferius, aut interius vagina cumulari; contra vero aſſerere poſſumus fluore albo tantum laborare mulieres quando extremitates eorum canalium minime læſæ, aut pure fœdatæ apparent.

3. Verumtamen in poſtremo caſu difficillimum erit fluorem album à vaginæ ſyphillide diſtinguere, cum hæc æque ac illæ a vaginæ fundo proſiliant, quare reliquum erit ægras expendere, aut conjuges, qui ſi ſuſpicionis cauſam præbeant, remedia antivenerea erunt exhibenda, quæ albo fluori æque idonea ſunt, vel ſaltem innocua: hujuſmodi praxis cito veritatem oſtendet, verum gonorrhœa hac methodo penitus aberrabit, fluor perſiſtet, at ſi incomplete a morbo convaleſcant ægræ, gonorrhœam fluore albo copulari fateberis.

IV. Ne-

IV. Nedum implicaremur ſi haberemus circa id quoddam pathognomonicum ſignum, ut plures (*a*) Medici prædicarunt; quod ſyphillidem a fluore albo perbelle diſtingueret, ſi iis fidendum eſſet, ſufficeret in ægras inquirere an fluor menſibus fluentibus perſiſtat nec ne; in primo caſu ſemper ſyphillidem adeſſe, in altero tantum album fluorem teſtantur.

Supervacaneum enim cenſuimus hic auctorum loca exhibere, qui id pro certo habuerunt, iiſque nomine ſubtus indicatis vobis ipſos pelvolvere relinquo, verba tantum Baglivi (*b*) referre licebit, qui ſola ſui auctoritate hujuſmodi indicii certitudinem jactat, at ejuſdem exemplum tyrones potius admonebit ne Auctoris effatis nimis fidant, cui in ancipiti valde caſu mos erat definire.

Fluor albus uterinus, ait, gonorrhœa gallica adeo ſimilibus comitantur ſymptomatis, ut quiſque medicorum fere ſemper decipiatur in illorum diagnoſi, præſertim cum mulierculæ verecundia perfuſæ gonorrhœam per impurum ſcortum contractam fluoribus uterinis mentianuur; ne ſuccedant impoſterum hæc incomoda dabo ſignum infallibile tales morbos ad invicem diſtinguendi. Pete a muliere an ſuperveniente menſtruo ſanguinis fluxu perſeveret quoque eodem tempore fluor ille albæ materiæ, ſi dicat, quod ſic, ſignificato eidem quod morbus a quo divexatur, ſit gonorrhœa gallica, ſi vero durante menſtruacione fluor albus evaneſcat, & eadem finita denuo regrediatur, pro certo habeas mulierem fluore uterino laborare: cetera ſigna fallunt, hoc vero conſtans eſt, & mulierum dolum aperte deludit.

At Baglivi pace, qui hanc ſententiam ſtrenue defendit, nullum eſt eo magis erroneum ſignum, nam 1. Albi fluoris eruptio necdum deſiſtit catameniis fluentibus, etiamſi nos lateat cruoris ergo quo permiſcetur; 2. Idem accidere ſolet in ſyphillide, quæ ex glandulis intimioribus vaginæ prodit, ut ex ſanguinis adinixtione impoſſibile ſit hoc inutile ſignum diſtinguere. 3. Addo tandem fruſtraneum eſſe, & incertum in eo gonorrhœa, quam glandulæ covupeperianæ, aut proſtatæ faciunt; nam menſtrua tunc totum cruore vulvæ ambitum inficiunt, ut fluxum laticis illius conſpici impediant.

V. Demum quid intereſſet hujus morbi diagnoſim perſcrutari, ſi cum Pitcarnio prorſus inutilis evaderet, ſupervacaneum enim ipſe docuit eſſe ſyphillidem a fluore albo diſtinguere, cum utrumque antivenerea poſtulet remedia. *Non opus eſt*, (*c*) ait, *diſtinguere inter fluorem muliebrem gallicum, & non gallicum, cum raro (ſerus ac in viris) poſſit fluor albus tolli, etiamſi virulentus non ſit, niſi remediis lui gallicæ propriis.*

Ea de cauſa Pitcarnius album fluorem ſæpiſſime Mercurio dulci, Cinnabari, Guajaco, & Sarſa-parilla curavit, at ea methodus erronea eſt, & praxis nocua experitur; ratio ſatis confirmat pauperum uſuvenire remedia antivenerea in morbo ea lue prorſus experte, quod experientia pariter fulcitur.

Diagnoſis ſperierum. Semel detecto morbo ſpecies diſtinguere neceſſe erit, cui linteola fluxu madida valde favent, ſi ea ſedulo inſpexerimus.

I. Fluor prorſus lacticinoſus erit ſi fluxa materies denſa, ac ponderoſa apparuerit, atque linteo concreſcens ipſum minime penetraverit, verum ad primum, ſecundum, aut tertium lacticinioſi humoris ordinem pertinet, prout ille plus minuſve albus apparebit, aut aquam furfuris referat.

Lymphaticus erit modo parum, vel nihil pendeat, feroſus ſit, atque eo facile linteum imbuatur.

II. Lin-

(*a*) Joannes Fernelius, *Patholog. Lib. VI. cap. 16.* Jo: Liebault, *De la ſantè, fecondite & maladies des femme. Lib. II. cap. 86.* Ludovicus Mercatus, *De affection. Mulier. Lib. I. cap. 15.* Rodericus a Caſtro, *De Morbi. Mulierum. Lib. I. cap. 14.* Lazare Pe, *Maladies des Femme, Lib. II. c. 35.* Jacobus Primeroſius, *de Morbis Mulierum.* Franc. Mauricean, *Malad. des Femmes groſſes. Traitè Anatomique des Parties des Femmes qui ſervent à la generation, cap. 6.* Gualtherus Charleton, *De Cauſis Catameniorum & uteri Rheumatiſmo, cap. 8.* Petrus Freſart, *Emmolog, cap. 12.*

(*b*) *Praxeos, Lib. II. cap. 8. Art. 3.* (*c*) *Elementor. Medicin. Cap. 27.*

II. Linteola illa denique obſervando innoteſcet cito, an fluor albus, luteus, viridis, aut ruber erumpat, tum ipſa odorem, atque deleteriam, vel benignam morbi indolem oſtendent.

III. Ægræ vero ipſæ nos admonere poterunt quo fluxus acrimoniæ gradu polleat, ſi carnes excoriat, vel alias lædat, aut ſi iis ſit phœnomenis expers.

IV. Ipſæ tandem animadvertere valebunt, ſi fluor intermittat, aut perſiſtat, ſi intermiſſio periodica ſit, nec ne, ſi perſiſtentia ejuſdem variet, aut aberrationes ullam periodum ſervent.

Diagnoſis cauſarum. Hæc tertium reſpicit diagnoſticæ articulum, cauſaſque reſpicit pro diverſis albi fluoris ſpeciebus prorſus diverſas.

I. Si fluor lacteus proſiliat, lac, ſerum, aut aquam furfuris referens redundantiæ lacticinoſi humoris tantum tribuitur; hujuſmodi effuſio generice pro cauſa agnoſcit copiam, ac fluiditatem humoris illius, tum vaſorum laxitudinem, quæ in ſingulis ſpecialibus circumſtantiis variare ſolent, ideoque.

1. Quando lacticinoſus humor ſpiſſus, albus, lacte haud abſimilis circa menſes erumpit, a ſola ipſe copia procedit, præſertim ſi patientes obeſæ ſint, multum comedant, parum ſe exerceant, vel lac cito nimis poſt altum fœtum fugaverint.

2. Si humor ille valde dilutus ſit, ſerum referat, continenter effluat, id ubertati, atque tenuitati laticis illius tribuendum videtur, etiamſi laxitudo interdum orificiorum vermicularium id parere valeat.

3. Fluorem mucilagineum, qui aquam ex furfure coctam æmulatur prope menſtrua fluentem nimia gignit humoris liquiditas, vel ſimul vermicularium laxitas.

4. Quando poſtremus hujuſmodi latex continens eſt, a nimia tantum humoris fluiditate, aut laxitudine dependet vaſorum, quibus congeritur.

II. Lymphaticum albi fluoris effluvium proſilienti lymphæ tribuitur, quæ per poros tunicarum exit turgentium vaſculorum, aut per eorum ſciſſuras erumpit a morbi generaliori cauſa productas, quare.

1. Si ægræ uteri deſcenſu laborent tuberculis, obſtructionibus, ſcirrho, vel cancro tum glanduloſa lymphæ reducis receptacula in ipſis obſtructa ſcirrhoſa, aut dura reperiantur &c. quæ omnia tamen recentiſſima ſint, albus fluor ſimplici lymphæ per tunicarum hiatus madori tribuendus videtur, præſertim ſi parcius erumpat.

2. Contra vero, modo certiores fieri poſſimus, hujuſmodi cauſas, vel aliquam earum vetuſtiorem originem agnoſcere, aut pertinaciorem ſuſpicari licebit, vaſa diu, aut nimis repleta jam abraſa fuiſſe, ac tunc eruptionem ab effuſione procedere, præſertim cum uberrima appareat.

3. Nullum ſupereſt circa vaſorum læſionem dubium, verum ab humoris effuſione fluorem pendere, quando aliunde cognoſcamus intimam uteri tunicam diſtractam fuiſſe, eroſam, aut ulcere fœdatam.

III. Tandem a quacumque albi fluores cauſa procedant, eorum color, odor, acrimonia ſatis internam uteri conditionem oſtendunt.

1, Etenim cum humor & lacteo, aut lymphatico genere albus, inodorus, dilutus, aut inſipidus proſiliat, uterum nulla tunc fateberis continui ſolutione lædi, vel ſi qua adſit, nuperrimam eſſe, nondum refertam.

2. Contra luteus, viridis, aut cruentus hujuſmodi humor indicat acrem etiam, & corrodentem eſſe, verum aliquam dari ſciſſuram, vetuſtiorem imo, ſi pus, aut ulcus gignat.

3. Tandem prout magis vitiatur fluens hujuſmodi liquor, eo pejus olet, acer evadit, atque uteri ulcus profundum, pertinax, & periculoſum magis creat.

§. VI.

§. VI.

Prognoſis.

I. **G**Enerice. 1. Albus fluor moleſtiſſimus morbus eſt, qui mulieres coitui, aut conjugis blanditiis impares reddit.

2. Periculoſus experitur teterrimorum ſymptomatum ergo, quæ ipſe parit; qualia ſunt ſterilitas, languor, cachexia, macies, innapetentia, obſtructio, œdema, deſcenſus demum, atque uteri ulcus.

3. Hic morbus diutinus plerumque, atque pertinax eſt, cui difficillime medemur, præſertim in male-affectis, ac cacheticis ſubjectis, quorum ſanguis deturpatur, ac, modo uterus imbecillis ſit eroſus, aut obſtructus, niſi cum vita abit.

4. Albus fluor neque incommodus, neque periculoſus, aut curatu difficillimus evadit, modo copioſus nimis, aut continens non erumpat, eique facile medetur, præſertim ſi modicus ſit, & per longa intervalla recurrat.

5. Raro tandem ipſe mortem infert, etiamſi continens, aut uberrimus ſit, modo tamen hydropem, ethicam febrem, ulcus, ſyrrhum, aut uteri cancrum non inducat.

II. Specialiter. 1. Fluores lacticinoſi minus infenſi ſunt, atque lymphaticis facilius curantur, cum ii nullum conjunctum habeant uteri vitium, ad vaſorum laſſitudinem tantum, cui mederi facile quit, lymphatici contra obſtaculis intenduntur in utero obviis, quæ lymphæ curſum intercipiunt, quibus haud facile eſt auxilium ferre, aut ulceribus originem debent, quæ difficillime agglutinantur.

2. Inter lacticinoſos fluxus, qui ſimplex eſt, prorſus lacteus ceteris facilius convaleſcit quia nullum organi vitium adeſt; proſequitur pſeudolacteus, quem producit plerumque humoris illius tenuitas nimia, quæ tamen facile corrigi poterit; tertius mucilagineus venit ab aqua furfuris non diſſimilis, qui præter nimiam fluiditatem laſſitatem ſupponit vaſorum uteri lacteorum.

3. Qualemcumque indolem præſeferant albi fluores, eorum facilius curantur, qui aliquam intermiſſionem oſtendunt, difficilius continentes; in illis enim vel abeſt, vel minima eſt vaſorum imbecillitas; non ita vero in his, in quibus continenter perſiſtit.

4. Quo enim diuturniores intermiſſiones erunt, & breve effluvium, eo facilius morbus aberrabit; contra vero continentes fluores, & uberrimi remediorum virtutem eludunt.

5. Lymphaticorum fluorum reſpectu qui ab exuberanti lympha naſcuntur, per vaſorum hiatus invite erumpenti, iis mitiores ſunt, & citius evaneſcunt, quam ſi ab eroſione eorum vaſorum procedant, nam in hoc poſtremo caſu continui ſolutio, etiamſi leviſſima, valde moleſta obſervatur.

6. At a quavis deſumantur ſpecie lymphatici fluores, eo periculoſiores evadunt, quo uberiores ſunt, & incrementis obnoxii crebrioribus, & diuturnioribus; evidens enim eſt, tunc cauſas producentes, vel generaliores eſſe, & totum uterum reſpicere, vel graviores, ſaltem ſi partem aliquam tantum offendant.

III. Ceteris paribus. 1. Albus fluor, acer, corrodens, fœtens magis teterrimus erit, atque pertinacior, quam ſi ipſe odore, aut acrimonia careat, ille enim proximum ulcus minatur, aut ipſum ſupponit.

2. Flavum hujuſmodi effluvium, viride, aut cruentum pertinax eſt, aut inſenſum magis, quam albicans, cum illud acrius ſit, magiſque corroſivum.

3. Mitior erit recens quam vetus fluxus, cum in eo liceat ſuſpicari uteri internam faciem diu ſciſſuris lædi.

4. Hu-

4. Hujuſmodi humoris jacturæ, quæ matricis dolorem comitem habent, iis deteriores evadunt, quæ dolore ſunt expertes, dolor enim inflammationem, ulcus, aut futurum cancrum indicat, cujus ſuſpicio abeſt in uteri fluore indolente.

5. Juvenes mulieres pleſumque facilius convaleſcunt, quam ætate conſiſtentes, cum eæ dulciori donatæ ſunt humorum craſi, fibrarumque robur, uteri præſertim adhuc conſervent, vel facile recuperent, iſtæ vero acriori ſanguine polleant, ut uteri laxitudo difficilius corrigi valeat.

IV. Prorſus incurabiles eſſe experti ſumus. 2. Veteres albos fluxus in mulieribus præſertim, quæ graciles ſunt, ætate conſiſtunt, aut cachexia cruciantur.

2. Eoſque fluores, quos ſcirrhus, ulcus, aut cancer gignunt, aut in eorum alterutrum ipſos degeneraſſe cognovimus.

3. Quos dolores uteri lancinantes comitantur, cum ii præſens, aut proximum indicent uteri carcinoma.

4. Quos tandem lentam febrem, maraſmum, anaſarcam, aut inſanabilem hydropem parere poſſe videmus.

V. In ſingulis iis caſibus, 1. Albi fluoris eruptionem necdum ſiſtere fas erit, niſi prius ægras idoneis remediis præparemus, quæ inquinamenta humorum eliminent, cruoremque demulceant, optimamque digeſtionem reſtituant.

2. Verum excepto ſimplici lacteo fluore, qui a ſola redundantia procedit, non ſunt fluores ii repente cohibendi, ne partem ipſi nobiliorem invadant.

3. Iis denique mederi nefas erit, etiamſi id ſperare liceret, ſi ipſi vetuſtiores ſint, vel male affectas, cacheticas, ætate conſiſtentes mulieres vexent, ne in pejus incidant; at ſat erit palliativa methodo incedere.

4. In ceteris laborioſis caſibus eamdem medendi rationem proſecuturi erimus multum obtinentes, ſi interdum ægræ facilius morbum patiantur.

§. XVII.

Curatio.

Cum duplex ſit fluoris ſpecies: altera lacticinoſi, lymphatici altera, quæ duplicem ægritudinem conſtituit, duplicem pariter, atque diverſam medelam poſtulabit, quam ſejunctim pertractabimus, addita utriuſque palliativa medendi methodo eradicativa non obtineatur, vel ægrotantium vires ipſam innui renuant.

Curatio fluoris albi lactei.

Tres cauſæ lacteum fluorem faciunt, lacticinoſi humoris ubertas. tenuitas nimia, aut lacteorum vaſorum laxitudo.

I. Si lacteus liquor tantum copia peccet, ut propria vaſa infarciat nimis, eorumque orificia citius quam par eſt aperiri cogat; tunc ſubſequentia opportuniſſima erunt auxilia, &

1. Idoneum vitæ regimen præſcribere, uberiores cibos, & ſucculentos, aut nutrientes nimis interdicere, verum ægras monere, ut crebro ſe exerceant, neve diu lectulo quieſcant, potiſſimum videtur.

2. Venæ ſectiones utiliſſimæ evadunt, utpote quæ ſanguinis, ceterorumque humorum volumen imminuant, brachium præſertim ſecando, ut cruor ab utero revehatur.

3. Ægras purgare convenit, ut deorſum tendat exuberans chylus, atque una per lotium aut ſudorem eliminentur, qui in ſanguine ſupereſſent, deleterii humores.

4. Eadem de cauſa vomitum excitare interdum fas erit, modo ægrotantium conſtitutio, aut ventriculi, vel pulmonis conditiones non obſint.

5. Cli-

5. Clyſteria quotidie ex decoctionibus radicis Ariſtolochiæ, foliorum Artemiſiæ, Mercurialis, Cammamelli, Mellilotti, Matricariæ &c. utiliſſima ſunt, quibus addi poterit uncia una olei Aniſorum, aut Lauri, ut carminativa fiant, vel ſi ipſa cathartica volueris, pulpa caſſiæ addi oportebit, aut tamarindorum, vel foliorum Sennæ duplex drachma.

6. Tandem ſi morbus perſiſtat, diuretica, aut diaphoretica præſcribi poterunt, quæ per urinam, aut ſudorem exuberantem lacticinoſum humorem expellant, vel ſaltem ſolventia, & aperientia uſuvenient, quæ hujuſmodi laticem attenuando valeat ipſa uteri vermicularia tranſabire, atque in venas lymphaticas irrumpere, quæ ibi originem habent, vulgarem lymphæ circuitum hinc proſecuturus.

II. Si lacteus humor fluidior ſit, ut ſenſim ſenſimque per orificia vaſorum effugiat citra morboſam eorum laxitudinem, potiſſimum erit ipſum ſubſequentibus remediis inſpiſſare, quare opportuniſſima erunt.

1. Alimenta nutrientia, incraſſantia, ut furfuricula, cremor oryzorum, ferculum, furfur &c. lacte amigdalarum cocta.

2. Lac aſininum bis, aut ſemel quotidie, aut vaccinum mane, & veſpere, aut pro integro alimento ſumptum, modo ventriculus ſinat, optimum cenſetur.

3. Ptiſanarum uſus, earum tamen quæ valeant ſanguinis moleculas condenſare, qualis eſt ptiſana Biſmalvæ, Nympheæ, aut Symphiti radicis &c. utilis evadit.

4. Verum modicus narcoticorum uſus, ut ægræ facile ſomnium capiant, quod valde conducit, ad cruorem, ceteroſque humores inſpiſſandos.

5. Abſorbentium, aut adſtringentium uſus prodeſt, de quibus infra *Articulo ſequenti* locuturi erimus, inter eos tamen mitiora, minuſque ſtiptica ſeligendo.

III. Si orificia vaſorum lacteorum pateſcant nimis, ut lacteum humorem non valeant retinere eo affluentem, robur ipſis reſtituere neceſſe erit ea conſtipando, roborando, aut conſtringendo ſubſequentibus auxiliis adhibitis.

Quare *primum* ut elaterium vaſorum reſtituamus, conveniunt.

1. Balnea, & hypocauſta aquarum thermalium, bituminoſarum, aut ſulphurearum.

2. Circa renes, aquarum earum, lumbos, aut os ſacrum effuſio, quæ plus minuſve reiteratur pro diverſis aquarum proprietatibus.

3. Injectiones ex iiſdem aquis, aut ſuffumigia per idoneum inſtrumentum utero intromiſſa.

4. Earumdem aquarum internus uſus ea doſi, atque diuturnitate præſcribitur, quæ qualitatibus, & effectibus magis convenire videntur.

5. Sudorifera, qualia ſunt viperarum decocta decem, quindecim, aut viginti dies continuata, aut ptiſanæ, vel decoctiones ex guajaco, ſaxaphras, china radice, aut ſalſa-parilla confectæ per totidem, & ultra commode uſuveniunt.

6. Diuretica, decoctiones videlicet, aut ptiſanæ ex radicibus Apii, Eringii, Anonidis &c. cui addi poterunt mille-pedes, Arcanum duplicatum, uſque dum morbus requirat, opportuna videntur.

7. Speciatim vero decoctio Aſari, aut Apii, quam magnopere Galenus (*a*) commendavit, cum Boetii uxorem diu albo fluore correptam ſanaret; inter diuretica recenſetur, neque inutiliter fortaſſis.

Ut *ſecundam* indicationem impleamus, videlicet arctandi orificia vaſorum lacteorum, vel vulneraria leviter adſtringentia adhiberi poterunt, quæ ſenſim, ſenſimque ipſa conſtringant, vel validiora adſtringentia, quæ penitus illa arctent.

1. Vulneraria, leviter ſimul adſtringentia ſunt,

Ra-

(*a*) Lib. *de Præcognit. ad Poſthumum. cap.* 8.

Radices.

Sigillum Beatæ Mariæ Symphitum	in ptiſ. vel decoct. ab ℥ß ad ℥j.

Folia

Bugola * Sanicula * Bellis flore albo Mentha Salvia * Argentina * Alchimilla Virga aurea * Marrubium Calamintha * Pulegium Roſmarinus Pyrola * Sclarea vulgaris Nummularia	In ptiſana aut decoct. &c. a m. ß. ad m. j.

Succi

* Maſtix * Ladanum * Myrrha	ſ. p. a ℈ß ad ℈j. vel ℈jß.

Ligna

Lentiſcus Juniperus	in decoct. ad ℥j. in ſubſt. ſ. p. a ℈j. ad ℈ij.

Balſama.

* Peruvianum ſiccum, vel liquidum Tolutanum * Copaiba * Canadenſe	ad gutt. iv. ad x. cum ſaccharo ſimul aut duplici ſyrupi cochleare.
* Terebinthina	a ℈j. ad ʒß. cum ovi luteo.

2. Adſtringentia validiora ſunt.

VEGETABILIA.

Radices

* Biſtorta * Tormentilla * Filipendula Sigillum Salomonis Pimpinella Quinque Folium	In decoct. ab ℥j. ab ʒj.ß.

Folia

Plantago * Lamium, ſeu Galeopſis * Mille-folium * Herniaria * Burſa Paſtoris * Equiſetum Thalictrum	in decoct. a m. ß. ad m. ij. ſuccus depuratus ad ℥ij.

Flores

* Balauſta * Roſæ rubræ noſtrates Bedeguar	in decoct. ad ℥ß; In ſubſt. ſ. p. ad ℈ij.

Fructus

Glandes cum capſulis * Gallæ * Semina coriaria Dactylorum nuclei Capſulæ Coryllorum	Doſis antecedentium

Succi

* Sanguis Dracronis * Maſtix Acacia vera * Catechu	in ſubſt. ſ. p. a ℈ß. ad ʒß. in decoct. duplum.

Ligna, & Cortices.

Santala Suber combuſtum	in decoct. ad ℥. j. in ſubſt. ſ. p. a ℈ß. ad ℈j.

ANI-

ANIMALIA.

* Os ſepiæ Teſta ovorum * Ebur pulv.	ſ. p. a ℈ß. ad ʒß.

MINERALIA.

* Coralia præparata * Succinum * Terra ſigillata Oſteocolla * Alumen rupeum	ſ. p. a ℈ß. ad ℈j.

Præparationes

Syrupus Granatorum Coraliorum Roſarum rubrarum Roſarum exſiccatarum Symphiti Urticæ	ad ℥j. vel ij.

Aquæ

Alkimillæ Argentinæ Mille-folii Urticæ mortuæ Foliorum quercus	Doſis antecedentium.

Eorum remediorum delectu, & congrua doſi prout ægrotantibus magis arridet ptiſanæ, apozemata, jura, potiones, julapia, boli, opiata, pulveres, rotulæ, parantur ut *Lib. I. cap.* IV. docuimus.

IV. Tandem ſi cauſæ lactei fluoris duæ invicem, vel tres ſimul copulentur, tunc remedia ſingularibus ſpeciebus idonea componi debent, ut medela morbi compoſitioni reſpondeat.

Curatio fluoris albi lymphatici.

Lymphatici fluores pro cauſa agnoſcunt vel lymphæ per vaſorum hiatus eruptionem, vel effuſionem ejuſdem propriis eroſis, aut conciſis vaſculis; ex *una* enim parte effugit lympha, quia ibi morans vaſa replet nimis, & illam exprimunt uteri deſcenſus, ganglia, tubercula, ſcirrhi, atque obſtructiones; ex *altera* vero parte lympha effunditur excoriationum ergo; quæ internam uteri faciem deturpant, ac proinde pleraque ibi reptantia lymphatica vaſcula; quare albo fluori lymphatico medenti tria veniunt perpendenda; 1. Uteri deſcenſus; 2. Obſtructiones, tubercula, ganglia, atque uteri ſcirrhus; 3. Sciſſuræ, excoriatio-

nes, atque eroſiones, tum internæ uteri ſuperficiei, cum lymphaticorum, quæ per eam diſtribuuntur.

I. Quando albi fluores lymphatici ſunt uteri deſcenſus cauſa, remedia conveniunt adverſus hunc morbum *Lib. II. Cap.* X. indicata; interim peſſarium circulare adhibetur, quod uterum ſuſtineat, haud infrequenter enim morbi vetuſtate eradicativa curatione incaſſum tentata ad nocuos effectus imminuendos, novoſque teterrimos impediendos peſſarium geſtare continenter conatæ erunt.

II. Si hujuſmodi morbi ſpecies ab obſtructionibus, tuberculis, gangliis, aut ſcirrho dependeat, utiliter exhibentur diluentia, & aperientia ſimul, vel ſejunctim prout morbi gradus, aut ægrarum conditio poſtulaverint; diluentia *ſequenti Articulo* oſtendam, ubi de palliativa medendi ratione diſſerturi erimus; aperientia vero, & ſolventia, de quibus jam *Cap. IV. & VIII.* verba fecimus, ubi de menſibus ſuppreſſis, hic uſitatiora proponam, ac inter

VEGETABILIA

1. *Radices*

* Rubia Tinctorum * Aſparagus * Eryngium * Anonis * Bruſcus	ab ʒ j. ad ℥ ij.
* Lapathum acutum	ab ℥ß. ad ℥j.

Folia

* Cichorea Silveſtris * Pimpinella * Ceterach * Agrimonia * Naſturtium aquaticum * Chærephyllum	a m. j. ad m. ij.

ANIMALIA.

* Mille-pedes.	num. xx. vel xxx.

Salia

* Sal admirabile Glauberi * Arcanum duplicatum	a ʒß. ad ʒj.

Ex quibus ptiſanæ, apozemata, jura patrantur, quæ congerunt proprietates, utilitateſque omnes ſimul diluentium, & ſolventium magis ad hoc delectis idoneis radicibus, foliis, aut ſalibus.

2. *Gummi, aut Reſinæ*

* Gummi Ammoniacum Opponax * Galbanum Sagapenum Bdellium	a gr. IV. ad X.

3. *Præparationes Martiales*

* Crocus Martis aperiens * Ærugo Ferri porphyriſata * Crocus Martis aqua paratus, ſeu Æthiops Martis * Sal Martis Riverii	a gr. xij. ad XXIV.
* Flores, ſeu ſpuma Martis	a gr. viij. ad xvj.

4. *Præparationes Mercuriales, quæ non purgant*

* Ætiops mineralis igne paratus	a gr. xv. ad xx.
* Cinnabaris artificialis	a gr. IV. ad viij.

5. ANIMALIA

Pulvis Aſellorum	a ℈j. ad ℈ij.

Ex his, duabus, vel tribus ſelectis pulveres, boli, opiata, aut pilulæ coagmentantur, quæ apozematibus ſuperius deſcriptis, aut decoctionibus conſociari poſſunt.

III. Quando fluores albi lymphatici a ſciſſuris procedant internæ uteri faciei, aut lymphaticorum per ea reptantium, agglutinantia ſtatim uſum habent, nutrientia, farinacea, aut vulneraria, quæ partes conſolident eroſas, aut cicatrizent conciſas.

1. Remedia agglutinantia ſunt

Radices

* Althææ * Symphyti majoris * Nymphæa	ad unciam

Folia

* Verbaſcum * Portulaca * Lactuca * Borago Cymbalaria	a m. j. ad ij.

Ex his pariter ptiſanæ, jura, apozemata conflantur, quibus addi poſſunt cornua cervi, ebur ad unciæ ſemis circiter doſim:

2. Nutrientia farinacea ſunt

Oryza
Juſculum ex furfuricula Hordei, aut Avenæ confectum
Hordeum pillatum
Furfur, vel furfuricula triticea
Vermiculi ex maſſa exculenti
Sagou †

Quibus primis curationis diebus aluntur ægræ, in poſterum uſuveniunt jura ex piſcibus, ranis, limacibus, teſtudinibus &c. paratis, modo interſit validius ſanguinem demulcere, aut incraſſare.

3. Succi concreti

Ladanum Hypociſtis Acacia * Sanguis Draconis	a gr. x. ad xx.

Gummi, aut Reſinæ.

* Gummi Arabicus * Tragacantha Karabe	a gr. xv. ad xxx.

Hi bolos præſtant, opiata, pilulas decoctionibus jungendas &c.

Vulneraria vero hic pariter idonea deſcripſimus jam ſuperius *pag.* 27. *& ſequentibus*, quæ recenſere ſupervacaneum judico.

IV. Tandem cum plures, vel omnes ſimul lymphatici fluoris ſpecies copulentur, etiam remedia diverſa ſimul jungi oportebit, ut de lactei fluoris medela admonuimus.

Curatio eorumdem palliativa.

Obſervavimus jam §. *VI. Art. IV. & V.* caſus, quos potius præterire, quam curare debemus, etiamſi valetudo eſſet ſperanda; palliativa ergo medendi ratio ſufficiet, ut morbi impetum compeſcamus, teterrimoſque effectus retardemus: qua de cauſa

1. Optimum vitæ regimen ægris præſcribi noſtrum erit, juſcula tantum, oryzam, ant ferculum ex furfuricula exhibendo, parum carnium elixarum, vel aſſatarum permittendo, minutalia aromatis parata interdicendo tum vini uſum, niſi parum ad ventriculi robur fulciendum requiratur.

2. Crebro ægras purgare lenientibus, caſſia videlicet, tamarindis, rhabarbaro, manna, vel ſyrupis pomorum, cichoreæ compoſitæ, aut florum perſicorum.

3. In-

† *Sagou* ex Indiis Orientalibus exportatur: medulla eſt Palmæ cujuſdam *Toda Panna* dictæ; arborem proceram per longum conſcindunt, & medullam ſeparant uberrimam, eamque conterunt in mortario donec in pultem redigant, vel ipſum aqua diluunt atque filtrant; ex ſedimento condenſato rotulæ efformantur, aut pulveres; hoc leviſſimum, atque edulcorantem cibum præſtat; paratur miſcella juris, aut lactis, pro libitu.

3. Interdum brachia ſecare opportunum videtur, ſi ægræ juvenes ſint, menſtruis laborent, pulſus turgeant, aut uterus, vel abdomen doleat.

4. Denique humectantia diu demulcentia, atque diluentia remedia continuo exhibere neceſſe erit, qualia ſunt.

Decocta Pulli, Vituli, Ranarum cum herbis refrigerantibus, Borragine, Lactuca, Petroſelino, Parietaria &c. in ſubjectis præſertim gracilibus, & emaciatis propinanda ſunt, in phlegmaticis nonnulla addendo cancra fluviatilia.

Apozemata ex radicibus Conſolidæ, Althææ, Oxalidis, foliis Lactucæ, Portulacæ, Verbaſci, quibus addi poterit pro ſingulis vicibus uncia, vel uncia & ſemis ſyrupi Violarum, Biſmalvæ, aut Symphiti radicis.

Serum depuratum, & chalybeatum, cum cochleare ſucci depurati Cherophyli, Lamii, Mille-folii, & uncia una aquæ ſecundæ calcis.

Lac Aſininum, aut Caprinum, ſemel vel bis in die ſumptum, aut Vaccinum pro integro alimento, modo ventriculus ferat.

Balnea, aut ſemibalnea tepentia, modo pectoris conditio uſum permittat.

Aquæ tandem minerales ferrugineæ, mitiores tamen, & modica copia hauſtæ, diu continuatæ, quales ſunt illæ de *Forges*, *Paſſy*, & *Spa*.

Inter ea remedia: decocta, apozemata, & ſerum hyeme magis conveniunt; vere lac & autumno; æſtivo tempore vero balnea, & aquæ thermales uſuveniunt, nihil officit tamen, quod ea modo occaſio urgeat, ceteris tempeſtatibus adhiberi queant.

5. Si opus requirat, leviora narcotica exhibentur, qualia ſunt decoctio capitum papaverum, tum ſyrupus diacodii, vel Karabis ad drachmas iij, vel iv. Ladanum liquidum ad guttas x. xij, aut xv., vel ſolidum ad granum j. Pilulæ denique Cynogloſſi Starkey ad gr. iv., vel v. aucta pro circumſtantiis doſi.

6. Pudendorum lotiones pluries in die reiteratæ proſunt, ex levioris decoctione radicis Althææ, aut foliorum Verbaſci, Cherophylli &c. cum pauxillo aquæ ſecundæ calcis, aut aquæ cujuſdam vulnerariæ non ſpirituoſæ; injectiones pariter ſemel ſaltem in die conducunt ex decoctione Althææ, Hordei, aut ſero depurato.

7. Interdicere oportet matrimonii uſum, quantum libido ſinat, tum exercitia nimia ambulationis, equitationis, aut rhedæ; vitam ſedentariam, aut quietem præcipiendo.

8. Ægris denique ſuadere, quod brachiis cauteria apponere non renuant, præſertim ſi phlegmatico, & pituitoſo donentur temperamento, cachexia laborent, aut ætate conſiſtant; hujuſmodi remedium plerumque utiliſſimum evadit, at ſane fœdum eſt, & moleſtum, ut ipſum raro ægræ pati valeant.

Cautelæ neceſſariæ circa hujus morbi medelam.

I. Necdum albi fluoris medelam innuere debemus, niſi prius diluentibus remediis, ac demulcentibus ſanguinem expiaremus, ut in palliativa methodo oſtendimus.

II. Eique eo magis inſiſtendum in præparandis ægrotantibus, quo fluor, vetuſtior, & acrior, ægræ vero cacheticæ magis appareant.

III. Propoſita remedia diluentia, humectantia, & demulcentia animoſe præſcribi poſſunt, modo opus requirat, cum, neque citius quam par eſt, valeant fluorem ſiſtere, aut uterum laceſſere.

IV. Contra vero caute incedemus circa aperientium, aut vulnerariorum, at-

que adſtringentium uſum, etiamſi illa morbus poſcat, cum facile poſſint, rem intercipere, aut uteri inflammationem gignere.

V. Ut carybdim evitemus opportuniſſimum videtur diluentia aperientibus, humectantia adſtringentibus, demulcentia vulnerariis conſociare.

VI. Immo potiſſimum erit remediorum eorum vires nonnihil interdum compeſcere narcoticorum uſu, ut uterum præſertim tueamur.

VII. Præterquamquod ab iis prorſus abſtinere debemus, modo uterum calefieri, aut dolore cruciari cognoſcamus.

VIII. Patet enim tunc proſcriptas eſſe injectiones adſtringentes nimis, ut illæ, quæ patrari poſſunt ex corticibus Granatorum, Balauſtis, Roſis rubris, Alumine, lapide medicamentoſo Crolli, Pulvere *de Verny*, aut ſanguine Draconis.

IX. Suffumigia, ad ſummum concedi poterunt, ex floribus Salviæ, Menthæ, Mille-folii, aut Maſtice, Ladano, Gummi Juniperi, Succino luteo, modo in ſola uteri laſſitudine, & modica doſi adhibeantur, verum tepentia tantum introducantur, ne matricem offendant.

X. Tandem nondum valetudinem jactabimus a ſola fluoris abſentia, verum cunctari paulliſper oportebit, donec in menſtruantibus mulieribus, catamenia concinno ordine reſtituantur, vel in anubus citra ullum nocuum ſymptoma ſanitas confirmetur, neve alio laticem deflexiſſe innoteſcat.

Remedia in albo fluore commendata, quibus tute in quibuſdam ſaltem cirumſtantiis uti poſſumus.

I. Drachma Semis, vel una Terebinthinæ Venetæ ſub forma bolari, Rei ſcrupulo remixta, ei ſuperbibendo poculum tepentis ptiſanæ; hoc remedium dies decem, aut quindecim continuatum, alvum ciet blande, atque uteri vaſa confortat; eumque Rivetius (*a*) magnificat.

II. Syrupus fimi Aſinini; paratur ex manipulis quatuor ejuſdem infuſis ſextario circiter aquæ roſarum, infuſum percolatur, & addita æquali ſacchari copia ſyrupus conficitur, cujus doſis uncia eſt, plures dies hauriendus; iſtiuſmodi remedium ſuperius jam enunciavimus in uteri hæmorrhagia, verum Ballonius, (*b*) quaſi mirabile ſecretum ipſum in albo fluore commendat.

III. Levis decoctio ex uncia parata nucum pinearum, cum nucleis contuſarum, & anatina parte corticis quercus pro potu quotidiano interdum præſcribitur; hoc remedium virtutes jungit agglutinantium, & adſtringentium, verum Dominicus Panarolus (*c*) experientiis ſuffultus illum magnopere exaltat, quod experiri facile eſt.

IV. Caro bubula fumo exſiccata & ſubtiliter pulverizata, verum in exiguo vini rubri meraci cyatho ſoluta ad drachmæ circiter doſim mane jejuno ſtomacho plures dies comeditur; remedium Foreſti (*d*) auctoritate comprobatur, at leniſſimum præbet adſtringens, quod nullum ſuperat ceterorum adſtringentium.

V. Decoctio foliorum quercus ad quinque, vel ſex unciarum doſim, cum drachma ſimul coaguli lepuſculi decem dies mane ſumpta pariter commendatur; illam Mercurialis (*e*) laudat, & ſane haud parum conſtipat.

VI. Decoctum ſudoriferum Guaiaci, Chinæ radicis, aut Salſæ-parillæ, vel utrorumque ſimul prodeſſe teſtantur; ejuſdem poculo mane, & veſpere ſumpto, purgat etiam ſi folliculi Sennæ, aut Tamarindi addantur idonea doſi.

Nul-

(*a*) Centur. I. *Obſerv.* 46. (*b*) Comment. *ad Hiſtor.* II. *Lib.* II. *Conſiliorum.*
(*c*) *Obſerv.* 48. *Pentecoſt.* 2. (*d*) *Lib.* XXVIII. *Obſerv.* 16. *in Schol.*
(*e*) De Morbis Mulier. *Liv.* IV. *cap.* 7.

Nullum magis a duplici ævo Auctores commendant remedium etiamſi confundant, ni fallor, album fluorem cum virulento, in quo convenire poſſet, modo ægræ ſint obeſæ, & pituitoſæ, minime vero in ſimplici albo fluore, niſi in circumſtantiis §. *VI. Art. III. n.* 5. *pag.* 125. indicatis.

VII. Decoctio Saponariæ, quæ ebullitione peragitur trium manipulorum hujuſmodi ſtirpis, duorum Filipendulæ, & unius *Cymbalariæ*, cum libris novem aquæ fontis ad tertiæ partis conſumptionem, reſidui mane jejuno ſtomacho duplex poculum exhibetur.

Hoc remedium celebravit Empiricus eximius Johannes Zapata, (*f*) a Septalio (*g*) laudatus; at illud in gonorrhœa gallica tantum uſum habet quæ continens fiat; verum ad hunc morbum videtur referri Domini Zapata effatum, præſertim cum David Spleiſſ (*h*) qui hoc opuſculum latine vertit, atque commentatus eſt, id intelligat.

VIII. Milii decoctio, vulgo *Décoctio d'Ambroiſe*, pro potu quotidiano plures dies propinata uſuvenit, leviter diaphoretica eſt, aut diuretica, ac in vaſorum lacteorum mollitie non inutilis, in quibus circumſtantiis veriſimile eſt ipſam Mercurialem (*i*) proficuam expertum eſſe.

IX. Drachmam ſemis, aut unam conſervæ (*k*) *Lamii*, mane jejuno ſtomacho comeſtam prodeſſe ajunt ex floribus ejuſdem theiformi ſuperbibendo. Rajus (*l*) in albo fluore ipſam laudat, fateor & ipſe urticam inermem elaterium lacteorum nonnihil reſtituere, quod in uteri albo fluore ſæpiſſime deſideratur.

X. Tinctura Myrrhæ Spiritu Vini, & Tartaro extracta ad guttas decem, aut duodecim idoneo vehiculo propinata, aut ſub forma bolari exhibita magni (*m*) Boerrhaavi laudes promerita eſt, at efficacior evadit, ſi cum aqua Rabelli eliciatur, ſicut nos in (*n*) Tractatu de Morbis Venereis docuimus.

XI. Lactis vaccini, dempto cremore, chalybeati unciæ ſex, aut ſeptem, cum unciis quatuor ſucci depurati Naſturci aquatici, mane jejuno ſtomacho per tres hebdomadas, aut menſem debitis cautelis adhibitis ingurgitatæ non parum auxilii præſtant; hoc remedium uno eodemque tempore demulcens eſt, ac diureticum; valet tum acrimoniam lactei humoris corrigere, cum vermicularium laxitatem tollere.

XII. Pulvis radicis filipendulæ in unico cyatho decoctionis *Paſtinacæ ſylveſtris tenuir foliæ, C. B. P.* uſuvenit, quam laudans Simon de (*o*) Paullis in veteri, & pertinaciori fluore, tum Needhamus, & Hermanus Corbeus Raio (*p*) teſte.

XIII. Tandem decoctionem oſtendemus florum melliloti, cujus poculum quotidie mane ſumi poterit; illam propoſuit medicus (*q*) quidam Alemannus, quam fateor ignorare, an magis tutam, vel inefficacem experiri.

Remedia adverſur eumdem morbum propoſita; nocua tamen, vel ſuſpecta.

I. Auctores nonnulli plures dies mane jejuno ſtomacho camphore (*r*) drachmam

(*f*) Li Maraviglioſi Secreti di Medicina e Chirurgia Cap. 9.
(*g*) Animadv. *Lib.* VII. *Animadv.* 215.
(*h*) Sub titulo *de Mirabili, ſive Secreta Medico-Chirurgica*, ... *ex Italico idiomate in Latinum verſa*. Ulmæ, 1696. in 8. (*i*) De Morbis Mulierum *Lib.* IV. *cap.* 7.
(*k*) Joh. Bauhinus, *Hiſtor. Plantar. Lib.* XXVIII. cap. 119.
(*l*) *In Catalogo Plantarum Angliæ.* (*m*) Chim. *Proceſſu* 57.
(*n*) *De Morbis Venereis. Lib.* IV. *Cap.* 12. *pag.* 534. Edit. ſecunda.
(*o*) *In quadripart. Britanico.* (*p*) Hiſtor. Plantar. *Tom. I.*
(*q*) Johannes Michaelis, *in not. in Schroderum.*
(*r*) VVolfgangus Hoeferus, *Hercul. Med. Lib.* VII. *Cap.* I. Joh. Liebault, *De la ſanté, fécondité, & Maladies des Femmes Liv.* II. *Cap.* 35.

mam ſemis, aut Nucis (*ſ*) Muſcatæ dimidium exhibebant, idcirco alterutram ſolvebant in unciis circiter duabus aquæ Roſarum, aut Nimphææ deſtillatæ.

At caute huic fidendum eſt; remedia enim ſpirituoſa aromatica, valde attenuantia, antequam adhibeantur ſedulo perſcrutari debemus, præſertim cum in ſola lacteorum laſſitudine locum habeant, idcirco in mulieribus pingui corporis habitu, & pituitoſo temperamento præditis, parciori tamen doſi exhiberi queunt.

II. Neque tantum exiſtimo fæculam Bryoniæ, quam Medicus quidam, (*t*) Alemannus præſcribit ad drachmam ſequenti ratione paratam.

> ℞ *Fæculæ Bryoniæ* ℨj.
> *Seminis Papaveris albi* ℨij.
> *Myrrhæ* ℨj. ß
> *Cum ſaccharo in aqua Ceraſorum nigrorum ſoluto f. Rotulæ.*

Fæcula hujuſmodi valde emmenagoga eſt, uterum laceſſit nimis, ac proinde pernicioſi eo cruoris affluxus inducit, & inflammationem ipſam tunc potiſſimum, cum fruſtra menſes revocare tentamus, quod crebro evenit in vetuſtioribus albis fluoribus.

III. Iis rigidiorem cenſuram meretur *Aquæ Eſculapii* nomine propoſita, a Medico, (*u*) vel potius Empirico Hiſpano, qui non levem tamen tunc temporis famam abripuit; ea tali pacto paratur; cucurbita ænea ſtanno intus oblinita aceto modice repletur, cui ſuperimponitur plumbeum operculum, ac vulgari mothodo acetum deſtillatur; fluens liquor, qui dulcis eſt, & aureo colore nitens aquam præſtat hanc, de qua ſermonem innuimus; hanc mane jejuno ſtomacho ad uncias duas, vel tres Zapata præſcribit, aliquot dies, eamque ſummis laudibus extollit adverſus plures morbos, uberiores tamen albos fluores præſertim, & pertinaciores.

Attendite tamen hujuſmodi remedium valde ſuſpectum eſſe, neque tuto exhiberi poſſe, nam re ipſa acetum eſt deſtillatum, & dulcificatum plumbeis moleculis ex operculo abraſis, quibus eſt ſaturum, iis enim erit tribuenda aquæ hujuſmodi efficacia, at ipſæ Saturni particulæ remedii contemptum indicant, modo cunctemur paullisper circa ea, quæ ſuperius *pag.* 107. enunciavimus, damnum videlicet, quod intus ſumptæ ſolutiones afferunt, aut præparationes Saturni.

IV. Meum eſſe cenſeo de quibuſdam remediis hic mentionem facere, quæ adverſus fluorem album commendata in Diſſertatione quadam reperi, quæ accedit tractatui ſub iis verbis edito, *Suite de la Deſcription des Maladies veneriennes*, mihique licere circa ea animum pandere; cum opuſculum enim Regis auſpiciis fulciatur, idcirco facile Tyrones, aut minus ſeduli Medici decipi poſſent veritatis ſpecie; at fas eſt illos admonere quanti hæc valeant remedia, quorum primum arcanum nunc vobis oſtendam.

Repleto, ipſe ait, vas fictile uncia una ſublimati corroſivi, & nomen ſimul limaturæ Chalybis, materiam in cella ſubterranea reponito, eam quotidie idoneo inſtrumento agitando donec in pultem convertatur, quæ lebete aqua pleno ebulliat; verum Chalybeo cochleari ſuper cartam bibulam affundito, ut pulvis ab aqua perbelle ſecernatur, qui exſiccabitur, & tres, vel quatuor dies

---

(*ſ*) Hieronymus Reuſnerus. *Obſerv.* 101.
(*t*) Gothofredus Samuel Polyſius, *Myrrolog. Sect. IV. Cap.* 131. *Artic.* 3.
(*u*) Giovan Battiſta Zapata. *Li Maraviglioſi Secreti di Medicina e Chirurgia, Cap.* 13.

dies ad ſex, aut ſeptem grana, cum quinque ſimul, vel ſex granis ſcamonii Aleppenſis interdum exhibebitur cum juſculi cochleare prope prandium, aut cœnam ſi quæ pulverem reſpuant, boli conflentur confectionis Hamec ope; ſolvit valde, purgat blande per duas, vel tres vices alvum ciendo.

Facile eſt perſpicere in ea compoſitione maximam partem ſublimati, ferri limatura intime copulari, ut pulvis ille ſupra cartam reſiduus ex utriuſque analytica parte coagmentetur, quare pro ſingula ſex, aut ſeptem granorum doſi, tres vel quatuor grana circiter ſublimati exhibebuntur.

V. Alterum, quod commendat arcanum; nocuum magis cenſetur, *ceterorum enim remediorum, quibus,* Auctor, *per viginti annorum ſpatium uſus erat, in hujuſmodi morbi,* fluoris albi *curatione* non ſanatione, *hoc potiſſimum,* aſſerit, *reperiſſe*

R. *Sublimat. coroſiv.* ℈ß.
Præcipitat. rubr.
Mercur. dulc. gr. xviij.
Mercur. viv. ℥ß.

iis rite commixtis Mercurio vivo nempe, & ſublimato primum, ut hujus cauſtica vis magis compeſcatur, adduntur infra præcipitatum, & Mercurius dulcis, denuo conterantur omnia, addendo

R. *Teſtæ perlar.*
Cinnamomi S. p. ā ℈ß.
Scamon. Aleppenſ. ℈ v.

& miſcella perfecte peracta cum ſyrupi cydoniorum ſufficienti quantitate fiant boli, cujus doſis erit a gr. xxv. ad xxxvj.

Si hujuſmodi boli ſecundum artis canones rite parati fuerunt, pro ſingulorum xxxvj. granorum doſi xxij. haberi debent ſyrupi grana, reſiduum xiv. granorum conflari debebit ex grano j. & $\frac{1}{3}$ ſublimati, & grani $\frac{2}{3}$ tum Mercurii dulcis cum præcipitati rubri, verum ex granis v$\frac{2}{3}$ Mercurii vivi & xiij$\frac{1}{3}$ Scamonii; dubito magnopere, additione Mercurii fluentis ſublimatum, atque præcipitatum poſſe ſatis dulcificari, unde tutus evadat eorum uſus.

VI. Intendit vero auctor eorum actionem ſequenti ſyrupo cathartico alternis diebus ſumpto

R. *Agaric. vegetabil.*
Folior. Senn. ā ℈vj.

ebulliant cum libris circiter tribus aquæ fontis ad tertiæ conſumptionem, verum

R. *Aqu. vit.* ℔ij.
Sacchar. ℔j.
Scamon. Alepp. ℈vj

miſce, & ignis ope continuo agitando donec avolet ſpiritus vini, inde igne ſublato frigeſcat liquor, qui per manicam Hippocratis percolatus cum ſuperiori infuſione copulabitur, cujus doſis ſex, aut octo cochlearia non excedet.

Re-

Revera Auctor parvi facit efficaciam Scamonii, nam ad grana xiij, & ʒ-bolos pro ſingula doſi intrat, verum nunc exhibet octo cochlearia, ſeu uncias iv. ſyrupi, quæ copia calculo peracto tinctura ſaturari debet xxviij., aut xxx. granorum Scamonii præter decoctionem agarici, & ſennæ, quæ non levem compoſitionis partem conſtituunt; puto enim ex centenis mulieribus duas vix reperiri, quæ valerent actionem perferre hujuſmodi remedii, præſertim cum a morbo labefactatæ fuiſſent, quod crebro evenit in albi fluoris pertinacia.

VII. At multum ſupereſt, Auctor enim compoſitionis ſubſequentis uſum iis addere ſuadet.

R. *Hyoſcyam. recent.* } *cum radicibus ana* ℔vj.
Ling. canin. }
Folior. Nicotian. ℔iv.
Vin. alb. ℔xxxx.

ebulliant omnia horas quinque, vel ſex: percolato liquori adde

R. *Ol. Oliv. recent.* ℔xxx.

ebulliant denuo donec amplius vinum, aut oleum non fremant; tunc remoto igne, & liquore frigefacto is ad uſum ſervetur; exhibentur enim prius boli n. v. alternis diebus, verum doſis ſyrupi n. vj. indicati, & interjectis diebus hujuſmodi liquoris cochlear ſumendum eſt, eumque frequenter reiterare optimum cenſet.

Videtur enim auctorem, inter medicinalia, magis ſuſpecta congeſſiſſe; uſui enim interno ſublimati corroſivi, quod nemo præſcribi auderet, arctam addit decoctionem hycoſcyami, & nicotianæ, plantarum videlicet, quarum efficaciam adhuc nocuam putant.

VIII. In ea diſſertatione epiſtola reperitur litterati cujuſdam viri ſilentio prætereundi, quem dicunt Phyſicam, & Anatomem coluiſſe, eamdem ſententiam amplectentem: defendit iſte adverſus ſtrumas ſpecificum eſſe ſublimatum; at, ne a via recedamus, in albo fluore pariter commendat injectiones lactis Mercurii methodo Pharmacopœæ Batheanæ parati, docet ſane deflegmari cum unciis (x) quatuor liquoris ſingulam drachmam ſublimati, verum aſſerit ad miraculum citiſſime fluorem ſiſti.

Methodus Batheana eſt, ſolvere drachmas ſex ſublimati corroſivi cum unciis duodecim Aquæ Fumariæ, ut ſingulis drachmis Mercurii unciæ duæ aquæ reſpondeant; quare duplum ſublimati continet hujuſmodi præparatio, quam ea Auctoris anonymi; at Batheus de lactis mercurialis uſu obmutuit, lectori tantum ſuadet ea animadvertere, quæ alias de aqua mercuriali locutus eſt, ubi ipſam valde commendat adverſus faciei tubercula, maculas, puſtulas, iis verbis: *Ad faciei ruborem, puſtulas &c., curandas certiſſima aqua*, de uſu vero interno neque verbum facit, verum externi uſus reſpectu admonet leviter affectas partes tangere ſtatim linteo illas lambendo, *tande loco ſæpe cum guttula minutiſſima ſtatim exſiccando cum linteo &c.*, animadvertendum tamen eſt, hujuſmodi aquam componi ex duplici tantum drachma ſublimati corroſivi in libra una emulſionis decoctæ radicis liliorum ſoluta, quare illa duplo mitior evadit lacte Anonymi; Batheus itaque, quem non latebat aquæ hujuſmodi indoles, coſmeticorum more extrinſecus tantum ipſam præſcribebat, & modica doſi partes affectas obliniendo, & ſollicite exſiccando, ne ſanam cutem læderet; qua ergo ratio-

(x) Batheus duas uncias impendit pro ſingulis drachmis ſublimati pro ſuo lacte Mercuriali conficiendo.

ratione fulcitur Anonymus? qui etiamſi perperam Batheum ſit proſecutus, auſus eſt hujuſmodi remedium intus exhibere, tum vaginæ plenas injectiones ſolutiones corroſivi mercuriali illa præparatione duplo efficaciores præcipere, ubi partium gracilitate, &c. ſenſibilitate ſumma tantum periculi adeſt.

IX. Dominus (z) Morganus Medicus Anglus aſſerit tincturam Cantharidum cum decoctione ſimul Guajaci hauſtam in recenti fluore utiliſſimam evaſiſſe, at in vetuſtiori mercurialia eſſe potiſſima.

A pleriſque Auctoribus ſane hujuſmodi tinctura in gonorrhœa gallica propoſita fuit, ut in Tractatu de Morbis Venereis oſtendimus *Tom. I. p. 272. 499. Editio Gallica*. Verum ea de cauſa putarem Morganum remedium propoſuiſſe in albo fluore, quia ipſe confunderet hujuſmodi morbum cum virulento fluxu ut intelligendum videtur, dum mercurialibus uti cenſuit in veteri albo fluore; ſed, hoc vero, dupliciter ille deceptus eſt, primum nullam inter ſyphilidem, & album fluorem differentiam ſtatuit; alterum autumat in utroque caſu tincturam Cantharidum convenire, quod utrumque falſum eſt: obſervavimus enim ſuperallato tractatu ipſam in gonorrhœa virulenta ſuſpectam eſſe, atque nocuam, quod magis ſuadendum in albo fluore, in quo mercurialia prorſus futilia ſunt, aut infenſa experiuntur.

CAPUT XI.

De ceſſatione menſtruorum, & phænomenis, quæ ab ea procedunt.

§. I.

Deſcriptio.

MEnſes, quæ certo ætatis tempore incipiunt, certa etiam naturæ lege deſinunt, cum diverſum ſit primæ eruptionis initium, varius pariter finis erit, idque pro diverſis ſubjectis, temperamentis, regionibus, aut ætatibus &c., generice tamen mulieres menſibus deficere incipiunt 45., aut 50. vitæ anno.

Interdum menſtrua repente ſiſtunt citra ullum diminutionis indicium, quod tamen raro accidit; quandoque ſenſim vero ſenſimque deſinunt; menſes enim imminuuntur, nonnihil ſerius revertuntur, modo deficiunt, ſemel vel bis antequam reſtituantur, penitus tandem abeunt, aberrationes illæ quando breves ſunt, quando ſex menſes, aut unum vel duplicem annum perdurant.

In nonnullis mulieribus menſes alienantur citra ullum incommodum, vel leve tantum conjunctum habent, cui conſulere fruſtraneum videtur; in aliis eorum amiſſio hyſtericas ſuffocationes inducit vehementiores interdum, in aliis hæmorrhagiæ ſuperveniunt diutinæ, perſiſtentes, letales, in aliis denique fluor albus eſt reliquus pene incurabilis.

Quædam vero deſinentibus menſtruis per vices ſunt pluribus phœnomenorum eorum obnoxiæ diverſimode conſociatis, modo ſuffocationibus, & letali hæmorrhagia laborant, modo cruoris ſimul, & albi laticis jactura; modo vaporibus, & albo fluore corripiuntur; nonnullæ tandem alterutro eorum alternatim vaxantur, vel utriſque uno, eodemque tempore cruciantur.

§. II.

(z) *The Mechanical practice of phyſick.* Lond. 1735. in 8. Vid. *Eſſais & Obſervation. de Medicine de la Societè d'Edimbourg*, latine verſum a D. Dæmours, Medicinæ Doctore. *Tom. IV. p. 629.*

§. II.

Cauſæ, & Symptomata.

COmmunis lex eſt fibrarum animalium elaſticarum, quod progrediente ætate indureſcant, & breviores fiant, ea de cauſa quo ingraveſcit ætas, vividum amittimus, atque rubicundum faciei colorem, tum carnium mollitiem, eadem cauſa rugas parit, cutim conſtipat, atque corneam quaſi reddit, uno verbo ea prænuncia ſunt, atque concomitantia tardæ ſenectutis.

Uteri fibræ atque tunicæ vaſorum per eum reptantium iiſdem ſunt obnoxiæ phœnomenis, verum etſi generalior hæc abeſſet cauſa, uteri ſaltem reſpectu admittenda videretur; mammarum exemplo, quæ cum utero ſummam affinitatem habent tum ſtructuræ, cum functionum ergo, quæ, ut jam enunciavimus 45. aut 50. circiter anno deprimuntur, atque valde areſcunt.

Id enim pro certo haberi poteſt, quod illud tempus verſus uterus arctari atque prorſus occludi debeat; vaſa vero lactea deprimi, aut conſtipari, ut imparia evadant, quod ipſis mos erat humorem lacticinoſum recipere; venoſas deinde appendices conſtringi, ut amplius reſerari nequeant, vel pro cruore eo affluente recipiendo, vel pro illo in uteri cavitatem effundendo, quod idem cadit, ac totum deficere organum menſtruationis, quale ſuperius *Cap. II.* deſcripſimus.

Quapropter menſium amiſſio neceſſarium videtur ætatis conſequens eſſe, quod noſtrum non eſt avertere, ſed a mutationibus, tunc in vaſis vermicularibus ortis, & appendicibus venoſis dependet, etiamſi hujuſmodi aberrationes innumeræ ſint, ac diverſimode in diverſis circumſtantiis regredi poſſint, ut facile patet ex varietate phœnomenorum, quæ in diverſis ſubjectis menſium abolitionem antecedunt, aut ſuccedunt illi; nihilo tamen minus ad quatuor claſſes præcipuas referri poſſunt, quare

Primus in hoc morbo uteri ſtatus.

In hoc ſtatu vaſa lactea aut nihil, aut parum reſerantur, neve ſinunt affluentis lactei humoris ingreſſum, eoque parum vel nihil replentur; parum nihilque propinquas venas comprimunt, ut ſanguis recipiatur; appendices vero ex una parte parum extenſæ inopis ſanguinis ergo, ex altera vero parte compactæ nimis fibrarum rigiditatis cauſa menſes retardant ac imminuuntur donec tandem abeant.

Tunc 1. Interdum periodus ſubſiſtit imminuta fluoris copia: periodus perſiſtit, quia vermicularia adhuc dilatantur aliquantiſper ſingulis menſibus; tantumque cruoris recipiunt, ut periodicum conſervent effluvium, at appendices magis compactæ aperiri renuunt, aut imperfecte reſerantur, ut paucum hinc ſanguinis effundant.

2. Interdum ex converſo copia ſervatur diu menſtrui fluxus diuturniori tamen periodo: ubertas enim effluvii perſiſtit, quia appendices adhuc molles ſunt, aperiri ſinunt, cruoremque recipiunt pro vulgari fluoris diuturnitate neceſſarium, & periodus diutina magis fit, lacteorum ergo, quæ pro adepta rigiditate difficilius, ſeriuſque ſucco lacteo imbibuntur.

3. Quandoque menſes imminuntur, & periodi una removentur, quod antecedentia confirmat, difficultatem nempe qua lactea vaſa compacta nimis dilatantur, & venoſæ reſerantur appendices.

4. Nonnullæ mulieres, in quibus menſtrua depauperantur, imminutio per gradus

dus ſenſim, ſenſimque æqua apparet, in aliis ſine lege aberrant; in primo caſu una eademque ratione conſtipatio tum lacteorum, cum appendicum progreditur, atque ſanguis uniformem motum conſervat; in altero vero caſu inæqualiter areſcunt vaſa illa aliqua extranea de cauſa, aut pro irregulari ſanguinis curſu.

5. In aliquibus mulieribus catameniorum abolitio ad ſex menſes, unicum, vel duplicem annum protrahitur, cum tantum temporis requiratur, ut vaſa aperiantur, quod plerumque accidit in phlegmaticis ſubjectis, aut ſanguineis, verum id ſalubrius eſt, ut natura perferat facilius ita menſium defectum.

6. In aliis celerius deſiſtunt repente valde, quia vaſcula illa citius occluduntur; id in mulieribus evenit bilioſo, aut melancholico temperamento præditis, quod frequenter tamen teterrimos effectus gignit inopinatæ exuberantiæ cruoris ergo alio deflectentis, qui per uterum erumpere adhuc deberet.

7. Quando menſtrua abſunt ex proportionali ſimul æquali, & uniformi lacteorum & appendicum occluſione nullum conſequitur nocuum ſymptoma, vel ad ſummum ſupereſt 1. aliqua guſtus depravatio, aut ſordium appetentia quando lacteus ſuccus in ſanguine redundans ſaliva, aut gaſtrico latice permiſcetur: 2. vel aliqua præfocatio, aut capitis gravedo, quando redundans ſanguis pulmonem, aut caput adoritur.

Hæc eveniunt iis, quæ uterum bene conſtitutum habent omni vitio expertem.

Quæ æquali gaudent tunicarum, fibrarumque uteri robore;

Quæ menſes amittunt ſecundum naturæ leges citra ullam externam morboſam, aut repentinam cauſam;

Quæ tandem lactea vaſa, & appendices occludi experiuntur a ſola aucta fibrarum rigiditate, idque fieri placide, & proportionaliter.

Status alter.

In hoc ſtatu vaſa lactea adhuc mollia ſinunt ingreſſum lactei humoris, tamen comprimunt proximas venas, atque ſanguinem retardando ipſum cogunt appendices intrare; verum orificia eorum vaſorum, tum appendicum compacta nimis aperiri negant, quare fruſtra vaſa inflantur, neque menſes apparent etiamſi omnia diſpoſita videantur.

Tunc 1. Mulieres preſentiunt inſtantium catameniorum moleſtiam, ut ipſa revera eſſent eruptura cum etſi incaſſum omnia ad hoc in utero parata ſint.

2. Incommoda, quæ præcedunt menſtrua, aut iis ſuccedunt, diuturniora, & pertinaciora experiuntur, imo vehementiora quandoque, quam in ſtatu naturali cum vaſa, quæ depleri nequeunt, diu tūrgeant, ac magis interdum quam circa menſium inſtans effluvium.

3. Dum impreſſiones tunc utero obviæ grandiores fiunt, & vividiores, vapores ſane hyſtericos excitant, vel ea ſaltem phœnomena quæ inducunt ad eos vapores pertinent; hujuſmodi ſunt faciei repentinus calor, colorve per breves ſudores evaneſcentes, ſuffocationes convulſivæ diaphragmatis, contractiones, inteſtinorum borboriſmata, riſus inconcinus tandem, ac fletus.

4. Ea phænomena ſenſim imminuuntur, debilitantur gradatim, atque rariora fiunt cum vaſa illa lactea, vel appendices in diem conſtipentur, minuſque ſinant, ingreſſum humorum, qui proinde leviorem plethoram gignunt; nihiloſecius ea unum frequenter, aut duos annos perdurant invita tamen natura, nec procul moleſtiis.

Hujuſmodi ſecundus ſtatus ad eas plerumque mulieres attinet, quæ orificia uteri vaſorum parietibus denſiora, & compactiora habent.

Quæ

Quæ interna donantur uteri tunica dura nimis, tendinea, ut vaſa omnia maxime conſtringat, quæ proxime obtegit.

Illæ vero præſertim, quæ nondum utero geſtarunt, aut raro, in quibus vaſa lactea, & venoſæ appendices minus dilatatæ fuerunt in eo compactionis ſtatu perſiſtentes.

Tertius ſtatus.

In hoc lactea vaſa cum mollia adhuc ſint, dilatari ſinunt, lacteoque humore replentur, necdum tamen exhauriuntur, cum compacta eorum orificia reſerari renuant, quare ipſa turgida nimis propinquas venas comprimunt, in iis circulationem intercipiunt, atque in appendices ſanguinem devehunt, eaſque pandunt, quod ſanguinis jacturam modo majorem, modo minorem inducit.

Tunc 1. hæmorrhagia habitualis eſt, atque pertinax, quia vaſa lactea adhuc plena venas premunt continenter, ac in appendices venoſas ſanguinem deflectunt, coguntque illas patulas morari.

2. Sanguinis jactura non ſolum perſiſtit periodice, imo ſingulis menſibus duplicatur, cum vaſa vermicularia prope menſtruorum tempus turgeant magis, magiſque premant proximas venas, cruoremque ibi detineant, atque majori proinde copia effundant.

3. Tenſio ſolidorum, tunicarum præſertim uteri, quam excitat vaſorum in utero inflatio, vapores hyſtericos frequenter inducit ſuperiori ſtatu ſecundo, num. tertio enunciatos.

4. Etiamſi pertinaces ſint hujuſmodi ſanguinis jacturæ, ſponte tamen deſinunt quando vaſa ſenſim, ſenſimque arctantur, lacteum humorem reſpuunt, neve amplius venas comprimunt, aut aperiri cogunt.

5. At menſium amiſſio haud raro album fluorem relinquit lymphaticum, qui a levioribus excoriationibus procedit extremitatum appendicum venoſarum jam conſtrictarum, ex quibus lympha perfluit, donec perfecte agglutinatæ fuerint.

6. Interdum hujuſmodi ſanguinis amiſſiones in ulcera degenerant, eroſionum cauſa extremitatum venoſarum, quæ marceſcunt, & pure fœdantur acriori, & corrodente.

Superallata phœnomena facile iis accidere ſolent, quæ appendicibus donantur, & vaſis lacteis laxioribus;

Illis vero, quæ in utero ſuapte natura imbecilliores portiones habent, ubi venæ varicoſæ factæ ſunt.

Iis, quæ pluries utero geſtarunt, vel partus paſſæ ſunt diutinos, laborioſos, aut difficiles, in quibus appendices crebro laxatæ, aut eroſæ fuerunt, aut uterus inæqualiter labefactatus fuit, ubi placenta adhæſit.

Tandem illis, quæ in primo, aut ſecundo caſu nuper allato imprudenter pedes ſecarunt perperam menſium revocandorum cauſa.

Status poſtremus.

In hoc poſtremo caſu uteri vermicularia lacteum humorem adhuc recipiunt, quantumque affluit tantundem effundunt per orificia, quæ patula facile perſiſtunt; idcirco illa neque inflantur, neque venas comprimunt, ſanguinem intercipiunt, ſeu in appendices devehunt, neve eas reſerari cogunt; uno verbo eruptionem menſium minime fovent.

Tunc 1. Mulieres rubro fluxu deficiunt; verum albo continenter laborant menſtruorum tempore periodice increſcenti, cum tunc uberior fiat laticis illius ſecretio.

2. Vaſa non tumeſcunt, neque uteri tunicæ laceſſuntur, ideoque patientes ſunt

ſunt vaporibus expertes; verum perſiſtenti albo fluore, languore, macie, & maraſmo laborant.

3. Quandoque affectio in ulcus uteri degenerat, quando humoris lactei continua effuſione relaxantur nimis, dein corroduntur orificia lacteorum, atque ipſa interna tunicarum matricis facies læditur, in iis præſertim, in quibus acer humor affluit, & corroſivus.

4. Denique modo mulieres ſanæ ſint, & ſedulo curatæ, plerumque ſenſim, ſenſimque ſponte aberrat hoc album morboſum effluvium prout in diem vaſa illa conſtipantur.

Mulieres illæ crebro ad hunc ſtatum pertinent, quæ phlegmaticæ ſunt, & pituitoſæ, quæ fluoribus albis obnoxiæ ſunt, & diu laxis orificiis vaſorum præditæ.

Quæ uteri, ejuſque intimæ tunicæ contextu laxiori donantur, id ſponte eveniat, vel geſtationis cauſa.

Illæ tandem, quæ perperam aperientibus emmenagogis menſes revocare tentarunt abeuntes.

Status uteri compoſitus.

Simplicibus illis menſium abolitionibus hactenus explicatis aliæ plures compoſitæ ſpecies adduntur ex priorum connubio trium ſaltem nuperrimarum, quæ ſimul eodem tempore atque in eadem ægrotante occurrunt, diverſam tamen uteri ſedem afficientes, quare poſt ſimplicium explanationem menſium, ſiſtentium compoſitionem, ejuſque præcipua phœnomena enunciabimus.

Idcirco 1. Dum ſecundus, & tertius ſtatus ſimul agunt, ægræ vaporibus ſimul corripientur, & uteri hæmorrhagia.

2. In confluentia ſecundi & quarti vaporibus ſimul & albo lacticinoſo fluori erunt obnoxiæ.

3. Quando tertius ſtatus quarto copulatur, mulieres tum ſanguinis cum lactei & lymphatici humoris jactura vexabuntur, quæ haud facile diſtingui poterit, præſertim ſi copioſum ſit cruentum effluvium, modo eo interdum non deficiat.

4. Tandem in utrorumque concurſu qui raro evenit, etſi non impoſſibile, ægræ vaporibus cruciantur, hæmorrhagia, & ſimul albo fluore.

Componuntur ii diverſi morbi gradus, quando cauſæ ſimplices ſpecies producentes ſimul agant, laceſſantque diverſas uteri partes, ſimplicium tamen cauſas perſcrutando compoſitarum facile quot, & quales oriri poterunt, innoteſcet.

§. III.

Diagnoſis.

I. Diagnoſis deſinentium menſtruorum eo collineat, ut amiſſionem diſtinguamus ab ætate procedentem, ab ea, quam ſuppreſſio, aut geſtatio pariunt.

1. Ea a ſuppreſſione diſtinguitur, 1. Ex eo, quod naturalis menſium defectus 45. vel 50. anno tantum occurrat, morboſa vero ſuppreſſio quovis alio tempore evenire poſſit: 2. Verum ſalutaris amiſſio numquam repente aggreditur, ſed ſenſim, ſenſimque per vices confirmatur; ſuppreſſio tamen plerumque ſtatim adoritur: 3. dein naturalis menſium abolitio leviora ſymptomata ſolummodo comitatur, ſuppreſſionem vero teterrima phœnomena conſequuntur.

Modo Mulieres ætatem fateri non vereantur, atque ſigna illa pleraque ſaltem con-

concurrant, eaque ſedulo ſcrutemur, facile erit naturam, & cauſam abeuntium menſtruorum detegere; at parum in dubio hærebimus, nam ab unico, aut duplici menſe, quæ erunt conſecutura ſatis oſtendent, an naturæ legibus referri debeant, quæ menſium defectum poſcunt, vel morboſis cauſis, quæ citra naturæ ordinem menſes intercipiant.

2. Haud facile tamen eſt naturalem diſtinguere catameniorum amiſſionem, ab ea, quæ a geſtatione procedit; decipiuntur enim ſæpiſſime mulierculæ, nam cum natis deficiant, eoſque cupiant vehementer 45. etiam vel 50. ætatis anno omnes geſtationi tribuunt menſium imminutiones, quæ totale prænunciant eorum ſilentium; contra vero quæ plures fœtus ediderunt menſtruis defecturis identidem veram conceptionem referunt.

Neminem latet mulieres ciborum guſtum amittere, extraneis cogitationibus, conturbari, cordis anguſtiis, atque vomendi conatibus cruciari primis, quibus fœtum gerunt menſibus, ſinum vero inflari atque tendi, abdomen contra deprimi ac conſtringi, ut eorum pleraque eveniant in repentina menſium ſuppreſſione, & laborioſa obvia, quæ dubitationem noſtram confirmabunt, quare modo nobis illudere nolimus, hujuſmodi ambago prorſus evaneſcet a quarto vel quinto menſe dum vel fœtum convelli in utero ægræ perſentient, vel hoc ſigno deficiente naturali menſium ceſſationi ſuppreſſio tuto referri poterit.

In utroque caſu enim hujuſmodi incertitudo, aut cunctatio ægris nullum detrimentum inferre poterit; catameniorum igitur abolitio vel nullum poſtulat remedium, vel aliquam tantum ex brachio venam incidi, aut ſtomachica exhiberi, quæ æque geſtationi conveniunt; ſuppreſſionis vero reſpectu, quæ plerumque efficacioribus remediis indiget purgantibus videlicet, & aperientibus procul damno circa eorum præſcriptionem cunctabimur nonnihil, donec veritas eluceſcat.

II. Diagnoſis diverſarum ſpecierum deſinentis menſtrui ſimplicis, vel compoſiti ægrotantes inquirendo facile noſcitur;

1. In priori igitur ſpecie, quæ naturæ magis conſona eſt, tumor, tenſio, atque dolor uteri abſunt, neque ullum conſequitur grave ſymptoma præter leve aliquod palloris, aut plethoræ.

2. Secunda ſpecies adeſt, quando menſium periodus adhuc perſiſtens, verum uteri tumor, tenſio, dolor &c. tum plura palloris phænomena ægras vexant, atque hyſtericæ accedunt paſſionis incommoda.

3. Tertia dignoſcitur dum uteri hæmorrhagiæ periodice ſuperſunt, quæ vero continentes fiunt, aut comites habent hyſtericos vapores, guſtus depravationem, atque menſium aberrationes.

Quarta ſpecies extat quando mulieres albo fluore corripi perſpicimus continenti, pertinaciori, & periodice increſcenti, quo neglecto languor, aut maraſmus augetur.

5. Tandem compoſitæ ſpecies innoteſcent ſymptomatum indagine, quæ ad ſimplices pertinent nuper indicatas, ut earum vario connubio novæ plures oriri poſſint.

III. Diagnoſis diverſarum uteri conditionum, eorumque vaſorum ab indole deducitur ſingularum ſpecierum ceſſationis propoſitarum, quare

In prima ſpecie æque vaſa lactea, & venoſæ appendices occluduntur, reſpuuntque ingreſſum lacticinoſæ lymphæ, atque cruoris.

In altera ſpecie vaſa lactea reſerantur, & appendices; illa ad lacteum humorem recipiendum, iſtæ ad ſanguinem hauriendum, utrorumque tamen orificia compacta nimis renuent detentum laticem effundere.

In tertia idem evenit ac in ſecunda ſpecie oſtendimus, præter appendicum aperitionem, a quibus copioſe ſanguis in uterum erumpit.

In

In poſtrema demum ſpecie lactea vaſa penitus reſerantur, ut omnis erumpat lacticinoſus liquor, atque continens producatur albus morboſus fluor.

In compoſitis denique catameniorum amiſſionibus natura, aut qualitas ſymptomatum ſatis indicant conditiones vaſorum lacteorum, appendicum, atque uteri totius.

§. IV.

Prognoſis.

I. Menſtruorum ceſſatio circa 45. vel 50. annum naturæ conatus, ſeu melius, conſequens corporis totius & uteri præſertim conſtitutionis neceſſarium videtur, quare prorſus innocua, aut periculoſa evadit, modo citius quam jam eſt non eveniat, & ſævioribus phænomenis non comitetur.

II. Menſium abolitio morboſa eſt, quæ 30. 35. aut 50. annum verſus ſupervenit, mox 45. aut 50. anno periculoſa eſt, ſi repentina de cauſa metus, doloris, aut abortus ergo occurrat.

In hoc caſu periculum adeſt, tum quia ſuſpicari licebit vaſa uteri, & appendices inæqualiter reſerari, cum ratione lactei humoris, qui immatura æque, ac naturali ceſſatione exuberans ſæva ſymptomata afferre poteſt.

III. Hujuſmodi affectio moleſta evadit quando hyſtericos vapores, hæmorrhagiam, aut album perſiſtentem fluorem gignit; verum uteri infartum, ſcirrhum, cancrum, aut ulcus minetur; in ſingulis his caſibus periculi menſuram faciunt concomitantium ſymptomatum indoles, numerus, vehementia, quæ rectam prognoſim definire valde implicant.

IV. A phænomenis cuique ſpeciei propriis ſingularis quarumcumque prognoſis deduci poterit, idcirco

1. In prima menſium abolitione cum ex parte uteri nihil detrimenti accidat; verum ad pallorem, aut leviorem plethoram pauca ſuperventura phænomena attineant, quibus mederi facile erit, neque vaporibus, vehementioribus ſaltem, ægræ laborent, ideo ea periculo vacat, aut parum pertimeſcenda videtur.

2. Cum in ſecundo caſu omnia adſint ſymptomata palloris, atque plethoræ verum grandiores hyſterici inſultus, qui valde perterreant, ſuperveniant, tum uteri hæmorrhagiæ; aut abundans album effluvium ſuſpicetur, cum etiam infartus pertinaciores, atque uteri obſtructiones eſſe reliquas, idcirco hujuſmodi ſpecies præcedenti valde periculoſior cenſetur.

3. In tertia vero ſpecie pallore, plethora, & vaporibus cruciantur ægræ, quæ cum diuturniores fiant, in utero ſchirros, atque obſtructionem parere valebunt; verum ipſæ continenti laborant hæmorrhagia, e qua valde fatiſcunt, tum frequenter ulcus, aut cancer inducitur, hæc enim præcedentibus magis nocua experitur.

4. In quarta hujus affectionis ſpecie albus continens fluor, atque pertinax maciem, hecthicam febrem, ulcus, atque cancrum uteri minatur; ut in hac ſummum periculum adeſſe videatur.

5. Compoſitarum ſpecierum reſpectu prognoſis derivabitur ab indole, numero, ac ſymptomatum violentia, quæ eas comitatur, aut a morbis conſecuturis.

§. V.

Curatio.

ILla phænomena eamdem hic medendi rationem poſtulant, quæ in ceteris aliis caſibus poſtulaverant, quare conſulere poteritis *Cap. VIII. Lib. II. ubi de Hyſterica Paſſione & Vaporibus* &c. ſermonem faciemus. Ut eos vapores compeſcatis ad ſecundam ſpeciem pertinentes, fas erit pervolvere *Cap. IX. Lib. I.* ubi *de hæmorrhagia, atque menſibus nimiis* pertractatur, ut ſanguinis jacturam cohibere diſcatis. *Cap. X.* verum perlegere veſtrum erit *Lib. I.* ubi *de albo fluore* loquitur, ut illum, qui tertiam ſpeciem ceſſationis reſpicit, ſubjiciatis neceſſariis interdum cautelis adhibitis.

Quare hujus capitis materiam ad primam menſtruorum ceſſationis ſpeciem pertinere conſtat, ut præoccupare valeamus phænomena mulieribus ſuperventura, quæ menſtruum fluxum amittere incipiunt, aut ea compeſcere protinus, dum modica ſunt, ne morbos inducant, præſertim cum ea leviora palloris, aut plethoræ phænomena eſſe videantur.

Statim ac mulieres, modo prudenter incedere velint, cognoſcant proxime catamenia eſſe abitura, debent de propria valetudine ſollicitæ eſſe; eoque magis attendendum erit quo ſanguinis, aut uteri conditiones id minentur, hac de cauſa:

1. Haud infrequenter venam ſecare intererit per integrum, aut duplicem annum, ut ſanguinis exuberantia, vaſorumque turgentia imminuantur; quæ ex brachio inſtituuntur venæ ſectiones ſalubriores exiſtimantur, ut ſanguis ab utero revellatur; haud facile eſt determinare numerum, aut copiam, nam quædam ſingulis menſibus hoc remedio egent, alternis quædam tantum, at plerumque tertio aut ſecundo quoque menſe prout temperamentum, aut vitæ regimen poſcant, venæ ſectio reiteratur.

2. Optima vitæ gerendæ methodus præſcribi debet tum copiæ, cum qualitatis alimentorum ratione: quantitatis reſpectu, ut minus comedant, ac minorem tum ſanguinis, cum humoris lactei quantitatem adipiſcantur; qualitatis reſpectu, ut alimenta leviora, aquea, parum nutrientia edant, quæ ſanguinem, chylumque dilutiorem ſuppeditent, minuſque aptum vaſa uteri infarciendo.

3. Identidem ægras purgare neceſſe erit lenientibus; nempe tamarindis, manna, caſſia, rhabarbaro, ſale vegetabili, aut epſonenſi &c. ut primæ viæ expientur, & per alvum exuberans chylus eliminetur, qui in ſanguine lactei humoris redundantiam gignit.

4. Ipſis præcipito quotidie ſimpliciora remedia cum aqua tepenti, aut decoctione Artemiſiæ, Matricariæ, aut Melliloti &c. quibus addi poterunt unciæ duæ olei amygdalarum dulcium, aut uncia una Diachatolici, vel æqua doſis pulpæ caſſiæ, modo venter areſcat; verum ſi ægra flatibus crucietur, addi potes uncia una olei Laurei, vel clyſter intromitti ex baccis Laurinis paratus.

5. Quotidie, aut frequenter diuretica mitiora præſcribi debent, ut per lotium lacteus humor erumpat; opportunæ videntur infuſiones capillarium, thei, ſalviæ, meliſſæ & vulnerariæ Helveticæ, aut decoctiones leviores chærephyli, matricariæ, aut artemiſiæ: eadem virtute pollent aquæ minerales refrigerantes, & diureticæ De *Forges*, aut *Paſſi*.

6. Efficaciora quandoque diuretica uſuveniunt, ſi ea vehementiora ſymptomata poſcant; quare iis infuſionibus, aut decoctionibus adjungi poſſunt ʒ j. vel ʒ j. ß. quotidie ſalis admirab. Glaub. aut Arcan. duplic. ſalis Prunell.

& tar-

& tartar. vitriol., vel eas infuſiones ſuperaffundi xx. aſellis in pultem redactis.

Tandem ſi hyſterici vapores crebriores ſint, & infenſi, ægris cochlearia aliquot erunt exhibenda potionum anthyſtericarum, quæ componuntur ex aqua diſtillata nucum viridium, ceraſorum nigrorum, aut fluorum tilliæ, quibus adduntur pro ſingulis quatuor unciis guttæ viginti, aut triginta tincturæ myrrhæ cum ſimili doſi Caſtorei, vel grana aliquot aſſæ fœtidæ in ipſis ſolvi, aut guttæ tincturæ anodynæ permiſceri poterunt, ſi vapores vehementiores ſint, & convulſionibus, aut convulſivis motibus comitentur.

Cautelæ neceſſariæ in mulieribus pertractandis, quæ menſtruationem tandem amittunt.

I. Quotidie pedes ſecare prætereundum erit in menſium vera amiſſione; tunc enim venæ ſectiones ramificationibus aortæ deſcendentis ſanguinem attrahunt, qui uteri vaſa infarcit, uterum ipſum inflat, atque tendit; tum hyſterici affectus ſymptomata auget, & hæmorrhagias uteri haud infrequenter inducit.

II. Eadem de cauſa emmenagoga omnia veniunt proſcribenda, ſolventia, aperientia aut aquæ thermales &c. nam ſollicite caveri debet, ne deſinentes menſes invite revocemus; cum ab hac methodo recedamus potius quam juvemus, plerumque ægras lędimus, morbus ingraveſcit, & uteri hæmorrhagiæ naſcuntur haud facile curabiles.

III. Non ſufficit nutritionem demere; verum, ut jam admonuimus, nutrientia magis alimenta interdicere oportebit, quæ chylum pinguiorem, aut ſpiſſiorem producunt; hujuſmodi ſunt, caro bubula, aut vervecis, perdix, cremor oryzarum ſpiſſior, juſcula denſiora, extracta, lac aut percolatum.

IV. Ex eodem principio deducitur ſanguinem caleſacientia, aut rarefacientia eſſe interdicenda, ne uteri, eorumque vaſorum reſpectu ſimiles effectus plethoræ edant; pariter prohibenda erunt tunc temporis pervigilia, animi pathemata, exercitia violentiora, ſpirituoſus potus, vinum ipſum ſaltem largiori doſi, caffè etiam & cocholatum vanilla præſertim remixtum.

V. Cum matrimonii uſus uteri fibras, ejuſque tunicas valde laceſſat ſanguinis curſus implicando, ut ipſum cogat intra vaſa atque venoſas appendices retineri, verum contra orificia vaſorum niti; ideoque crebrior ſaltem coitus nocuus videtur in deſinentibus menſtruis præſertim ſi laborioſi ſint, aut ſanguinis jacturam comitem habeant.

VI. Si mulieres alicui chronico morbo ſint obnoxiæ, cujuſque generis ſit, valde timendum eſt, ne ipſe circa hoc tempus augeatur, quod animadvertere fas erit, ne ægræ commoveantur nimis, remedia facilius hauriant neceſſaria, & regimen obſervent, quod tunc opportunum cenſebimus.

VII. Generice ſuſpicari licebit menſium miſſionem prompte a natura patrari modo phænomeni expers ſit, ut in bene conſtitutis mulieribus, in quibus uterus ſuum elaterium ſervat, conſpici ſolet; at in ultima catameniorum laborioſa eruptione, quæ aliquo ſæviori ſymptomate comitatur, prodeſt ipſam ſenſim, ſenſimque & ſegniter fieri, ut vaſa uteri valeant æque conſtipari, & natura menſium deficientiæ aſſueſcat; de cetero nihil agere debemus, ut naturæ conatus ſollicitentur, aut vaſa uteri cito nimis occludantur, quod irregulariter fit, & ibi ſanguinis affluxum parit.

VIII. Quando in menſtruorum ceſſatione plures copulantur circumſtantiæ, eveniunt quandoque ſanguinis jacturæ, quandoque albi fluores, modo uteri infartus, modo colici dolores aut vapores; perpendere igitur noſtrum erit cau-

ſas, atque detrimenta ab iis phænomenis orta, eaque vel ſingillatim ſubjicere a vehementiori gradum faciendo, & periculoſiori, vel omnes ſimul compeſcere, diverſa remedia ſi fas erit copulando ſingulis ſpeciatim idonea.

IX. Tandem parum fidendum eſt fluxui catameniorum, qui poſt 50. annum perſiſtit; vidi enim mulieres trans hanc ætatem menſibus pollere ſeſe jactantes quaſi juvenes eſſent; at re ſedulo pertractata reperi has putatas eruptiones verum morbum conſtituere ab ulcere, aut uteri infartu a varicibus dependentem; imo pleræque mulieres quæ ſibi diu menſibus gaudere ſuadent, plerumque in cancrum, aut ulcus deſinunt.

Dantur etiam puberes, quæ nono, aut decimo ætatis anno catameni pollere periodice revertentibus affirmant; at id crebro conſequens eſt vitii uteri alicujus aut vaginæ cui venæ ſectionibus aut decoctionibus refrigerantibus, ſero, lacte aſinino & ſemibalneo mederi oportet. Sane verum eſt quantumvis natura variare videatur in ſpeciali earum circumſtantiarum ſcrutinio, verum tamen eſt ipſam conſtantem eſſe in legibus ſanciendis, eſſentialibus œconomiæ animalis.

CAPUT XII.

De Furore uterino.

Seu Μητρομανία,

Fuor Uterinus morbi genus eſt ſpurcum & propudioſum. Sed commode cadit; quod raro obvenit; attamen non ita raro, ut e Muliebrium Morborum numero expungi poſſit, aut a Medico, qui eoſdem explicandos ſuſceperit, debeat omitti, ceu a pleriſque factitatum video, ut mox indicabitur. Ipſe quidem officii mei eſſe duxi de illo diſſerere, ſed cum puduerit de obſcœnis gallice dicere, ſatius viſum eſt latino ſermone uti, " (a) in quo vocabula & „ tolerabilius ſe habent, & accepta jam uſu ſunt, cum in omni fere Medicorum volumine tractentur.

§. I.

Deſcriptio.

FUror Uterinus, græcæ Μητρομανία, derepente numquam invadit, ſed per fallentia incrementa lentis paſſibus ingreditur, eo, qui ſequitur, ordine.

I. Incidit aliquando, ut Virgines viro jam maturæ, ſiquem amaſium perdite ament, quo potiri non detur; ut Puellæ paleſtræ venereæ aſſuetæ, a qua arceantur invitæ; ut mulieres nuptæ, quæ frigido vel ſeni conjunctę ſunt; ut juniores Viduę, quę marito valido, & ad opus non ſegni, quo cum conſueverant, ſunt orbatę, libidinoſe cogitent, alte, fortiter, frequenter, continuo, prępertim ſi in libidinem proclives ſint natura, quam proclivitatem intendant magis in dies, legendo mileſias fabulas, quę non teneros tantum, ſed etiam laſcivos amores ſpirant & edocent; cantitando verſus feſcenninos, colloquendo ſępiſſime de rebus venereis cum ſodalibus, petuclis digitis ſe ſe contrectando, aut ſe contrectari patiendo; aurem prębendo facilem virorum blandimentis,

(a) Celſus, *de re medica*, *Lib. VI. Cap.* 18.

tis, illecebris, in cibos adhibendo edulia ſalſa, piperata, acria, fumo indurata; vino meraciore, liquoribus ſpirituoſis, potu Caffe, Chocolata utendo vel potius abutendo; quæ ſingula, aucta ſanguinis acrimonia, veneris cupiditatem inflammant.

Ea quidem in principio levia, ſed ſi pergant, paullatim ingraveſcunt. Manent in eadem cogitatione perpetuo defixæ, a qua nolunt ſe dimoveri; id unum cogitant, in eo totæ ſunt; cetera nec vident, nec curant; triſtes, meditabundæ, ſilent vel muſſitant; libidinem qua æſtuant, caute diſſimulantes & contegentes, quoad ejus facere poſſunt. At ſi forte quis venuſtus adoleſcens, imo ſi vir qualiſcumque occurrat, laſcivientibus oculis illum cupide ſpectant, & ſi quid dixerit blanditiarum, ut communis fert uſus, avide auſcultant, lætæ arrident, geſtiunt, prævertunt ſerio quæ joco dicta ſunt, & non tantum faciles, imo etiam paratas ultro ſeſe præbent.

II. Quæ jam nimia eſt, gliſcit tamen in dies ægritudo; effrænata & furioſa veneris cupiditate, quaſi æſtro percitæ, pudicitiæ immemores, inconſiderate multa garriunt, quæ libidinem, qua flagrant, aperte produnt, & depoſita omni verecundia impotenti animo obvios quovis, notos ignotoſve ad opus provocant, ſollicitant verbis flagitioſis & turpibus. Si cunctentur, pelliciunt voce, geſtu, & ſi pertinacius renuant, probris illos inſectantur alta voce, &, quantum valent, conantur pugnis impetere.

III. Hucuſque tamen morbus, quantumlibet gravis, intra melancholici delirii fines ſe continet, ſed brevi in apertam maniam erumpit. Amentes vociferantur, abſurda deblaterant, nutu, geſtu, ſermone circumſtantium libidinem tentant, imo quandoque ut pelliciant efficacius, ſuccinctæ ſe nudas exhibent; in reluctantes vel ſegnes inſiliunt furibundæ, aperte delirant de multis, ſi non de omnibus. Adſunt vero ſimul ſymptomata omnia, quæ maniam comitari ſolent, agrypnia, anorexia, fervor totius corporis, frigoris tolerantia, ſitis defectus dum æſtuant, pigrities alvi, urinæ ſpiſſæ, paucæ, croceæ, lutulentæ, &c.

Cave tamen putes hæc omnia in omnibus, & eodem modo concurrere; ſingula in ſingulis varie variant, pro temperie, & indole nativa, pro educatione, qua informatæ ſunt, pro morbi vehementia, ita ut hæc affectio ſibi ſemper conſtans & ſui ſimilis in eo quod eſſentiale eſt, in ceteris omnibus diſpar ſit, & diſſimilis.

Morbus ille, utcumque rarus, frequentius tamen occurſat in regionibus calidioribus, ubi intenſior eſt cauſarum energia, a quibus inducitur; ideoque mirari ſubit (*b*) Hippocratem, Galenum, Celſum, Aretæum, Oribaſium, Paullum Æginetam, qui in Græcia, & Italia, Medicinam tractaverunt, de eo alte ſilere. Sed mirationem majorem facit taciturnitas Medicorum, qui inter nos ante renatas literas floruerunt, eorum præſertim, qui in climate calidiore, ubi morbus ille debuit olim, ut hodie, vulgatior eſſe, (*c*) nempe Arnaldi de Villanova, Valeſci de Taranta, Bernardi, Gordonii, Gullielmi Rondeletii inter Narbonenſes: Antonii Guarnerii, & Alexandri Benedicti (*d*) inter Italos, a quibus, dum ceteros morbos muliebres explicant, morbus ille conſulto prætermiſſus eſſe videtur, quaſi noluiſſent de affectu dicere, cujus antiquiores mentionem nullam feciſſent.

(*b*) Adducitur tamen ex Hippocrate & ex Galeno locus unus & alter, quibus, ſi benigne accipiantur morbus verbo indicari vel perſtringi videtur. (*c*) Illi omnes inter cetera deliriorum genera, *de Amore inſano* Virorum in Mulieres mentionem faciunt, ſpecialibus capitulis; ſed ne γρῦ quidem de Furore uterino inter muliebres, quos explicant. (*d*) Mirum profecto Alex. Benedictum de Furore uterino ſilere ſuo loco inter Morbos Muliebres, cum ipſe Obſervationem unam referat feminæ ab utero furentis, *Lib. I. Cap. 28. de Inſania, pag. m. 49.*

Soranus, Medicus Græcus, qui ſub Trajano Principe floruit, Galeno paullo antiquior, ſolus eſt, quem ſciam, qui de Furore uterino expreſſe dixerit. Interciderunt quidem illius ſcripta, ſed Ætius fatetur ab eo depromptum eſſe *Caput* 74. *Libri XVI.* Operis ſui *de Contracta ex Veteribus Medicina*, in quo de affectione illa diſerte quæſtio eſt. Illud autem Ætii caput inſcriptum quidem *De Furore uterino*, ſed cum hæc inſcriptio Jani Cornarii ſit, qui Ætium latine reddidit, & cujus interpretatio Baſileæ prodiit apud Frobenium, an 1535., placuit Græcos fontes adire, ut certo noſſem, quo genuino vocabulo Ætius, vel potius Soranus ipſum, quem exſcripſit, morbum græce nominaſſet, in quo provinciam ſuſcepi difficilem, & opinione operoſiorem. Nam opus Ætii libros continet ſexdecim, quorum octo tantum priores apud Aldum & Aſulanum Venetiis in *fol.* græce editi ſunt, anno 1535. Reliqui octo poſteriores latent adhuc inediti. Sed opportune mihi ſuccurrit in Bibliotheca regia locupletiſſima quatuor eſſe integra Græca Ætii exemplaria manuſcripta; nec mora, illa pervolutavi diligenter, unde mihi conſtitit caput illud ab Ætio inſcribi περὶ τῆς Μητρομανίας.

Eodem quoque vocabulo uti memini, tum Nicolaum Myrepſum, Alexandrinum, apud quem proſtrat Antidotus (*e*) quem valere ait *contra Metromaniam* quo nomine *Furorem uterinum* intelligi extra dubium eſt; tum apud Zonaram, Hiſtoricorum Græcum, qui narrat *Annalium Tom. III. pag.* 23. *Euſebiam, uxorem Conſtantii Imperatoris, filii Conſtantini Magni, forma quidem celebrem, ſed ob maritum calamitoſam, cum natura, tum morbis mollem, & ad venerem ſegniorem, unde paullatim contabeſcens ante Conſtantium deceſſit, nullo unquam fœtu edito, & ut quidam dicunt, uterino Furore percita mortua eſt;* καὶ μητρομανίας νοσήματι περιπεσοῦσα ἐξέλιπε.

Sunt alia quædam ejuſdem morbi nomina. Sic a (*f*) Moſchione, Medico Græco recentiore, ſed incertæ ætatis, (*g*) *Satyriaſis* appellatur. Sic a nonnullis Recentioribus dicitur *Nymphomania*, quaſi dicas *Maniam Clitoridis*, cui olim *Nympha*, nomen fuit; vel *Erotomania*, hoc eſt, *Mania amoris*; ſed a vocabulis iſtiuſmodi abſtinebimus, quoniam non ſunt communi uſu recepta.

§. II.

Cauſæ.

PAtet attendenti in Furore uterino duos morbos conjungi, effrænatam, & veſanam veneris cupiditatem, quæ ab uteri vitio; & delirium initio melancholicum, & deinceps maniacum, quod a vitio cerebri dependet. Si ambo concurrant, aderit Furor uterinus, de quo queſtio eſt; ſi defecerit alterutrum, erit vel effrænata coeundi cupiditas ſine delirio, vel melancholia, aut mania ſimplex ſine veſano veneris deſiderio. Proinde ad explicandam Furoris uterini naturam, ordine dicendum eſt.

1. De effrænata veneris cupiditate ſimplici.
2. De eadem conjuncta cum delirio melancholico.
3. Demum de eadem, cum in maniam abit.

Primo. Effrænata ventris cupiditas inducitur, vividiore & fortiore ſuccuſſione organorum, quæ ſunt in fœminis ſedes voluptatis venereæ, haud diſpari modo, quo fames aut ſitis intenſa oritur a validiore impreſſione ventriculi, aut faucium tunicis illata.

Orga-

(*e*) De Antidotis *Sect. I. Cap.* 218. (*f*) *De affectibus mulieribus, Cap.* 128.
(*g*) Nomine minus idoneo, & detorto a conſimili virorum affectu.

Organa autem, quæ in fœminis voluptati venereæ excitandæ a natura deſtinantur, plurima ſunt.

1. Clitoris, quæ omnium conſenſu exquiſitiſſima eſt voluptatis ſedes, unde vulgo dicitur *amoris dulcedo*.

2. Tota vaginæ amplitudo, quantum patet, maxime tamen pars ejuſdem antica, quæ cum vulva connectitur, & anguſtiſſima eſt.

3. Facies interna ipſiuſmet uteri, quæ & ipſa voluptatem ſentit, & ad venerem ſollicitat, perinde ac in fame & ſiti intenſiore certum eſt ventriculum eſurire & ſitire. Quæ autem de uteri ſenſu dicimus, poſſunt inde confirmari, quod in animantibus ceſſet venerea cupiditas, ubi primum utero gerunt; hebeſcat tunc ſaltem in fœminis, imminuto ſcilicet uteri ſenſu.

4. Debent etiam inter organa, quæ veneri favent, recenſeri vaſa cuncta, quæ ſecernendo ſemini vacant in fœminis, quippe quæ & ipſa in conſortium voluptatis veniunt. Ea autem ſunt

1. Proſtrata, qui fœminis uretrum ambit, & duobus oſtiolis ſeu *lacunis* ad latera uretræ in partem vulvæ ſuperiorem, ſubter clitoridem, ſecretum humorem ubertim profundit.

2. Glandulæ Cowperianæ, quæ in perinæo, iſthmi inſtar, inter anum & vulvam intercedente ſitæ ſunt, & juxta caruncularum myrtiformium radicem bino ductu pateſcunt ad vaginæ principium.

3. Glandulæ plurimæ, ſolitariæ, vel racematim congeſtæ, quibus vaginæ facies conſita eſt, unde humorem ſubviſcidum ſemini analogum excerni certum eſt.

4. Lacunæ variæ, cæcæ, per faciem vaginæ diſperſæ, unde depluit humor limpidus & ſubviſcidus, ſed paucus.

5. Demum, oſcula varia excretoria per internam uteri faciem diſtributa, e quibus prolicitur in actu venereo humor non paucus, ſubpinguis, quo uteri cavitas madet.

His præſuppoſitis, quæ in dubium venire non poſſunt, conſequens eſt fœminas poſſe vividioribus organorum impreſſionibus percelli, atque adeo ad venerem magis inflammari tribus de cauſis.

1. Si ſuccuſſiones, quæ debent memoratis organis imprimi ad movendum in fœminis veneris ſenſum & deſiderium, validiores ſint.

2. Si diſpoſitio peculiaris organorum ad excipiendas illas ſuccuſſiones neceſſario ita intendatur, ut excipiantur vividius.

3. Demum, ſi concurſu ſimultaneo utriuſque cauſæ, & motiones inferantur organis validiores, & ab iiſdem excipiantur vividius, unde debent veneris ſenſus & cupiditas augeri in ratione duplicata.

I. Succuſſiones, quibus in fœminis accenditur veneris deſiderium, ad tria revocari poſſunt.

1. Ad affrictus organorum ſæpe memoratorum, blandos, certi gradus & certæ ſpeciei, quibus titillantur.

2. Ad punctiunculas lenes, grataſque, quibus ſtimulantur.

3. Ad morſiunculas blandas, certæ & determinatæ intenſionis, quibus vellicantur. Qualis autem gradus, qualiſve ſpecies harumce motionum eſſe debeat, ut ſenſus venereus inde ſequatur, nulla certa ratione definiri poteſt. Id unum liquido conſtat differre illas a motionibus aliis earumdem partium, quibus dolor inducitur, ut motiones ventriculo & faucibus illatæ ad famem & ſitim, diſcrepant a motionibus earumdem partium, a quibus dolor.

Jam vero affrictus muliebrium hic locum non habent, quia fiunt a cauſis extrinſecis, quæ Furorem uterinum non producunt; ac proinde duas alias cauſas oportet tantum inquirere; punctiunculas ſcilicet, & morſiunculas, quæ eo-

dem proxime recidunt, & quæ inducuntur a ſemine vel ſeminali humore depluentibus in vulvam, vaginam, uterum, & illarum partium cavitates perluentibus.

Illæ autem punctiunculæ, ſive morſiunculæ vividiores ſunt, atque adeo ad venerem fortius exſtimulant.

1. Si ſemen, & ſeminales humores quantitate abundent.

2. Si acrimonia peccent.

3. Si ſimul abundent copia, & peccent acrimonia.

1. Abundant autem copia, ſi ſanguis ipſe, unde ſcaturiunt, abundet in corpore, ut in feminis:

Quæ laute, & opipare vivunt, & edulia, juſculenta, polytropha in cibos adhibent. *In genere*, ait S. Hieronymus, (*a*) *quodcunque cupediarum genus, omniſque ventris ſaturitas ſeminarium eſt venerei amoris.*

Quæ mollem & ſedentariam vitam vivunt, unde parcior tranſpiratio, qua ſanguinis quantitas non ſatis exhauritur.

Quæ habent organa ſecernendo ſemini a natura deſtinata, ampliora & patentiora ex conformatione nativa, unde uberior illius humoris ſecretio.

Demum, quæ ex frequenti cum viris conſuetudine, & iteratis muliebrium titillationibus, uberiore gaudent ſeminis proventu. Sic nemini non notum eſt iterata ſuctione lac in mammis, & repetito ptyaliſmo ſalivam in glandulis ſalivalibus copioſius ſecerni.

2. Semen peccat acrimonia præternaturali in feminis:

Quæ ſunt temperamenti bilioſi, atra-bilarii, & quarum ſanguis acer, muriaticus, ammoniacalis ſemen ejuſdem conditionis ſubminiſtrat.

Quæ veſcuntur cibis ſalitis, piperatis, fumo induratis, acrioribus; quæ vinum meracius, aut liquores ſpirituoſos bibunt; quæ ſeſe proluunt chocolata, aut decocto caffè, quæ ſingula ſunt veneris irritamenta.

Quæ ſanguinis fervorem, & acrimoniam intendunt vigiliis diutius protractis, aut animi pathematis vehementioribus, quibus ſanguis exardeſcit.

3. Fit concurſus utriuſque ſeminis vitii, nempe copiæ & acrimoniæ, quoties concurrunt cauſæ, a quibus utrumque ſolet induci; quas quidem, ſi non omnes, at ſaltem pleraſque non raro concurrere poſſe manifeſtum eſt ex affinitate, quam inter ſe habent.

II. Diſpoſitio peculiaris, qua organa quælibet ad vividius excipiendas ſucceſſiones illatas comparantur, in tribus conſiſtit.

1. In tenuitate & exilitate fibrillarum nervearum, quibus fit, ut ceteris paribus, facilius, celerius, fortius ſuccutiantur:

2. In tenſione majore earundem fibrillarum, quæ, ceteris paribus, idem præſtat:

3. In ſimultaneo concurſu tum exilitatis, tum tenſionis majoris fibrillarum nervearum, unde fit, ut earundem oſcillatio, ceteris paribus, facilior, celerior, fortior ſit in duplicata ratione.

1. Nerveæ autem muliebrium fibrillæ exiliores ſunt.

Ex primigenia conformatione; ſic conſtat organa quædam in his ſenſu gaudere acutiore, quam in aliis ſubjectis; imo vero in eodem ſubjecto partes eſſe quaſdam, quæ præ aliis ſentiant acutius.

Ex iteratione ſæpe repetita prægreſſarum ſuccuſſionum, ut in illis, quæ frequenti veneris uſui, vel muliebrium fricationi dudum aſſuetæ ſunt, unde fibræ nerveæ flexibiliores, & vibratiliores fiunt; quemadmodum in inſtrumentis muſicis compertum eſt fides ſive chordas, quæ ſæpius pulſatæ ſunt, acutius ſonare.

2. Fibræ eædem magis tenſæ ſunt, unde vibrantur fortius,

A na-

(*a*) In *Epiſtola ad Furiam*.

A nativa conſormatione. Inde repetenda eſt diverſa ſentiendi facultas in diverſis organis; ſic videt ille acutius, audit alter liquidius.

Ab exareſcentia, quæ accidit in feminis, quarum loci natura, vel morbo ſicciores ſunt.

Ab inflammatione phlogode muliebrium, quæ fibrillæ nerveæ diſtrahuntur validius. Inducitur autem illa tenſio phlogodes, vel ab erethiſmo, in quem fibræ uteri aguntur iteratis punctionibus & vellicationibus, quas ſemen acrius infert, vel a catameniis inſtantibus, maxime ſi diutius morentur & ſubſiſtant.

2. Demum, fibræ illæ nerveæ exiliores ſunt, & ſimul nimis tenſæ, quoties concurrunt, ſi non omnes, ſaltem aliquæ ex cauſis, quas memoravimus; & debent illæ ſæpius concurrere propter affinitatem. Quoties autem fit ille concurſus, toties inde futurum eſt, ut ſenſus rei venereæ intendatur in ratione duplicata tum nimiæ exilitatis, tum majoris tenſionis fibrillarum nervearum.

III. Porro tandem, ſi contingat duas cauſas hactenus recenſitas, quarum altera a ſeminis copia vel acrimonia, altera a nimia fibrillarum exilitate vel tenſione dependet, una concurrere, ut plerumque ſolent, quoniam affines ſunt fiet inde; ut *hinc* ſemine acriore & copioſiore nerveæ muliebrium fibrillæ fortius laceſſantur; & *illinc* ſimul motiones, quæ illis inferuntur, excipiantur vividius, quia cum ſint exiliores, & nimium tenſæ magis vibratiles ſunt; unde conſequens eſt fore, ut veneris ſenſus, cupiditaſque intendantur in ratione duplicata utriuſque cauſæ.

Secundo, Hactenus de effrænata in venerem propenſione diximus, qualis in *primo* morbi ſtadio, quæ tamen Furorem uterinum non facit, niſi ſuperveniat delirium, ſaltem melancholicum, de quo jam dicendum, ſed paucis.

Itaque 1. Ægrotæ, utcumque veneris cupiditate ardeant, quamdiu ſui compotes ſunt, ex naturali diſſonantia, ſeu heterocrania fibrarum cerebri, quibus in mente refricantur ideæ tum ſubjecti, tum attributi hujuſce propoſitionis: *Libidini obſequi nec honeſtum, nec licitum eſt*, id verum eſſe omni aſſeveratione affirmant, neque ab ea opinione dimoventur unquam, quantumvis æſtuant libidinis ardore.

2. Sed iteratis, ac frequentiſſimis fibrarum illarum ſuccuſſionibus, quæ ſimul fiunt, accidit tamen, ut fibræ acceſſu mutuo ad eumdem tonum perveniant, & ex diſſonis conſonæ, ſeu quod eodem recidit, vel heterocranis evadant iſochronæ, unde ægræ mutata opinione, jam ſibi ſuadeant: *Libidini obſequi haud turpe eſſe*, & inde *delirium melancholicum*, quod *ſecundum* morbi *ſtadium* conſtituit.

3. In principio tamen, præternaturalis illa fibrarum conſonantia morbo inducta ſibi non conſtat perpetuo, ſed varie variat diverſis de cauſis, ſi veneris cupiditas hebeſcat; ſi ſomni quiete præcipites fibrarum motiones compeſcantur; ſi anodynorum uſu fibræ relaxentur; ſi fervor nimius ſanguinis tepeſcat; ſi ægræ moniti, objurgationibus, imo verberibus ad officium revocatæ reſipiſcant, unde eſt, quod delirium melancholicum in illo morbi ſtadio plerumque mutabile ſit, vehementia & intenſione, & pariter mutabilia quoque ægræ dicta, factaque.

Tertio. Sed omnia in deterius erunt in *tertio* morbi ſtadio, in quo

1. Quidem, ut morbi diuturnitate, inter ſe tono perfectæ mutantur fibræ, quæ repræſentant ideas ſubjecti & attributi propoſitionis allatæ, ſic illæ tono quoque mutantur ſimul cum aliis fibris non paucis, quibus excitantur ideæ variæ, quæ ad venerem pertinent, ita ut jam conſonent cum fibris multis, quibuſcum diſſonabant antea; unde ægræ debent ex illa fibrarum mutatione affirmare, quæ negabant, & negare, quæ affirmabant; & hinc delirium varium & multiplex, cui Furor brevi quoque accedet, quippe quod ægræ a recta ratione deviæ,

viæ, & vehementiore ſpirituum motu concitatæ in omnes impetum facient furiatæ; quos omnes vident ſibi adverſari, atque inde *Delirium* vere *Maniacum*,

2. Notandum tamen in Mania, quæ Furorem uterinum facit, delirium tametſi latius pateat, quam melancholicum, non eſſe univerſale, ſed circa pauciora aliquot objecta verſari, quæ ad tres venas pertinent, ut modo dicebamus, unde prima mali labes, quod Maniæ uterinæ non proprium eſt, ſed convenit in omnem Maniam *deuteropaticam*, quæ delirium melancholicum conſequitur; contra quam accidit in Mania *protopathica*, in qua delirium multo latius patet. Sed hæc indicaſſe ſufficiat, quæ fuſius, & dilucidius explicabuntur in Tractatu *de Morbis Capitis*, quem brevi edituros eſſe ſperamus, ſi Deus vitam, & otium dederit.

§. III.

Differentiæ.

QUamquam Furor uterinus morbus ſit natura ſatis ſibi conſtans, ſuas tamen patitur differentias, non eſſentiales quidem, ſed quas tamen oportet præcognitas habere ad pleniorem morbi notitiam.

Itaque Furor uterinus.

I. Diſtinguitur ratione ſtatus, ſive ſtadii:

1. In *Incipientem*, in quo immodica quidem ſalacitas adeſt, ſed quam ægræ, adhuc ſui compotes & turpitudinis conſciæ, a qua abhorrent, fortiter reprimunt, vel caute contegunt.

2. In *Confirmatum* cum delirio melancholico, in quo invaleſcente morbo, ſalacitas ita effrænata eſt, ut ægræ jam deliræ, depoſita verecundia, ſi ſui copiam ultro non offerant, at ſaltem ſe ad opus paratas eſſe ſatis ſignificant geſtu, laſcivia, viva voce.

3. In *Deploratum* cum delirio maniaco, in quo morbus in Maniam erumpit, hoc eſt, in delirium magis univerſale cum furore, atque adeo in quo, depoſito omni pudore, ægræ impotenti animo, plane vecordes viros quoſcumque ad concumbendum ſollicitant, & urgent; & ſi renuant, in illum inſiliunt furibundæ.

II. Diſtinguitur ratione cauſæ in Furorem:

1. Qui a *vitio ſeminis fibrilllarum*, copioſioris vel acrioris, vel acrioris ſimul, & copioſioris, unde aucta in venerem ſtimulatio.

2. Qui a *vitio fibrillarum* nervearum muliebribus intextarum, quæ ſolito vibratiliores ſunt ob exilitatem, vel ob tenſionem, vel ob tenſionem ſimul & exilitatem, unde vividior ſenſus venerei perceptio.

3. Demum, qui a *vitio* tum *ſeminis*, tum *muliebrium*, in quo omnia ſunt magis intenſa in ratione duplicata cauſarum ſimplicium.

III. Diſtinguitur ratione ſymptomatum, quæ ſuperveniunt:

1. In Furorem *uterinum ſine delirio*, qualis eſt in primo ſtadio, dum incipit.

2. In Furorem *uterinum cum delirio melancholico*, qualis eſt in ſecundo ſtadio, ſive confirmatus.

3. In Furorem *uterinum cum delirio maniaco*, qualis eſt in ſtadio tertio jam deploratus.

§. IV.

§. IV.

Sympthomata.

SYmptomata Furoris uterini diverſa ſunt pro diverſo morbi ſtadio, ſed cuncta ex propoſita theoria facili negotio deducuntur, ceu totidem conſectaria.

I. In *primo* ſtadio,

1. Ægræ ſentiunt invitæ ſe flagrare libidine, ſed ſibi probe conſciæ *turpe & probroſum eſſe deſideriis iſtiuſmodi obſequi*, hærent anxiæ, ſolitariæ, ſegreges, meſtæ, meditabundæ, tacitæ.

2. Si nihilominus obſcænis cogitationibus perpetuo defixæ obtuſius afficiunur ab aliis quibuſcumque ſenſationibus, a fame etiam & ſiti, & inde eſt quod illæ nec eſuriant, nec ſitiant, quantacumque ſit eſuriendi & ſitiendi cauſa.

3. Imo vero tam vivida eſt illa de rebus venereis meditatio, qua perpetuo detinentur, ut fibræ cerebri, quibus illarum rerum ideæ refricantur, fortiter tenſæ ſine intermiſſione oſcillent, ex quo fit, ut illæ præter naturam vigilaces ſint.

4. Interim turpitudinis ſuæ conſciæ, & adhuc dum mentis integræ cupiditatem, qua æſtuant, conantur continere, vel caute contegere.

5. At vero ſi incederit ſermo procacior, ſi quid blanditiarum audiant, ſi ſe illecebris tentari putent, animi impotentes male tecta deſideria cito manifeſtant.

6. Solet tamen in illo ſtadio morbus inducias interdum habere, quas adhibita remedia, aeris vel tempeſtatis mutatio, diæta accuratior, critica quædam evacuatio producunt, & in quibus ægrotæ conſideratius ſe gerunt, & videntur reſipiſcere, quamquam raro perfecte; ſed dilucidis illis intervallis nimium non fidendum, quippe quod iis morbus recidivus brevi ſuccedat, priore pejor, & intenſior.

II. In *ſecundo* ſtadio.

1. Invaleſcente morbo, incipiunt tono ita perverti, ut ſupradictum eſt, fibræ cerebri, quæ rebus venereis refricandis natura deſtinatæ ſunt, ut cum ægræ certo conſcirent antea *licitum non eſſe libidini ſe dedere*, jam ex errore novo, qui eſt principium delirii melancholici, hæreant ancipites, & interdum mente conſiſtere videantur, inſanam cupiditatem reprimendo; interdum vero ſepoſita verecundia, libidini conentur obſequi, obvios quoſcumque procaciter alliciendo, vel aperte rogando.

Si qua ſpes eis affulgeat fore ut adipiſcantur quod cupide deſiderant, hilares garriunt, blandiuntur, quos detinent, ut properent, poſtulant, rogant, errore ductæ, quo tunc ſunt obcæcatæ. At ſi ſentiant ſpe ſua ſe deludi, mœrentes & querulæ recedunt muſſitando.

3. Verum omnia in dies magis ingraveſcunt, & naturalis fibrarum tonus ita tandem pervertitur, ut illarum diſſonantia abeat in perfectam conſonantiam, atque adeo ægræ tunc firmam ſibi perſuaſionem inducant *facile poſſe ſe libidini dedere*, & proinde dicant, faciantque omnia, quæ ſuadet turpiſſimus mentis error.

III. In *tertio* ſtadio.

1. Morbus in Maniam recidit, ut modo dictum eſt, & ægræ mente alienatæ maxime circa ea, quæ ad rem veneream pertinent, obſcæna, impudica verba proferunt continuo, obvios quoſvis notos, ignotoſve, ad opus ſollicitant, cunctantes urgent & compellunt; & ſi pertinacius reluctentur, eos pugnis & unguibus impetunt furibundæ.

2. Por-

2. Porro accedunt cetera ſymptomata, quæ Maniam comitari ſolent, ut agrypnia conſtans, famis, & ſitis defectus, fervor totius corporis, ſed ſine febre, frigoris tolerantia, alvi pigrities, urinarum paucitas, ſpiſſitudo, color croceus, &c. quibus explicandis ſuperſedemus, cum non ſint hujus loci.

IV. Præter hæc adſunt alia ſymptomata, quæ ad omnia morbi ſtadia perinde pertinere videntur. Sic,

1. Vellicatio fortior, quam ſemen acrius utero & vaginæ infert, erethiſmos fere continuos illarum partium ciet, unde convulſive contractæ vaſa ſtringunt circumflua, curſui ſanguinis obſiſtunt, atque adeo locum dant phlogoſi, qualem pluries in cadaveribus metromaniacarum (*a*) obſervatam fuiſſe legimus. Ea autem phlogoſis, ut interdum morbi cauſſam eſſe ſupra vidimus, ſic aliquando merum eſt illius ſymptoma, ſed quod, ſi ſuperveniat, morbi vehementia multum intenditur.

2. Inde minime mirum, ſi ferveant in Metromania, & exareſcant muliebria; ſi uteri & vaginæ parietes, ſeu tunicæ, rigeant; ſi vagina a rigentibus tunicis diſtenta tentigini (*b*) hiat perpetuo & adaperta ſit, quæ ſingula Obſervatione comperta ſunt.

3. Vero conſentaneum eſt inde quoque venire, quod in Metromaniacis Clitoris (*c*) valde turgeat ſolito grandior; quod ovaria ambo, vel alterutrum, tumeant præternaturaliter humore ſpiſſo, viſcido, purulento; vel oculis naturalem molem excedentibus plena ſint; quod tubæ ipſæmet ſimilem labem non raro participent, ut in pluribus ægrotis morbo defunctis (*d*) obſervatum eſt.

4. In metromaniacis *virus diſtillat* aliquando *ab inguine*, ſive quod petuclis digitis locos contrectando perpetuo, ut venerem ſollicitent, quid paucum ſcabendo eliciant ſpiſſum, viſcidumque, quod e vulva manat; ſive quod ab ulcere fiſtuloſo uteri vel vaginæ quid purulentum profundatur.

5. Liquet ex dictis in Furore uterino tumores, ſteatomata, hydatides, apoſtemata, puris colluviem, phlogoſim, uteri, & partium quæ utero cofines ſunt, ſæpenumero morbum antecedere tamquam cauſas, vel ſubſequi tanquam ſymptomata; & quoties alrerutrum evenit, quomodocumque eveniat, toties morbum induci, qui curationem nullam admittit abſolutoriam, ſed ex quo ægrotantes, poſt cruciatus varios plurimoſque, miſera morte, tardius citiuſve intereunt.

§. V.

Diagnoſis.

I. DIagnoſis morbi evidens eſt ſignis pathognomonicis, quæ recenſuimus; nempe ſalacitate effrænata, delirio melancholico circa venerea, & delirio maniaco, quod melancholico ſuccedit.

II. *Diagnoſis ſtatuum* ſeu *ſtadiorum* morbi non minus obvia.

1. Si adſit ſola ſalacitas effrænata, quam ægræ quidem mentis adhuc integræ conentur continere, aut ſaltem contegere, ſed cujus tamen interdum non obſcura præbeant indicia, *primus* erit morbi *ſtatus*, ſeu *primum ſtadium*.

2. Si

(*a*) Joſephus Lanzonus, *Miſcellan. Natur. Curioſor. Decur. III. Ann.* 5. & 6.
(*b*) Chriſtian. de Helvvich, *Ephemerid. German. Centur. I. & II. pag.* 310.
(*c*) Clitoris tumet etiam in Metromaniacis propter fricationem, qua abutuntur.
(*d*) Joh. Michaelis *Praxis Clinicæ Specialis Caſu* 22. Dominicus le Duc, *Zodiaci Medico gallici Ann.* 1. *Obſerv.* 7. Fridericus Lochnerus, *Ephemerid. Germanicar. Centur. VII. & VIII.* Stephanus Blancardus, *Anatom. Practicæ Centur. II. Obſervat.* 99. Item *Collectanea Medico-phyſica*, *Part. I. Obſerv.* 28. Carolus Philippus Geſnerus, *Actor. Phyſico-medicor. Volum. VI. Obſerv.* 30.

2. Si invaleſcente laſcivia incipiant deſipere, & delirio teneantur melancholico circa res venereas, ac eam perſuaſionem in animum inducant: *haud turpe eſſe libidini ſe dedere*, atque adeo ex opinione impure errante ſe gerant, adeſt *ſecundus* morbi ſtatus; ſeu *ſecundum* ſtadium.

3. Si furore actæ abſurda deblaterent varia, ſeu delirent cum furore circa plura; uno verbo, ſi maniacæ ſint, obvios quoſcumque compellant ad opus, impudicis geſtibus eos alliciant, & ſi reluctentur, incedant furioſæ, morbus tunc ad *tertium* ſtatum, ſeu *tertium* ſtadium pervenit.

III. *Diagnoſis cauſarum* morbi vere ardua foret, ſi opus eſſet eas accuratius dignoſcere, ſed ea diligentia nullam præbet utilitatem ad curationem, tum quia ambæ morbi cauſæ, vitia uteri cum vitiis ſeminis plerumque concurrunt, atque ideo ſimul methodo eadem curandæ veniunt; tum quia, ſi non concurrant, quod nec frequens eſt, nec diuturnum eſſe poteſt, eadem vel affinia poſtulant remedia.

§. VI.

Prognoſis.

Metromania, ſive Furor uterinus, morbus eſt probroſus, & dedecoroſus, cujus ignominia non ſolum in ægrotas recidit, ſed in propinquos etiam redundat.

In genere ſemper curatu difficilis eſt, quo delirio cuivis commune habet, tanto difficilior, quanto magis inveteratus. Quod ſi velis ſingula curioſius perſequi, oportet diverſos morbi ſtatus diſtinguere.

I. In *primo*, morbus, ut plurimum ſanabilis eſt, dummodo diligenter, ac cito illi occurratur, cum nondum acceſſit delirium. Fruſtra enim conaberis mederi, ſi tardius mederi cœperis, nec ullum aliud malum eſſe puto, in quo verius ſit verbum illud, quod vulgo dicitur:

Principiis obſta, ſero Medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

II. In *ſecundo*, ubi primrm adeſt delirium melancholicum, malum eſt fere immedicabile, quod tandem in fatuitatem & ſtultitiam abit, niſi mortem inferat celeriorem. Nonnumquam ſpes aliqua ſanationis affulgere videtur, ſi morbus inducias habeat frequentes, diuturnas, dilucidas, ſed quibus numquam fides certa, & ſine ullo recidivæ metu, quoniam ſemper periculum eſt, ne male ſopitum incendium reſurgat.

III. In *tertio* demum, in quo Mania, morbus inſanabilis merito cenſetur, cum vis ſpes ulla ſit, fore ut ægrotæ ad ſaniorem mentem revocentur, ſed omnes abſumantur (*a*) apoſtemate, ulcere, ſcirrho uteri, turbarum, ovariorum, quæ vitia Metromania intulit; vel in ſtoliditatem, & amentia morbi diuturnitate delabantur, donec mortem obeant.

IV. Indubitatis Obſervationibus comperta ſunt ſequentia, quæ ad prognoſim faciunt, & quæ ideo recenſere viſum eſt.

Metromaniam ſponte ſolvi.

1. Si

(*a*) Vide Auctores ſupra laudatos, *ad Symptoma* 3. *Art. IV.* §. *IV. p.* 365.

1. Si ægrota laboraverit immodico (*b*) catameniorum profluvio, ſeu hæmorrhagia uterina, quod inde emollita, & relaxata uteri facie, veneris ſenſus retundatur.

2. Si largior ſupervenerit hæomorrhoidum fluxus, quod per anoſtomoſes, quibus vaſa inter ſe communicant, venæ uteri exinaniantur dum hæmorrhoides fluunt, uteruſque inde detumeſcat, & relaxetur.

3. Si fluore muliebri largo, & diuturno ægrotans colliqueſcat, quo uterus madefit, & temperatur, atque adeo libidinis ſtimulis debilius patet,

4. Si ægra (*c*) imprægnetur, quod humor embryonis ſecundinis contentus, & inde reſudans, uteri tunicas emolliat, & relaxet, & ad libidinis incentiva reddat hebetiores, ſed facilis eſt morbi recidiva, niſi intra unum, aut alterum annum a puerperio iterum gravida fiat.

5. Si ſtrenue ſubagitetur, quod felicem quidem ſucceſſum pluries habuit in ipſo (*d*) matrimonio; ſed multo feliciorem, ſi vera narrant, (*e*) venere vulgivaga, quoties accidit, ut ægræ, quæ fugitivæ vagabantur, a nebulionibus pluribus compreſſæ fuerint.

6. Si uterus caſu procidens aeri permittatur, dum infrigidetur. Id relatum quidem novi ab Harveo ſolo, ſed qui unus inſtar plurium eſt. *Novi*, (*f*) inquit ille, *feminam nobilem, a furore, & melancholia uterina ultra decennium delirantem, cui poſtquam omnia fruſtra tentata eſſent, contingit prolapſus . . . Auctor fui*, pergit ille, *ut uterus non reponeretur, donec a frigore externo intemperies ejus deſerbuiſſet. Succeſſit res ex ſententia, brevique poſtea convaluit, atque uterus demum loco ſuo reſtitutus permanſit, vitamque etiamnum ſalubriter degit.*

§. VII.

Curatio.

QUot ſunt ſtadia in Furore uterino, totidem ſunt morbi peculiares, qui quantumcumque affines eſſe videantur, & ab eadem cauſa inducti, ratione tamen paulliſper diverſa, ſi non ſpecie, at ſaltem gradu debent impugnari, quam ideo diſtinctis articulis explicare neceſſum eſt.

Curatio in primo Morbi ſtadio.

In illo morbi ſtatu debent indicationes omnes eo intendere,

1. Ut ſanguis acrior, ſemenque inde deciduum, & ejuſdem vitii particeps, diluantur, & demulceantur.

2. Ut tota uteri, & vaginæ facies interna humefiat, & relaxetur ad ſalacitatem morboſam, & effrænatam compeſcendam.

3. Ut interim ægrotæ, quoad ejus fieri poteſt, ab obſcenis cogitationibus evocentur, & in viam regreſſæ animum ad ſaniora adjiciant, quæ ſingula ſequentibus auxiliis poſſunt obtineri.

I. Ad

(*b*) Alexander Benedictus; *de Curand. Morb. Libr. I. Cap.* 28.
(*c*) Dominicus Panarolus, *Pentecoſt. III. Obſerv.* 9. Johannes Matthæus de Gradibus, *Conſilio* 8.
(*d*) Zacutus Luſitanus *Prax. Medic. Admir. Lib. II. Obſ.* 93. Johannes Riolanus, pater, *Method. Medendi Sect. IV. Tract.* 2. *Cap.* 21. Dominicus Leo, *Art. Medendi Libr. II. Cap.* 9. Ambroſius Stegmannus, *Ephemerid. Germanic. Decur. III. Ann.* 1. *Obſerv.* 11.
(*e*) Alexander Benedictus, *de Curand. Morb. Lib. I. Cap.* 28. Thomas Bartholinus *Obſerv. Anatomic. Cent. II. Obſervat.* 69. Chriſtoph. Johann. Langius, *Praxeos Medic. Cap.* 24, §. *XV. Ubi laudant Obſervationem Plateri.* (*f*) De Partu, *extremo Libro.*

I. Ad diluendum, & demulcendum tum ſanguinem, tum ſemen, proſunt.

1. Sanguis miſſus e brachio, niſi exitus, vel exeuntia catamenia e malleolo mittendum eſſe ſuadeant. Oportet autem ſanguinem largius, & frequentius mittere, pro ratione ætatis, temperamenti, virium ægrotantium, & pro ſymptomatum vehementia.

2. Catharſis frequens cum purgantibus mitioribus, quorum virtus, & efficacia ſit idonea deducendæ primarum viarum cacochyliæ, & evacuandæ cacochymiæ ſanguinis, ſed quæ inteſtinis irritandis, convellendis, in ſpaſmos agendis minime par ſit, ne uterus in conſenſum trahatur.

3. Uſus juſculorum, aut apozematum, quæ fiunt

Cum radicibus Nymphææ, Althææ, Cichorei, Acetoſæ } ad ℥ j.

Cum foliis Nymphææ, Lactucæ, Portulacæ, Salicis, Lenticulæ paluſtris } ad m. j.

Cicutæ ad pugillos ij.

Cum floribus Nymphææ, Malvæ, Papaveris, Violarum } ad pug. ij. vel iij.

Ex quibus tria, quatuorve ſeligi debent, quæ magis probabuntur, & ex illis confici juſcula vel apozemata, ut artis eſt, bis in die, mane, & veſperi, longe a paſtu per plures dies continuos exhibenda, addendo cuilibet ſal prunellæ, cryſtallum mineralem, vel ſaltem ſedativum Hombergii, ad ʒj.

4. Serum lactis clarificatum, & charta bibula percolatum ad cyathos, ſive hauſtus quatuor in die, ſed longe a paſtu, in quorum unoquoque poteſt incoqui uncia una radicis nymphææ, in taleolas diſſectæ, vel dilui ſyrupi de nymphæa ſemuncia. Proderit efficacius idem ſerum, ſi pro omni potu exhibeatur, modo ægrotæ non repugnent.

5. Lac aſininum, bis in die ſumptum ad uncias novem vel decem, mane & veſperi, ſi ventriculus illud concoquat. Imo vero, ſi ægrotæ obſequioſæ ſint, & tædio hujus diætæ ſe faciles præſtent, conducibilius erit lac pro omni alimento adhibere, & loco tum prandii, tum cœnæ, ultra hauſtum lactis aſinini matutinum, & veſpertinum, hauſtus alios duos lactis vaccini, vel edulia varia lacte illo præparata exhibere.

6. Emulſiones bis in die mane & veſperi, quarum hauſtus quilibet fieri poteſt ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus ad ℥jß. vel ex

Semi-

Semine Lactucæ,
Portulacæ
Papaveris albi,
Cannabis. } a ℥iij. ad iv.

Quæ contuſa in mortario marmoreo diluuntur.

In aquis Diſtillatis
Nymphææ,
Lactucæ,
Portulacæ,
Endiviæ, } ab ℥iv. ad v.

In colatura diſſolvitur

Syrupus Violaceus,
Nymphææ,
Althææ } ad ℥j.

Solent ex illis ſeminibus, aquis & ſyrupis eligi, quæ maxime probantur, numero tamen pauciora, & ea doſi, quæ nec nimis amplum, nec æquo ſpiſſiorum hauſtum faciat.

7. Aquæ minerales acidulæ & chalybeatæ potandæ menſem, ſi tempeſtas faveat, quotidie a libris II. ad III., addito in primis hauſtibus ſale quodam chatartico, v. g. ſale *de duobus* ad ℥iij, ſale Polycreſto Rupellenſi ad ℥ß, ſale Epſomenſi eadem doſi. Inter aquas iſtiuſmodi commendantur maxime e noſtratibus, aquæ de *Vals*, *de Caranſac*, *de Buſſan*, *de Pouges*, *de Forges*, & inter exoticas, aquæ *de Spa*, *de Selter*.

8. Diæta accurata, juxta quam ex artis legibus, debent ægræ iis potiſſimum cibis uti, qui humectent, temperent, diluant, refrigerent, ut ſunt Olera varia.

Cucumeres,	Lactuca,
Melones,	Portulaca,
Borago,	Cichorium,
Beta,	Spinachia,
Endivia,	Artiplex.

Et Fructus horæi, ut

Ceraſa	Uvæ maturæ,
Fraga,	Pruna dulcia,
Poma dulcia,	Ribeſia.

Demum offæ, vel cremores oryzæ, cum juſculo tenuiore ex carne vitulina; vel gallina juniore.

Interdicendum eis vino, chocolala, decocto caffè, & carnibus omnibus uti, ſi vitulinam, pulloſque & cuniculos juniores excipias.

Demum exhibenda narcotica, quæ ſomnum concilient, ſi morbo parcior ſit breviorque.

9. Poſ-

9. Poſſunt propoſita remedia, ſi videbitur, vel viciſſim commutari, vel conjunctim præſcribi, modo invicem congruant; ſed oportet illis diu inſiſtere, neque enim exiſtimandum eſt, vitium tenax, & vix emendabile univerſæ humorum maſſæ alte inuſtum poſſe facili negotio corrigi, aut in melius verti.

II. Humefaciendo, & relaxando utero apprime conducunt interna remedia, de quibus jam abunde diximus, ſed multo efficacius externa ſeu topica, quæ ſequuntur.

1. Balnea, vel ſemicupia in aqua fluviatili egelida, in qua incocta fuerint folia plantarum emollientium, quas modo recenſuimus *Articulo præcedenti n.* 3. In illa ægræ bis in die demitti ſolent, & ibi contineri per duas horas, juſſæ manu vel ſpongia aquam in muliebria alte propellere, qua proluantur.

2. Clyſteres frequenter injiciendi,

Ex ſero Lactis,

Ex decocto, Lactucæ,
Portulacæ,
Umbilici Veneris,
Sempervivi,
Nymphææ,
Foliorum Salicis,
Viticis,

Quibus poteſt Oxycratum ad uncias aliquot addi. Ceterum ſemel recepti, debent diu contineri, ut refrigerationi & humectationi interaneorum tanto certior locus detur.

3. Immiſſæ per metrenchyten injectiones ſubtepidæ.

Seri Lactis

Decocti Hordei,
Lactucæ,
Aliarumve plantarum modo recenſitarum,

Quæ debent in uteri cavitatem caute propelli, ſi illius os dehiſcat, ut in illis plerumque ſolet, & in eo aliquandiu ſubſiſtere, ægris ad ſitum congruum compoſitis. Si morbus urgeat, proderit ſingulis injectionis unciis addere ſemidrachmam, vel drachmam unam ſucci Solani, *Morellæ* dicti, Sempervivi, imo etiam Cicutæ.

4. Peſſaria in vaginam intruſa, quæ varie conficiuntur, nam modo telæ particula in formam rotuli convoluta, vel ſpongia mollis in longitudinem ſecta, ſpiſſo & frigido decocto herbarum aliquot emollientium, quas recenſuimus, imbuta vaginæ inſinuatur; modo vero ſacculus oblongus linteus, plenus pulpæ earumdem plantarum, in vaginam intromittitur; ſed qualiacumque fuerint, oportet introducta peſſaria identidem removere, & recentia reponere, ne mora nimis incaleſcant.

5. Hirundines plures, paucioreſve, prout opus eſſe videbitur, margini prodicis admotæ, maxime ſi phlogoſi tumeat, quoniam illarum ſuctione ſanguis ab uteri vaſis revellitur, quibus cum venæ hæmorrhaidales multiplici anaſtomoſi communicant, unde depletis vaſis ſubſtantia uteri relaxatur. Non is ego ſum, qui velim id auxilii genus prædicare tanquam abſolutorium, ſed cum juvare aliquando poſſit, nunquam lædere, noluerim illud omitti.

 III. Dum

III. Dum tentantur remedia, omni ope & opera annitendum; ut ægræ ab obſcænis cogitationibus avocentur, & melancholiæ modum ponant; in quem finem,

1. Crebris cohortationibus, monitionibus, increpationibus excitandæ, erudiendæ, continendæ ſunt, ut ipſæ ſuam laſciviam perhorreſcant, & pudore ſuffuſæ deſideria ſua refrænent, & tandem e corde evadant.

2. Curandum, ut conſuetudinem jungant cum ſodalibus prudentibus, probatæ virtutis, ſed feſtivis & hilaribus, quibuſcum poſſint lepide & urbane verſari, & quarum exemplo & colloquio ad ſaniorem mentem paullatim reducantur.

3. Occupandus illarum animus ambulatione, chorea, epulatione, villicatione, peregrinatione, ut omni gaudio expletæ ab obſcænis cogitationibus, in quibus defixæ ſunt, abſtineantur. Præſtaret quidem negotia domeſtica illis demandare, ſi ſedulo operam dare vellent, ſed plerumque vel nolunt, vel nequeunt.

4. Caute illis interdicendum omne de re venerea colloquium, libri amatorii, laſciva cantica; & ſedulo cavendum ne viris ullis utantur familiarius, nec in conſuetudinem ullum admittant omnino, præſertim eos, quorum amore teneri videbuntur.

5. Proſpiciendum, ut non incubent culcitæ plumeæ, *lit de plume*, vel laneæ, *metelas*, unde lumbi ardentius incaleſcerent, atque adeo æſtus muliebrium, qui jam nimius eſt, magis intenderetur; ſed culcitæ ſtramento molliore plenæ, *une pailaiſſe*, vel ad ſummum ſeta equina, vulgo *crin*, fartæ.

6. Ultimo, ſi hæc ex optato non proficiant, omiſſa cunctatione connubio jungendæ, ſi non obſtet vitæ inſtitutum, cum amaſiis quidem ſuis, ſi commodum fuerit; ſin minus, cum adoleſcentibus venuſtis, qui amabiles ſint, ſi non amati, quæ medicina in illo morbi ſtadio certiſſima eſt & efficaciſſima, ut ſupra dictum eſt, §. VI. *De Prognoſis*, *n.* 5.

In ſecundo ſtadio.

Cum accedente delirio melancholico, omnia tunc in pejus ruant, neceſſum eſt remedia adhibere diligentius majore doſi, & ſelecta inter efficaciſſima, ſed ex iiſdem tamen familiis, cum indicationes curatoriæ eædem ſint.

Itaque

1. Balneatio adhibenda frequentior & bis in die, in aqua ſubfrigida, capiti iterato ſuperfundenda, in qua ægræ per duas horas detinendæ ſi fieri poſſit.

2. Oportet experiri omnia remediorum genera in præcedente ſtadio propoſita, ſanguinis miſſiones frequentes, ſerum lactis pro omni potu, vel ptiſanas valde refrigerantes, juſcula aut apozemata diluentia, & temperantia, emulſiones, aut julepos, aquas minerales, &c., quibus diu eſt inſiſtendum, ut morbi ferocia debelletur, vel ſaltem retundatur.

3. Curandum, ut ægrotis nutritio ſufficiens, imo larga ſubminiſtretur, ſed ex alimentis eupeptis, & refrigerantibus, qualia propoſuimus in præcedente ſtadio.

4. Si noctes ducant inſomnes, aut irrequietas, narcotica exhibenda ſunt doſi modo congrua, inter quæ primas tenent tinctura anodyna, a gutt. XXIV. ad gutt. XXX. vel laudanum opiaticum, a gr. I. ad gr. II.

5. Purgari debent frequentius, & catharticis validioribus, ſcilicet in *forma liquida*, cum decocto ℥iij. folliculorum ſennæ, & ʒij ſalis de *duobus* in colatura diſſolvendo ʒij & addendo Diagridii gr. x. vel xv. In *forma* vero *ſolida* cum bolo,

bolo ex Diagridii & Jalappii pulverati *ana* gr. xij. additis gr. VIII. radicis Hellebori nigri pulveratæ, ea cautione, ut dum operatur medicina, exhibeatur unaquaque hora hauſtus juſculis levioris carnis vitulinæ cum foliis aliquot cichorei coĉti.

In tertio ſtadio.

Ubi primum Mania ſupervenit, morbus fere deploratus eſt, neque tamen omnis ægrotantium cura ideo deponenda, ſed contra eo diligentius enitendum eſt, ut illarum miſeriis, quoad ejus fieri poterit, quid levamenti conferatur.

In quem finem,

1. Frequenti balneatione opus eſt in aqua frigida, quæ capiti iteratis vicibus debet ſuperfundi, & in qua ægræ detinendæ ſunt quandiu vires ſufficient.

2. Sanguis largiter, & pluries mittendus e brachio, e talo, e collo donec imminutis viribus reprimatur ægrotantium furor, & ſuæ debilitatis conſciæ famulantium monitis ſint magis obſequioſæ.

3. Mochlica purgatio ſæpius iteranda cum catharticis draſticis, aut cum vomitoriis, qua quicquid vitioſum ineſt non ſolum inteſtinalibus viis, ſed etiam viſceribus omnibus, quæ cum inteſtinis communicant, efficaciter ſubducatur.

4. Uterus fervens injeĉto oxycrato frigido, vel parum tepido temperandus eſt identidem, ſi ægrotæ huic remedio ſe faciles præſtent, ut ſe plerumque præſtant, quoniam ipſæ quærunt remedia adverſus pruritum & caloræm uteri, quibus ſe cruciari ſentiunt.

5. Ægris, ſi noĉtes inſomnes ducant, ut fere perpetuum eſt, narcotica exhibenda, doſi quidem magna, quæ ſomno conciliando par ſit, ſed quam neceſſum eſt partitis vicibus dare per intervalla, ne quid detrimenti ſuccedat a nimia doſi ſimul & ſemel data.

6. Curandum, ut utantur viĉtu largo, ſed eupeto & refrigerante, ac demum ſi vehementius ferociant, verberibus mulĉtandæ, imo vinculis coercendæ, ne violentas manus ſibi, vel adſtantibus inferant.

§. VIII.

Remedia quædam, quæ adverſus Furorem uterinum commendantur.

I. A Pleriſque (*a*) Medicorum certatim laudatur Camphora, ſeu ſpecifica ad libidinis æſtus compeſcendos in Furore uterino. Datur in ſubſtantia a gr. x. ad xv. in quocunque vehiculo, vel forma boli. Aliquando illius fruſtulum granorum duodecim inflammatum in hauſtum aquæ projicitur, qui deinde exhibetur putandus.

Miror undenam nata ſit ea opinio de virtute Camphoræ anti-aphrodiſiaca, an ex decantatiſſimo illo verſiculo,

(a) Vide Michaelem Ettmullerum. *De Morbis Mulierum Cap.* 2. Et alios paſſim.

Camphora per nares caſtrat odore mares.

qui non alio nitebatur fundamento, quam præjudicio falſo, quo Camphora qualitate frigida eſſe cenſebatur, quam tamen conſtat calidam eſſe.

Ipſe quidem experientia compertum habeo vulgarem de Camphoræ virtute opinionem, ſi non falſa ſit, at certe perpetuo veram non eſſe, nam in feminis duabus ab utero furentibus Camphoram fruſtra adhibui & pluries, & magnis doſibus.

II. Si Etmullerus (*b*) audiatur, Furori uterino prodeſt efficaciter liquor limpidus & aquoſus, qui extillat *e tenerioribus ſalcium ramis, dum verno tempore amputantur.* Propinatur autem ille ſuccus, vel ſolus, *vel ex farina illo ſubacta placenta conficitur, quæ ægrotæ data omnem ad venerem propenſionem extinguit. Idem etiam facit*, pergit ille, *decoctum ſalicis junioris, aliquoties epotum jejuno ſtomacho, nam & hoc omnem appetitum venereum cohibet, quin & interdum mulieres omnino ſteriles facit.*

Tam diſertis promiſſionibus plene perſuaſus in feminis iiſdem non liquoris ex reſectis ſalicum ramis depluentis, qui non erat ad manum autumnali tempeſtate, dum illas ope medica conabar adjuvare, ſed decocti foliorum ſalicis periculum feci iterato & magna doſi, at vero ne hilum quidem me profeciſſe memini.

III. Agnus caſtus ſive Vitex ad compeſcendos libidinis ſtimulos celebratiſſimus eſt. Decoquitur in juſculis, apozematis, ptiſanis, aut injectionibus uterinis. Illius virtutem uſu nondum exploravi, ſed vim ejus anti-aphrodiſiacam merito dubiam reddunt amaror & acrimonia, quæ in maſticatis foliis & præſertim ſeminibus percipiuntur. Adde quod Vitex ad menſes ciendos (*c*) uſurpetur, argumento maximo illum virtute anti aphrodiſiaca minime pollere. Porro tamen, cum ex ejus uſu nihil diſcriminis impendeat, cauſa nulla eſt cur non liceat unicuique pro lubitu periclitari, ſi occaſio fuerit.

IV. Vidimus ſupra in *curatione ſtadii primi* opus eſſe, ut ægrotæ incubent culcitis ſtramento molliore plenis. Volunt autem, qui viticis efficaciam laudant, ut ex foliis ejuſdem ſiccis ægrarum culcitæ infarciantur; exemplo ſcilicet ducto ab *Athenienſibus Matronis, quæ in Theſmophoriis*, ſeu ſacris Cereris *caſtitatem cuſtodientes, foliis viticis ſeu Agni caſti cubitus ſibi ſternebant*, referente (*d*) Plinio, & (*e*) Dioſcoride, cui conſilio non repugnavero, quamvis de virtute viticis mihi certo non conſtet, modo prius monuero, ut quotidianus labor inde impendatur in reficiendis culcitis, quoniam ſicca viticis folia in pulverem cito reſolvuntur.

V. Medici, qui de Furore uterino diſſeruerunt ceteris diligentius, (*f*) Sennertus, (*g*) Riveriuſque, inter alia ſimplicia vere anti-aphrodiſiaca, nonnulla numerant, quorum poteſtas longe diſpar, ut Anethum, ſemen Dauci, lignum Aloes, Rutam, Mentham, ipſam etiam Terebinthinam, &c. quæ cum acria ſint, & ad menſes movendos efficacia, immoderatam veneris cupiditatem potius inflammare, quam mitigare valent, qua de re monere viſum eſt, ne quis tantorum Virorum auctoritate motus, imprudens credat remedia iſtiuſmodi adverſus Furorem uterinum cum ſucceſſu adhiberi poſſe.

VI. Ii-

(*b*) *Ibidem.* (*c*) Dioſcorides, *Lib. I. Cap.* 135.
(*d*) Hiſtor. Natural. *Lib. XXIV. Cap.* 9.
(*e*) *Lib. I. Cap.* 135.
(*f*) Practio *Lib. V. Part. II. Sect.* 3. *Cap.* 5.
(*g*) Praxeos, *Lib. XV. Cap.* 5.

VI. Iidem encomiis nimium extollunt remedia quædam, quæ ſpes datas minime impletura eſſe videntur. Sic Sennertus (*h*) laudat aquam quamdam, quam *caſtitatis* appellat, & quæ ſpecies eſt Julapii ex commixtis aquis diſtillatis.

> ℞ *Aquar. Menthæ, Chelidoniæ, Anethi, Liliorum convallium, Liliorum alborum, Nymphææ*, ana ℥j. M. *Doſis unc. ij. vel iij.*

Laudat idem aquam aliam ex plantis pluribus diſtillatam, quæ ſequitur.

> ℞ *Fol. Nymph. Vitic. Salic.* ana *m. iij.*
> *Lactuc. Portulac. Umbilic. Veneris*, ana *m. j.*
> *Semin. Lactuc. Papaver. quatuor Frigidorum majorum*, ana ℥ß.
> *Aneth.* ʒ ij.
> *Florum Nymph. m. j.*
> *Violar. m.* ß.
> *Contundantur omnia recentia, & irrorentur ſucco Limonum, ac ſtent in digeſtione horis 24. poſtea diſtillentur, & diſtillati ſingulis libris add. Camphoræ* ʒi. *Servetur ad uſum.* Doſis ℥. j.

Quod totidem verbis apud (*i*) Riverium legere eſt. Sed hæc ambo remedia in Furore uterino parum prodeſſe puto gemina de cauſa,

1. Quod in compoſitionem admittant plantas aliquot, ut Mentham, Chelidoniam, Anethum augendæ potius quam ſedandæ veneri natas:

2. Quod certum ſit aquas ex plantis diſtillatas minus valere, quam earumdem decocta, quamobrem in uſum non veniunt, niſi cum plantæ recentes deficiunt.

VII. Cicuta ab omnibus Medicis antiquioribus commendatur ad Furorem uterinum, ex cujus foliis contuſis parabant cataplaſmata lumbis & pubi apponenda, & cujus expreſſum ſuccum admiſcebant cum uterinis injectionibus, imo etiam guttatim infundebant hauſtibus variis ore aſſumendis; quam medendi rationem ut confirment, adducunt auctoritatem, tum B. Baſilii, qui ait (*k*) *ſe vidiſſe quaſdam feminas, quæ potione Cicutæ extinxerunt rabioſas cupiditates*; tum B. Hieronymi, qui (*l*) ſcribit *Hierophantas Pontificatum adeptos Cicuta ſe caſtraſſe.*

Quid de virtute anti-aphrodiſiaca Cicutæ ſentiendum ſit, ipſe ignoro, ut qui nullum periculum feci, ſed opinor huic plantæ auctoritatem conciliatam eſſe ex falſo præjudicio frigidam eſſe, cum e contra conſtet eſſe calidam. Sed id commodi accidit, quod jam liceat rem tuto periclitari, ex quo notum eſt ſuccum Cicutæ leviter inſpiſſatum ægris carcinomate laborantibus quotidie ad multa grana ſine diſcrimine exhiberi, qua de re plura infra, *Libr. II. Cap.* 7.

VIII. Ut primum varia Chimiæ præparata in medicum uſum recepta ſunt, non ceſſavere quicunque Chimiæ nimium credunt, ad morbos multos, & ſpeciatim ad Furorem uterinum obtrudere præparata multa: ex Saturno potiſſimum Saccharum Saturni, cujus grana aliquot in injectionibus uterinis, & quod gravius eſt, in ipſis hauſtibus, qui ore aſſumuntur, diſſolvenda proponunt. Sed hunc uſum, nec injuria, improbavimus ſupra *pag.* 107.

(*h*) *Ubi ſupra.* (*i*) *Ubi ſupra.*
(*k*) Homil. V. ſupra Hexaemer.
(*l*) Contra Jovinian.

IX. Supereſt quæſtio majoris momenti. Nonnulli Medicorum (*m*) auctores ſunt, ut titillando muliebra feminarum ab utero furentium, proluvium corrupti ſeminis proliciatur, unde prima mali labes, quod alii (*n*) nefas eſſe cenſent, & religione vetitum. Non noſtrum eſt tantam litem componere, de qua viderint quos pene jus eſt & norma decidendi; ſed illos monitos velim deciſionem fruſtra futuram eſſe quod ad factum, quandoquidem ægrotantes ipſæ naturæ vel potius morbi ductu ſeſe fricant perpetuo, nec aliena petunt aut expectant auxilia, in quo ſibi peſſime conſulunt, ut quæ fricationibus illis cupiditatem nedum ſedent, ſed magis exaſperant. Verum ſurdis canas, ſi eas ab illa turpitudine hortatu coneris dimovere, a qua arceri non poſſunt, niſi vinciantur.

(*m*) Varandeus, *De Morbis Mulierum, Lib. I. Cap. 5.* & Antiquiores omnes.
(*n*) Riverius, *ubi ſupra.*

TRA-

TRACTATUS DE MORBIS MULIERUM.

LIBER SECUNDUS

De Morbis, qui a diverſa uteri conditione dependent.

CAPUT PRIMUM.

De Uteri inflammatione.

§. I.

Ejuſdem deſcriptio, & ſpecies.

PArtes omnes humani corporis præternaturali ſanguinis affluxu corripi poſſunt, quem ſubſequuntur partis affectæ tumor, tenſio, rubor, calor, dolor, atque febris ipſa haud infrequenter, dummodo illa graviora appareant; hujuſmodi infartus ſpecies communi nomine *tumores inflammatorii* appellantur, qui morbi intenſione diverſa diſtinguuntur, in *phlogoſes* dum leviora, & *phlegmones* dum ſæviora oſtendunt ſymptomata.

Præter inflammationem tres ſuperſunt tumorum ſpecies *Eryſipela* videlicet, *Oedema*, atque *Scirrhus;* inflammatio enim, vel ſimplex eſſe poteſt, quæ inflammationem *Phlegmonoſam* gignit, vel alterutro eorum tumorum complicata, a quibus *Eryſipelatoſa*, *Oedematoſa*, vel *Scirrhoſa* nuncupatur.

Uterus æque ac ceteræ corporis partes inflammationi eſt obnoxius, ab his in hoc tamen differt, quod externarum partium tumor, calor, rubor facile morbi indolem aperiant; at uteri inflammatio in abſcondito latitans, niſi per phœnomena, quæ extrinſecus præſefert, deduci poteſt.

Ex eo enim de uteri tumore, atque tenſione judicamus ab aucto imi ventris volumine, ejuſdemque tactui reſiſtentia; ipſius calorem indicat regionis hypogaſtricæ calor; pubis, & vaginæ præſertim; ruborem vaginæ rubor oſtendit, ſi eo uſque obſervatio pervenerit, quod etiam a calore, quem animadvertit ægra, ceteriſque externis ſignis facile deducitur; dolorem ægræ querelæ ſatis demon-

ſtrant, atque uteri tactu ſumma ſenſibilitas; febris tandem, uteri inflammationis indiviſibilis comes, pulſibus manifeſtatur.

His, quæ ad uteri inflammationem eſſentialiter pertinent, alia plura leviora ſuperadduntur phænomena tamen non contemnenda; hujuſmodi ſunt Lochiorum, aut Menſium ſuppreſſio, ſi tunc temporis morbus occurrat. Verum urinæ ardor, ac mingendi difficultas, alvi dejectiones raræ, & moleſtæ, cordis anſietas, ſingultus, vomendi conatus, capitis dolor, ſed oculorum præſertim, ſopor denique, delirium, vigiliæ, dentium ſtridor, motuſque convulſivi, tum pulſuum exiguitas, ac inæqualitas; pubis tandem, inguinis, lumborum, femorum, atque cocigis dolor aggredi ſolet.

Quamvis inflammatio unam indolem conſtanter ſervet, iiſdemque plerumque morbis copuletur, nonnullæ tamen differentiæ animadverti poſſunt.

1. Morbi gradu, ſi inflammatio levioribus ſymptomatis affecta tumor, tenſio, calor, ac dolor mitiores exiſtant, nullaque paucave febris ſuperveniat, tunc *phlogoſim* appellari cenſuimus, *phlegmonem* contra, ſi illa ſævire, ac febris augeri minentur.

2. Morbi extenſione, ſi inflammatio enim, quod raro contingit, totum uterum afficiat *univerſalis*; ſi illius partem aliquam, *partialis* dicitur; pars hæc affecta eſſe poteſt antica, vel poſtica; dextera, vel ſiniſtra, ima, ſeu fundus, ſuperior, ſeu collum uteri, quod novas producit varietates.

3. Morbi natura; nam, ut ſupra enunciavimus cum de inflammatione generice differuimus, vel ſimplex erit, ſuumque nomen retinebit, vel eam inflammationem phlegmonoſam appellabimus; aut eryſipela, œdema, ſcirrhumque conjunctum habet, ideoque *eryſipelatoſa*, *œdematoſa*, aut *ſcirrhoſa* inflammatio vocabitur.

4. Poſtremo; inflammatio internam, vel externam uteri ſuperficiem, aut ipſius ſubſtantiam invadit, ac tres alias inflammationis ſpecies gignit.

§. II.

Cauſæ.

SAtis de inflammationis indole locuti ſumus dum tumores examinavimus, quare ne ſuperallata inutili ſermone repetamus neminem latere putabimus.

1. Inflammationem in genere a tribus potiſſimum cauſis oriri:

Ab infartu partis affectæ utriuſque generis extremorum vaſorum ſanguineorum, in quibus ſanguinis copia lumen eorum nimis repleat, ac parietes diſtendat, a quo prior inflammationis gradus, ſeu *phlogoſis* tantum originem agnoſcat.

Si in illis vaſibus coacervatus ſanguis in lateralia lymphatica vaſcula irrumpat, ſecundum oritur inflammationis genus, ſeu *vulgaris inflammatio*.

Verum ſi ſanguis labefactatis utrorumque vaſorum extremis in circumpoſitum cellularem contextum erumpat, tertium producitur inflammationis genus, ſeu *inflammatio ſyſtrophica*, quæ ad ſuppurationem vergit.

2. Tres vero hujuſmodi inflammationis cauſas inter ſe ita conferre poſſe, ut maxima, vel nimis protracta capillarium repletudo irruptionem in lymphatica inducat, ac utraque ceteris paribus eruptionem faciat.

3. Quod omnis inflammationum lex eo collineet ad cauſas nempe ſtatuendas, quæ vaſorum ſanguineorum infartum pariant, quo neglecto neceſſario poſteriora irruptionis, eruptioniſque phœnomena oriri poſſunt, atque debent.

Hæc ſi uteri inflammationi applicaveris facile innotuerit;

1. Hanc peculiarem inflammationem vel a nimia replezione uteri ſanguineorum

rum vaſorum ; vel a ſanguinis hinc orta , in lymphatica irruptione ; vel a lymphæ, aut cruoris, diſciſſis extremis vaſculis, in uteri textura eruptione originem ducere.

2. Verum has duas poſteriores cauſas a priori ita derivare, ut ad originem hujuſmodi inflammationis inveſtigandam nihil amplius requiratur , quam nimiæ vaſorum ſanguineorum repletionis cauſas indagare.

His poſitis cognita ſanguinis in œconomia animali circulatione facile patebit, hujuſmodi repletudinem a tribus præſertim cauſis nanciſci, vel quod ſanguis ad uteri vaſa præternaturali confluat copia; vel quod ab iis minori quantitate refluat , quam opus requirat ; vel quod ambæ hæ cauſæ , nimius ſcilicet affluxus , ac imminutus refluxus ſimul concurrentes inflammationem promoveant.

Ecce vobis præcipuæ, & univerſaliores cauſarum uteri inflammationem producentium claſſes, reliquum eſt, ut ſpecialiter eas perpendamus , in quibus , ut clarius procedamus, ſit.

I. *Claſſis*. Sanguis in utero redundat, ſi ille, qui vicinas partes debet irrigare; retrogrado curſu irrito in uterum irrumpat

1. Id evenit quoties uteri partes propinquiores jam inflammatione laborantes reſpuant ſuperventurum ſanguinem, ex hoc enim veſicæ, inteſtinorum, atque hæmorrhoidum inflammationi uteri inflammatio ſuccedit

2. Quoties vero in his partibus preſſio ſanguinis circulationem intercipiat , vel ſegniorem ſaltem reddat ; qua de cauſa uteri inflammationem ſæpe inducunt validi , crebrioreſque vomendi conatus, alvi fluxus, tormina, teneſmus, atque moleſta tuſſis.

II. *Claſſis*. Sanguinis neceſſarius refluxus minuitur, ſi uteri venæ contractæ, aut compreſſæ diametro coerceantur.

1. Venas uteri contrahunt cauſæ omnes, quæ in eo fibras delicatiori præditas ſenſu valeant crebro, vehementerque irritare; at hæ innumeræ eſſe poſſunt, ex: gr:

Repentina lochiorum , aut menſium ſuppreſſio , ab ſubita conſtipatione , inopinato metu, gravi dolore orta, aut peſſariorum, vel injectionum adſtringentium abuſu:

Validiores uteri contractiones a nimia venere, ipſo adhuc infirmo, aut injectionibus ſtimulantibus nimis:

Fortior internæ uteri ſuperficiei irritatio per acres injectiones, aut in ejuſdem cavitate per embrionis, vel placentæ putreſcentiam excitata:

Omne, quod uteri ſubſtantiam lacerare, vulnerare, aut aliquo modo lædere valet, uti abortum promovendi, contemnenda methodus; longiores, ſævioreſque partus anguſtiæ; ſecundarum, aut fœtus violenta extractio, unguium læſio ab obſtetricante imperito facta, vel ab aliquo inſtrumentorum, quibus in partu præternaturali uti ſolet; imi ventris vulnus uſque ad uterum protractum , vel ictus, qui utero etiam damnum inferat.

2. Venas uteri comprimunt intumeſcentia , aut durities propinquiorum vaſorum.

Hujuſmodi ſunt uteri lactifera vaſa , quæ expanduntur ab acquiſita humoris lacticinoſi ſpiſſitudine, qui in illis coacervatus indureſcit ; hujuſmodi cenſus ſunt tubercula in glandulas enata, ubi per vaſa lymphatica fluens lympha mora denſatur.

Tales ſunt ſcirrhi aut ſcirrhoſi infartus inter diverſos uteri anfractus geniti a cauſis infra enunciandis *Cap. V.*

Animadverti enim oportet cauſas omnes uſque adhuc allatas venarum uteri compreſſionem paulatim generare, ideoque ab his raro uteri inflammationem oriri,

oriri, quæ eſt repentina vaſorum repletudo a celeri cauſa producta, illa tamen niſi immediate, mediate ſaltem inflammationem poterit excitare, ſi ipſa occurrat alterutra earum cauſarum conſociata, atque ex eo inflammationis gradus augeatur.

III. *Claſſis*. Sanguis præternaturaliter in aliquam uteri partem influit, ab altera deficit, ſi qua ſimul prioris claſſis cauſa cum aliqua ſecundæ claſſis concurrat, ab hac copula; quæ facilis, & frequens eſt, augetur inflammatio in ratione intenſionis, & numeri cauſarum concurrentium.

Cauſæ ſuperallatæ ſufficiunt, & valent ex ſe ad inflammationem producendam, & ab his majores, & pernicioſiores fiunt, ſi ſimul copulentur diſpoſitiones antecedentes, quæ illas actuent, vel quæ uterum diſponant, ut intenſiores impreſſiones valeat ſuſcipere.

Eæ antecedentes diſpoſitiones duplicis ſunt ſpeciei; aliæ univerſales, quæ a quantitate, aut natura ſanguinis dependent; peculiares aliæ, & locales, quæ ſpecialem uteri, vaſorumque conditionis rationem habent.

Generaliores diſpoſitiones ſunt plethora, ſive ſanguinis redundantia, ejuſdem expanſio, aut ad raritatem prædiſpoſitio, quæ plethoræ æquiparatur; acris, & biliosa humorum craſis, quæ ſanguinem reddit rarefactionis minima de cauſa ſuſceptibilem, cui additur vini, liquorum ſpirituoſorum, Cocholatæ, aut Caffè immoderatus uſus; vigiliæ continuæ; animi pathemata, ira, nimius corporis motus, urens tempeſtas &c. Cauſæ potis ſunt omnes ſanguinem nimis rarefacere, atque commovere, ejuſdemque motum per vaſa maxime intendere: Locales, ſeu peculiares hujuſmodi diſpoſitiones ſunt laxitudo naturalis, aut atonia texturæ uteri, a quibus deficit neceſſarium robur, quo vaſa ſe contrahendo progreſſui ſanguinis faveant; obſtructio, ſcirrhi, aut ſcirrhoſi infartus, qui haud raro uteri fluxum inducunt; varices vaſorum, quæ facile ſtaſim ſanguinis permittunt; vitium quodque peculiare alicujus uteri partis, uti eroſio, vulnus, ulcus, &c. in quibus impedito ſanguinis circulo ejuſdem curſus quodammodo intercipitur.

Reliquum eſt, ut ejuſdem diſpoſitionis indolem, & gradus perpendamus varias rationes inveſtigando: quæ cum diverſis uteri inflammationis cauſis habere poſſunt, quod obtineri poteſt recto judicio, quod efformabimus a magnitudine inflammationis pertractandæ, a gravioribus phœnomenis, quibus conſociatur, & conſequentiis, quas præcaveri oportebit.

§. III.

Differentiarum explicatio.

I. DIfferentia. Inflammationis magnitudinem facit duplex cauſa, intenſitas nempe cauſarum producentium; & uteri conditiones antecedentes; ſi eæ cauſæ ambæ ſimul vehementer agant, inflammatio maxima eſt, & phlegmone nuncupatur; ſi alterutra earum cauſarum tantum adſit, inflammatio mitior evadit; tandem phlogoſis dicitur, ſi cauſæ illæ leniter uterum perturbent, ut ſanguinis modicum affluxum inducant.

II. *Differentia*. Inflammationis poſitus ab cauſarum explicatione dependet multiplici ratione diverſa; at ſpeciales uteri partium conditiones, aut antecedentes ejuſdem alterationes hanc, vel illam uteri portionem plus, minuſve iis morboſis cauſis ſubjiciunt.

III. *Differentia*. Præter eam inflammationem tres aliæ dantur ſpecies, quæ Oœdema, Eryſipelia, Scirrhumque comitem habent, ideoque ſi præter ſanguineorum vaſorum turgentiam lymphaticorum etiam adſit repletudo, quæ œdema conſtituit, inflam-

inflammatio *Oedematoſa* appellatur; id præſertim evenit quando ſanguis multo ſero deturpatur; *Eryſipelatoſa* dicitur, quando internam tantum, aut externam uteri tunicam occupat, quam gignunt obſtacula ibi locata, quæ ſanguinis circulum intercludunt, eamque producit ſanguis acer, atque fervens plus minuſque pro ægrotantis indole; dum inflammationem faciunt glandulæ, tubercula, aut ſcirrhus, quæ in paroxiſmo perſentiantur, & poſt reſolutionem perſiſtant, inflammatio *Scirrhoſa* vocatur; *Phlegmonoſa* denique appellatur, cum a ſanguineorum vaſorum repletudine; aut uteri ſubſtantiæ infartu originem ducat.

IV. *Differentia*. Ipſa internam uteri faciem occupat, ſi eam vitium producat lacteorum vaſorum, aut venoſarum appendicum, aut in cauſa ſint ſciſſuræ, exulcerationes, aut excoriationes, tum irritationes uteri internæ, quæ vulgatiſſimam inflammationis ſpeciem producunt; externam vero faciem deturpat, ſi ab ulcere, ictu, aut contuſione originem agnoſcat; tandem integram uteri ſubſtantiam infirmat, cum ex utraque parte labefactetur uterus, quod raro evenit, vel quod crebrius accidit ex alterutra parte morbo incipiente, totam denique uteri craſſitudinem ipſe pervadat.

§. IV.

Sympthomata.

1. Tumor, tenſio, atque uteri reſiſtentia conſecutiones ſunt neceſſariiſſimæ intumeſcentiæ turgentium vaſorum, quare ea phœnomena numero reſpondebunt tumentium vaſculorum, & infartus magnitudini.

2. In puerperis lochiorum ſuppreſſio, atque catameniorum in menſtruatis mulieribus ab uteri tumore procedit; nam compreſſis vermicularium oſculis, obductiſque venoſis appendicibus ſanguinis, aut lactis fluxuri curſus intercipitur, incompleta tamen eorum ſit ſuppreſſio, ſi modica ſit, aut partialis uteri inflammatio, completa vero ſi inflammatio maxima ſit.

3. Ab hac turgentia penitus dependet uteri dolor, qui tendit, producit, convellit, atque fibras nerveas comprimit, quæ ſunt doloris ſedes; arteriarum pulſus interdum ita illas ſuccutiunt, ut dolorem augeant valde, ac lancinantem reddant, cum in iis circumſtantiis minima de cauſa uterum extrinſecus premente ad nervos uſque preſſio pertingat; nihil mirum igitur, ſi uterus tunc adeo ſenſibilis experiatur.

4. Hujuſmodi dolor prout alicui parti imi ventris propinquus eſt, vel aliqua communicatio datur cum inflammata uteri parte id vaſorum ligamentorum, vel peritonei nexu fiat, ægræ ad hanc vel illam partem ipſum referunt; quare ſæpiſſime de lumborum dolore conqueruntur, ſi inflammatio poſticam uteri partem afficiat; de umbilico dolenti, ſi anticam; pubes vero, anuſque dolent, cum uteri collum inflammatio aggrediatur anterius, vel poſterius; inguina tandem atque femora laborant, cum latera ad originem præſertim teretium ligamentorum labefactentur.

5. Calor, atque rubor inflammationis ſunt indiviſibiles comites ſeu infartus conſecutiones præcipuæ, quo uberius enim cruor ſponte calidus, coccineuſque ad aliquam partem affluit, eo magis calor ejuſdem, ruborque intenditur, utrumque vero auget arteriarum creber pulſus, quin inflammata parte ſanguinem quaſſet.

6. Febrem etiam comitem habere ſolet uteri inflammatio, ea ſi præcedat, inflammationem gignit, gignitur illa interdum ab eadem inflammationis cauſa; at præter hos caſus inflammationi facile ſuccedit, nam ſola circuli intermiſſio in hoc morbo obvia febrem inducit, citra alias cauſas, a quibus oriri valeret.

7. Ra-

7. Raro hujuſmodi febris capitis dolore, quinimo graviori expers eſt, nam cruor rarefactus, qui ſegniter per iliacas arterias turgentis uteri ergo compreſſus tranſibit, uberius in ſuperiores aortæ truncos evehitur, ac proinde in cerebri plexum, quod gravedinem, atque doloroſam diſtenſionem parere potis erit.

8. Quandoque ſopore, aut *Coma ſomnolento* ægræ laborant, quod crebrius accidit, ſi illæ plethoricæ ſint, aut ſanguine donentur ſpiſſiori, vel febris æſtu nimis expanſo, demum ſi ſanguis a tumente utero, iliaciſque compreſſis, ſuperius magna ex parte evectus cerebrum infarciat.

9. Interdum continenti corripiuntur pervigilio modo ſanguis inops ſit, fluidior, minuſque rareſcat, tum uteri volumen minus tumefacit, arteriaſque iliacas comprimat, aut ejuſdem dolor intenſior ſpiritus in cerebro commoveat, fibraſque tendat.

10. Delirium crebro in utroque caſu adeſt rationibus alias explicandis in *Capitis Morborum pertractatione*; in priori enim caſu *Coma ſomnolentum*, fit *Coma vigil*; in altero caſu *Pervigilium* ad Delirium accedit, quandoque vero ex eo *Phrenitis* oritur.

11. Lingua areſcit tunc, febris, & calidi expirati aeris cauſa, eoque magis infarcito capite, atque cerebro, palato calor communicatur, qui magis magiſque linguam exſiccat; quod tamen in linguæ centro crebrius apparet, ubi cauſæ illæ omnes exſiccantes vehementius agunt, minuſque ea pars fruitur ſalivæ beneficio.

12. Lingua in inflammatione non ſolum arida obſervatur, verum viſciditate quadam oblinita a mucoſo humore, a glandulis gingivarum, atque linguæ ipſius ſecrero, ibique a febre inſpiſſato; idem mucus interdum mora, aut medicamentorum aſſumptione nigreſcit.

13. Uteri inflammatio dum partibus propinquis ſenſim, ſenſimque communicatur; nova teterrima phœnomena producit, idcirco ſi collum anterius afficiat inflammatio, tunc, vel phlogoſis ſaltem per vaginam reptat, atque uretram; quare ægræ difficillime, aut guttatim mingunt, maximum inter mingendum dolorem urentem perſentiunt; hujuſmodi Stranguria, atque Dyſuria ab acrimonia quandoque, aut calore oriri poſſunt, quem urina intra veſicam inflammationis cauſa acquirit, vel a ſympathica conſtrictione ſphincteris veſicæ &c.

14. Quando poſtica uteri pars, aut ejuſdem collum inflammatione corripitur, rectum proximum inteſtinum pariter inflammatur, ut fæces intercipiantur, aut cum dolore excernantur; id parere poterit excrementorum conſtipatio, vel Sphincteris ani ſymphatica criſpatio phlogoſis ergo.

15. Ea, quæ dicta ſunt, oſtendunt matricem cum pluribus partibus relationem habere ſympathicam, quam fuſius videbimus poſtremo hujuſce libri capite ubi de *hyſterico morbo*, quare ſympathiæ legibus, quæ in utero eveniunt phœnomena, ceteris partibus diverſis communicata ea ratione, quam ſuperius explicavimus; convulſiones excitabunt plus, minuſque validas, atque continentes; huic cauſæ referre debemus convulſivam conſtrictionem, quæ motum cordis retardat, atque liberam ipſius dilatationem implicat, ut pulſus, qui in ſtatu febrili magni, vividi, explicati reperiri deberenr, exigui, duri, profundi in inflammatione uteri appareant; ut in ceteris imi ventris viſcerum inflammationibus, quod non parum concurrit ad animi deliquia producenda, quibus crebro tunc ægræ ſunt obnoxiæ.

16. Cum in hoc ſtatu ab arteriarum atque cordis pulſibus ſanguis debiliter & exigua copia impellatur, ut difficulter ad extremitates pertingat, ideoque pedes, manus, vultuſque frigeſcunt, etiamſi uterus inflammatus ſit, & propinquæ partes abdominis caleant; hujuſmodi externum frigus interno fervori conjunctum

ſtum, tum exigui, & profundi pulſus eam febris ſpeciem conſtituunt, quæ viſcerum inflammationem ſolet comitari & græco nomine *Febris Leipyria* appellatur.

17. Sympathicis interdum commotionibus, quæ alias diverſas partes aggrediuntur, Singultus referuntur, Cardialgia, Cordis anſietas, Nauſea, aut Vomitus, quæ in uteri inflammatione ægras vexant; ſingultum atque cardialgiam gignit convulſio ſuperioris orificii ventriculi; nauſeam vero atque vomitum contractiones pylori, atque totius viſceris.

18. Similibus de cauſis uteri inflammatio laceſſit anteriorem duræ matris partem, atque Pericranium, ubi frontem, & oribita intus obtegit, quod circumſcriptum capitis dolorem inducit, quem in *Sincipite*, & *Oculorum radicibus* ægræ perſentiunt, ut caput introrſum trahi ſibi ſuadeant.

19. Iiſdem cauſſis tandem tribuuntur tendinum in manibus ſubſultus; motus convulſivi muſculorum maxillæ inferioris; qui dentium ſtridorem producunt; motus convulſi diaphragmatis, qui reſpirationem perturbant, & riſum, vel fletum involuntarium movent; verum laryngis, atque pharyngis convulſiones, quæ tum reſpirationem, cum deglutitionem intercludunt; tandem ceterarum partium omnium convulſivæ commotiones, quæ ægras magnopere infeſtant; at hujuſmodi motus inordinatos infra ſpeciatim examinabimus *Cap. XIII.*, ubi *De hyſterico morbo*, ad quem attinet, erimus locuturi.

§. V.

Diagnoſis.

I. Facile erit uteri inflammationem detegere, atque ab aliis morbis diſtinguere, qui cum ea aliquam affinitatem habent.

1. Ipſa uteri ſcirrhum, Eryſipelam, aut veram geſtationem æmulatur, ſi voluminis augmentum tantum reſpiciamus; ab iis tamen clare diſtat dolore, calore, atque febre, quæ in illis morbis deſunt; verum ſollicito aggreſſu, & incremento, quibus hujuſmodi inflammatio adoritur, ab iiſdem differt, qui lente procedunt.

2. Veſicæ, aut recti inteſtini inflammatio illa videtur, ſi a dolore, calore, aut febre judicaremus, quæ in omnibus inflammationibus adſunt; diſtinguitur tamen per doloris ſedem, quæ in iis ſpeciatim cuique parti reſpondet, & extenſionem intumeſcentiæ, quæ major eſt in matricis inflammatione, per externum partium genitalium ſtatum, ut vaginæ præſertim, & uteri orificii, quæ tunc labefactantur valde; tandem fœcum excretio, aut mictus ſatis manifeſtant inflammationis indolem; in veſicæ enim, aut uteri inflammatione minime, vel cum extremo dolore fœces excernuntur; citra gravem moleſtiam vero in altera inflammationis ſpecie.

II. Signa vero extant certiſſima, quibus variæ uteri inflammationis ſpecies determinantur.

1. Symptomatum violentia morbi gradus dignoſcitur, idcirco tantum phlogoſis aderit, quando dolor, tumor, durities, atque febris modice vexabunt; contra maxima inflammatio habebitur, cum ea omnia ſæviora ſupervenerint.

2. Extenſionem, atque ſedem morbi addiſcimus per ſubſequentia indicia.

Si dolor pubi reſpondeat, ac difficulter ægræ, aut dolenter mingant, anterior uteri pars circa collum inflammatione laborabit.

Si oſſi ſacro dolor reſpondeat, atque moleſte fœces expellant ægræ, poſterior colli pars morbo afficietur.

Si lumbi doleant, uteri fundus inflammatione periclitabitur; ſi umbilicus, anterior pars ægrotabit.

Si in-

Si inguinum, aut femorum alterutrum labefactetur, latera ibi propinqua uteri inflammatione laborabunt.

Si dolor vaginæ reſpondeat, & digito intromiſſo orificium uteri durum: renitens, aut urens preſentiatur, ibi inflammationem exiſtere fateberis.

Si dolor tandem, tenſio, reſiſtentia totum uteri volumen occupent, atque tumor maximus ſit, nullum ſu ereſt dubium matricem per totum ſui affici ambitum, etiamſi id inæqualiter interdum fiat.

3. Specialis patebit inflammationis indoles circumſtantiarum concomitantium naturam perſcrutando.

Uteri enim inflammatio phlegmonoſa erit, cum tumor, tenſio, dolor, calor, atque febris grandiores fiant.

Eryſipelatoſa cum dolor, ſenſibilitas, calor ſæviſſime infeſtent, etiamſi tumor exiguus, aut modicus ſit

Oedematoſa vere quando tumor magnus, & mollis appareat, dolor tamen, ſenſus, calor, atque febris leviores ſint.

Scirrhoſa tandem cum tumor reſiſtens citra multum calorem, dolorem, aut febrem exiſtat.

III. Nihili intereſt plerumque cauſas hujus inflammationis detegere, verum ſi id utile videatur multiplici methodo certiores fieri poſſumus.

Temperamentum inveſtigando ſanguineum, plethoricum, aut bilioſum &c.

Statum uteri antecedentem examinando laxatum ne, aut labefactatum in laborioſo partu, infartibus obnoxioſum, & obſtructionibus plenum, ſcirrhoſum, excoriatum, aut ulcere deturpatum.

Circumſtantias perpendendo, in quibus morbus ſupervenit, in catameniorum, aut lochiorum fluxu, vel in eorum ſuppreſſione, vel poſt abortum, aut laborioſum, difficilem, atque diuturniorem partum.

Hiſtoriam denique percontando eorum, quæ inflammationem præceſſerunt, vitæ nempe regimen, exceſſus caloris, aut frigoris repentinos, quibus ſe expoſuerunt, ictus, aliaſve læſiones, quas uterus paſſus eſt.

§. VI.

Prognoſis.

I. PArtis internæ inflammatio nerveæ, & ſenſibilis qualis uterus eſt pernicioſa plerumque, & letalis evadit.

II. Idcirco noxa, quam comitem habet hujuſmodi inflammatio multiplici circumſtantiarum ratione variari poterit, quas indicare ſatagam.

1. Pro diverſo inflammatorii infartus gradu; quare inflammatio proprie dicta, ſeu phlegmone quod majorem infartum ſupponit, phlogoſi periculoſior eſt, quam levior affluxus gignit.

2. Pro inflammationis extenſione; quando ea penitus uterum, aut ejuſdem maximam partem occupet, parum ſpei ſupererit, prognoſis tamen mitior inſtitui poterit, ſi inflammatio modicam partem adoriatur, inferiorem præſertim, collum uteri nempe ubi remedia commodius applicantur, & conſecutionibus inflammationis facilius mederi quimus.

3. Pro diverſa accidentium vehementia; tunc aliqua enim valetudinis recuperandæ ſpes reſulget, ſi ea phænomena pauca, & leviora ſint, at letalis pene morbus evaſerit, ſi violentioribus tunc ægræ ſint obnoxiæ doloribus, atque continuis commotionibus, queis addantur pervigilium, delirium, vel ſopor, verum ægræ ſæpe deliqueant.

4. Pro febris indole, quæ ſi modica ſit, nullis vel paucis exacerbationibus comi-

comitata, minus perniciosa evadet; major aderit periculum ſi febris ardens ſit & diutinis vehementioribus exacerbationibus conſociata; tandem maximum damnum minatur, quando pulſus arctantur, extrema frigeſcunt & febris lipyria fit.

5. Pro diverſo uteri ſtatu; ideoque ea mitior erit inflammatio quæ ſanum aggreditur uterum, contra vero letalis ſi labefactatam, eroſam, ulceribus aut ſciſſuris deturpatam, obſtructam, aut ſcirrhoſam matricem infeſtet, vel ſi abortus, aut diutini, & laborioſi partus conſequens ſit.

6. Pro diverſa tandem inflammationis indole; quare maximum erit pertimeſcendum detrimentum ſi ea eryſipelatoſa ſit; modicum ſi phlegmonoſa; minimum tandem, ſi œdematoſa aut ſcirrhoſa appareat.

III. Quadruplici diverſa ratione hujuſmodi inflammatio finem habet.

1. Reſolutione primum, dum cruor vaſa ſanguifera infarciens, aut lymphatica, vulgarem recuperat circuitum; hæc via ſalubrior eſt, & integram valetudinem reſtituit, præſertim ſi retardatus ſanguis penitus reſolvatur; reſolutio plerumque ſeptimo, aut decimo accidit morbi die, quod facilius ſperare licebit, dum inflammatio mitior ſit, parum doloroſa, aut extenſa, eaque magis phlogoſim, aut œdema, quam phlegmone & eryſipela æmuletur, paucam vero febrem abſque gravioribus exacerbationibus conjunctam habeat, urinæ, aut fœcum excretionem non impediat, verum a morbi initio medicis auxiliis, venæ ſectionibus potiſſimum non fuerit deſtituta.

2. Gangræna, quæ plerumque letalis eſt, ut ſequenti capite demonſtrabimus, teterrima valde experitur, quando inflammatio eryſipelatoſa eſt, aut phlegmonoſa, magna doloroſa, extenſa atque urentem febrem crebris exacerbationibus copulatam comitem habet; vel uterum aggreditur jam ægrotantem, excoriatum, ſcirroſum, ulceroſum, atque a difficili partu laceſſitum, neglectis idonea occaſione medicinæ ſubſidiis, tempus, quo gangræna aggredi ſolet intra quartum eſt & decimum, aut duodecimum diem, ab altiori nempe inflammationis gradu ad certa reſolutionis, vel ſuppurationis (non conſecutaæ tamen) indicia perſiſtens.

3. Suppuratione etiam morbus judicatur; ea naturam ſanguinis ſtagnantis pervertit, qui vaſa, aut cellularem uteri tunicam replet, ipſumque in pus convertit, quod abſceſſum aut apoſtema gignit intra uteri ſubſtantiam, periculoſum valde atque moleſtum, ut infra videbimus; illa tunc erit ſuperventura quando morbi circumſtantiæ mediæ ſint inter eas, quæ reſolutionem, atque illas, quæ gangrænam poſcunt; ſuppuratio enim erit expectanda, quando inflammatio magna ſit non maxima tamen, phlegmonoſa, ſed non eryſipelatoſa cum febre conjuncta non tamen ardenti aut lipyria; ſi ea matricem perturbet, aut ſanam, aut parum infirmam; verum morbum ab initio ſatis ſubjicere, etiamſi non diligentiſſime medici ſategiſſent, niſi poſt diutinum tempus retardatus ſanguis attenuabitur, atque ſolvetur ita ut in pus abeat, quare ſuppuratio plerumque niſi ſeptimo die apparebit; interdum etiam duodecimo, aut decimo quarto ſolum manifeſtabitur.

4. Scirrho, aut ſcirrhoſa duritie, quæ pertinacem morbum in utero reliquit curatu difficillimum, & teterrimis conſecutionibus obnoxium, de quibus inferius locuturi erimus; nedum ſcirrhus inflammationi ſuccedit, niſi prius obſtructiones, glandulæ, tubercula, aut ſcirrhoſi tumores præceſſerint, qui inflammationem induxerint, aut ipſam magnopere auxerint iiſdem de cauſis, quæ morbum produxerunt, quæ tandem manifeſtæ fiunt poſtquam reſolutio inflammationem diſſipaverit.

§. VII.

§. VII.

Curatio.

Tres potiſſimum indicationes implere noſtrum erit in uteri inflammatione ſubigenda.

1. Affluxum ſiſtere cruoris vaſa infarcientis; peractum jam infartum imminuere; atque ea methodo inflammationis progreſſus intercipere, eorumque violentiam compeſcere.

2. Fibras relaxare uteri conſtrictas, ut minus ramificationes capillarium vaſorum conſtringant, neve magis ſanguinis circulationem retardent.

3. Dolorem ſedare, qui phœnomena ea intendit, atque potiſſimum in cauſa eſt conſtrictionis aut erethiſmi fibrarum matricis.

I. Prima earum indicationum graviſſima eſt, atque magis morbi valetudinem fovet; eam brachii venæ ſectione pluries, & cito repetita implemus, donec ægræ vires permiſerint, uberius, initio morbi præſertim, ſanguinem extrahendo.

Haud facile eſt determinare numerum venæ ſectionum aut extrahendi ſanguinis copiam in hoc caſu magis idoneam, cum id pro morbi gradu, ægrotantium viribus, atque temperamento variari ſoleat; generice tamen duobus prioribus diebus ſex, ſeptem, aut octo venæ ſectiones inſtitui poſſunt, quorum tres, quatuorve priores quatuor cucurbitulas ſingulæ æquent.

Neque pulſuum exiguitas, neque extremorum frigus in inflammatione uteri obvium, quod plerumque febrem leipyriam conſtituit, minime phlebotomiæ uſum interdicere potis erit, modo aliunde morbi occaſio ipſum poſtulaverit; in eo caſu tamen mitiora cordialia, qualia ſuperius propoſuimus, opportuniſſima ſunt levioribus narcoticis remixta ad pulſum ſuſcitandum, atque doloris intenſionem compeſcendam, quæ morbum pertinaciorem reddit.

Veteres in uteri inflammatione cucurbitulis, frictionibus, vinculis utebantur, quæ venæ ſectionibus ſubſtituebant; at hujuſmodi remedia futilitatis cauſa hodie obſoleverunt; frictiones interdum permitti poſſunt, modo circa artus ſuperiores inſtituantur; vel ſi ægræ laxæ nimis appareant, ſcapulis, aut mammis poſſunt cucurbitulæ applicari; vincula tamen nocua evadunt, penituſque contemnenda videntur.

II. Multiplici methodo ſecunda abſolvitur indicatio, alterutram ſeligendo pro circumſtantiarum ratione, vel utraſque ſucceſſive tentando.

1. Potus uberrimus demulcentis, atque refrigerantis ptiſanæ ex leviori perfectæ decoctione radicum Althææ, Nymphææ, vel ex jure pullorum ſimplici, additis etiam contuſis amygdalis; emulſiones locum habent dilutiores ex ſeminibus frigidis coctæ, & per linteum percolatæ, ſyrupus hordeaceus cum tepenti aqua, aut citrea potione ſimul quaſſatus.

2. Oleum uſuvenit amygdalarum dulcium ſive igne paratum, & ſyrupis remixtum Biſmalvæ, Papaveris rubri, aut Citri; ejuſdem morbi initio tres, vel ſex uncias æquabit, cum dimidio ſyrupi plerumque; quandoque mane exhibetur per duas vices cum decoctione quadam laxante, ſi alvum ciere oporteat, interdum repetitis vicibus integrum diem.

3. Frequenter clyſteria adhibentur refrigerantia anodyna ex decoctionibus radicum Althææ, Nymphææ; foliorum Malvæ, Violarum, Lactucæ, Solani; florum Malvæ, Violarum, Verbaſci; ſeminum Lini, Papaveris albi, quibus additur uncia, vel duplex uncia olei roſati, aut amygdalarum dulcium ſine igne parati.

Illa denique conficiuntur etiam ex decoctionibus Omaſi, Puli & ſero lactis

vel

vel ex emulſionibus coctis, & percolatis, addendo unciam ſemis ſyrupi Papaveris albi, aut unam Nymphææ.

4. Injectiones vero vaginæ, aut uteri proſunt, qua de cauſa decoctiones ſumuntur foliorum Biſmalvæ, Nymphææ, Malvæ, Brancæ-urcinæ, Solani &c., aut lac Cyprinum ebutyratum cum anatina aquæ roſarum quantitate copulatum, vel ſerum depuratum, in quo infundatur croci parum, aut Laudani grani dimidium, tandem mucilagines ex ſeminibus Lini, Pſyllii cum aqua roſarum extractæ addito tertio albuminis ovi bene quaſſati.

Si injectiones ſolam vaginam intrent, exiguæ obſervantur virtutis, citoque refluunt; efficaciores itaque evaſerint, modo uteri collum inflammatione afficiatur, cujus orificium ſit partium turgentia obtectum; at ſi hujuſmodi oſtium patulum ſit ut ſiphonis tubulus intromitti queat, uteri cavum injectione irrorare magis ſaluberrimum erit, ut neceſſarium levamen præſtet, verum multa requiritur peritia ne canaliculo, aut vehementiori injectionis impulſu, uterus lædatur.

5. Cataplaſmata pubi, aut regioni hypogaſtricæ applicata, valde conveniunt ex pulpa confecta plantarum emollientium, quales ſunt Malva, Althæa, Branca-urſina, Portulaca, Lactuca, Solanum, Hyoſcyamus, quibus additur mica panis, lac; ſolani, aut hyoſcyami ſuccus excoctus, aut oryza lacte cocta, vel Lini ſemina, quæ omnia additione pauci olei roſati diluuntur.

6. Fomenta demulcentia cum ſaturatiori decoctione ſtirpium dulcificantium nuper indicatarum, vel cum lacte tepenti, quæ pubi, aut regioni hypogaſtricæ appoſita cataplaſmatis vices gerunt, modo uteri ſenſus maximus ſit, neve ægræ cataplaſmatis preſſionem valeant ſuſtinere.

7. Embrocationes, quæ interdum fomentationibus ſubſtituuntur, modo inflammatio ſævior appareat, aut fomenta ægræ faſtidiant: illæ oleo amygdalarum dulcium roſato patrantur, addito etiam pauco unguento Althææ, aut Aceto; interdum ſat erit linteum apponere cerato Galeni oblinitum.

8. Peſſaria tandem ex pulpa plantarum emollientium confecta, quæ propoſuimus ad cataplaſmata ſubigenda. Hujuſmodi pulpa linteolo obtegitur, quæ in mulierum vaginam intromittitur; filiabus vero vulvæ tantum ſub cataplaſmatis forma apponitur.

III. Ut tertiam impleamus indicationem, neceſſe erit:

1. Topica relaxantia, & anodyna exhibere, quæ nuper propoſuimus, eorumque uſum continenter ſervare uſque dum pars affecta laxetur, eaque laxata dolor imminuatur.

2. Narcotica etiam uſuveniunt, modo ſimplex partium relaxatio impar ſit morbum levare; narcotica uſitatiora in hoc caſu decoctiones ſunt capitum papaveris albi, ejuſdem ſyrupus, aut Diacodii, Laudanum, Tinctura Anodyna, pilulæ Cynogloſſæ &c., quæ ptiſanis, clyſteribus injectionibus &c., ſuperadduntur, aut ſejunctim exhibentur; verum niſi exigua doſi propinantur, quarta, aut quinta quaque hora tali pacto, ut doloris vehementia compeſcatur abſque quo ægræ ſopore afficiantur; patet enim, dum ægræ ſtupidæ ſunt morbi cauſa, inopportuna eſſe hujuſmodi remedia.

Cautelæ generales, quæ hujus inflammationis medelam reſpiciunt.

I. Valde neceſſarium videtur, quod ægræ concinenter lectulo detineantur ſupra dorſum quieſcentes, & divaricatis cruribus nonnihil genubus influxis pulvinorum etiam auxilio, ut in hoc ſtatu uterus perſiſtat magis idoneo; optimum tunc erit conſilium culcitas crinibus repletas, potiuſquam lanugine, ipſis ſubtus ponere, verum tum corium *marrocchino* dictum, quod crebro mutare oportebit, ne renes nimis caleſcant; interdum ceratum Galeni aceto confectum, & ſupra lin-

teum extenſum renibus applicabimus; tandem ipſis ſilentium, & animi tranquillitatem commendabimus pro valetudine recuperanda neceſſariiſſimam.

2. Ægrotantes alere neceſſe erit decoctionibus levioribus vituli, pulli, vel ex ſimplici aqua pullorum, ſaluberrimum pariter erit cum iis ſimul ebullire plantas refrigerantes Lactucæ, Endiviæ, Boraginis, Oxalidis, aut nodulum ſeminum Melonis mundatorum, & contuſorum, modo illæ emulſione non imbibantur ſupra pulmentum ſeminum frigidiorum tranſabeundo. Etiamſi exquiſita hujuſmodi dieta videatur, in ea tamen erit perſiſtendum quatuor, aut quinque dies morbi initio, poſtea modo opus requirat, decoctiones ſaturatiores perfici poterunt ex majori pulli, aut vituli copia, bovillam carnem interdicendo, donec reſolutio inita ſit, verum prudentis Medici erit primis ſaltem diebus oryzarum cremorem tantum addere, de cetero nihil immutando.

3. Urinas ciere curabimus per refrigerantia ac antiphlogiſtica remedia diureſim promoventia, quæ febris ardorem, atque inflammationis compeſcere valeant: hujuſmodi ſunt nitrum depuratum, Sal Prunellæ, aut ſedativum Hombergi ad drachmam ſemis pro quovis ptiſanæ œnophoro, abſtinendum tamen erit a calidis diureticis, quæ febrem aut inflammationem augent.

4. Quando pulſus debiles fiunt, levioribus cordialibus eriguntur, quæ aliquaqualem madorem excitent, atque partium conſtrictionem ſubducant; hujus cenſus videtur potio ex aquis compoſita Card. Bened. Scabioſæ, Ulmariæ, quibus addi poterit drachma una confectionis Hyacinthinæ, aut Alkermes, verum unum vel duo cochlearia aquæ florum aurantiorum, aut Cinnamomi hordeaceæ & ſi cui libuerit; guttæ nonnullæ addi poterunt Tincturæ Anodinæ, modo alia narcotica non adhibeantur; verum guttæ aliquot Tincturæ Liliorum, vel grana nonnulla Salis Volatilis Viperarum; caute tamen ea urentia Cordialia propinare fas erit, ne febrem aut inflammationem augeant, atque nocua potius, quam utilia evadant.

5. Primis tranſactis diebus, modo vaſa depleta fuerint idoneis venæ ſectionibus, verum imminuatur inflammationis dolor, primas vias blande expiare oportebit apozematibus plantarum demulcentium, & emollientium Boraginis videlicet, Lactucæ, Endiviæ, Cichorii, addita uncia una Mannæ, aut Pulpæ Caſſiæ, pro ſingulis vicibus ter, quaterve in die tertia quaque hora repetitis, vel hauſtus fiat ex Caſſia ſoluta in duplici, aut triplici cratere ſeri lactis depurati; hujuſmodi leviora laxantia tollunt, vel ſaltem imminuunt inflammationis exacerbationes, quæ maximum prænunciant detrimentum, atque novum uteri infartum.

6. Si cognoveris ex imminuta tenſione, aut ſenſibilitate hypogaſtri reſolutionem cepiſſe, reſolventia tunc leviora poterunt adhiberi, quæ ei faveant, qua de cauſa injectionibus, aut cataplaſmatis erunt ſuperaddenda ſemina Fœnigræci, aut folia Artemiſiæ, Matricariæ, Pulegii cum ceteris herbis emollientibus, aut floribus Chamæmeli, & Melliloti ebullita.

7. Quando reſolutio jam perfecta, vel ſaltem valde inchoata videatur, per aliquot dies decocta duo, ſeu apozemata quotidie mane videlicet, & veſpere ſumant ægræ ex foliis ebullitis confecta Scolopendrii, Pimpinellæ, Agrimoniæ, Fragariæ, cuique addendo drachmam ſemis Salis admirabilis Glauberi, verum ægras validius purgare oportebit decoctione Tamarindorum, Sale Vegetabile, Caſſia, Manna, additis etiam aliquibus ſennæ glomis, ſi opus requirat.

8. Tandem ſi album, aut rubrum effluvium ſuperveniat ſtatu, vel decremento inflammationis, nefas erit ei mederi, imo lætaberis quod iis natura conatibus uterum depleat, modo poſt reſolutionem non perſiſtat, tunc enim ipſum remediis ſuperius in hoc morbi genere propoſitis ſiſtere oportebit.

Pra-

Praxis a nonnullis Auctoribus propoſita, infirma tamen, vel ſuſpecta:

I. Medici diu inter ſe diſcreparunt circa venam in uteri inflammatione ſecandam magis idoneam, Galenus (*a*) clare duplici loco admonet, eam *ex Poplite* eſſe ſcindendam, vel ſaltem *ex Malleolo* potius quam *ex Cubito*, circa quod a ſe ipſo aberrare videtur, cum identidem contrarium (*b*) doceat; (*c*) Oribaſius, Paulus (*d*) Ægineta, & Aetius (*e*) una brachium ſecare jubent, tandem Avicenna (*f*) & Auctorum caterva, qui poſt eum ſcripſerunt, excepto *D. Arnaud de Villeneuve* (*g*), Galeni aſſecla, opiniones conciliarunt initio morbi cubitum, & fine pedem incidendo.

Hodie Medici circa hoc in unum conveniunt; autumant enim prius venam cubiti eſſe incidendam, quæ utilitates complectitur revulſionis, & evacuationis, excipitur ea tantum inflammationis ſpecies, quæ a lochiorum, aut menſtruorum ſuppreſſione dependet, ut iis aliqua ex parte adhuc fluentibus pedum venæ ſectione ſpes ſuperſit ipſa revocandi, quare ea ſectione incaſſum adhibita, perſiſtente nempe ſuppreſſione, ad brachii inciſionem erit deveniendum, ut efficacius ab utero infarciens ſanguis revehatur.

II. Quandoque animoſe præſcribunt in uteri inflammatione frictiones, vincula, aut cucurbitulas leves, vel ſcarificatas, diſcrepant tamen ubi ſint apponendæ, (*h*) alii ſuperius brachiis, ſcapulis, dorſo, aut mammis applicant, alii inferius coxis, cruribus, aut pubi apponunt.

Nunc pene exoleverunt hujuſmodi remedia, quæ ægras nimis vexant, & venæ ſectionibus valde infirmiores ſunt; at ſi ſententiam explanare noſtrum foret juxta circulationis leges, vincula primo proſcriberemus cuique parti applicita valde nocua; frictionum vero, & cucurbitarum reſpectu earum actionem ſimilem eſſe oſtendimus, ac de venæ ſectionibus dictum eſt.

III. Galenus (*i*) contendit, ægras tunc ſomnum capere, ſaluberrimum eſſe, cum illud inflammationem intendere credat; huic ſententiæ certo quodam modo (*k*) Hippocrates interdum adhæret; nil mirum ergo, ſi iis auctoritatibus ſuffulti plures Medici (*l*) eam amplexi ſint; non deſunt tamen alii plures (*m*) qui narcoticorum uſum ſtrenue defendunt, quod communiter hodie receptum eſt; ea nihilominus interdicere neceſſe erit, quando inflammatio ſoporem inducat, ubi fruſtranea videntur; utiliter potius exhiberi poterunt dum ægræ gravi, & acutiori dolore cruciantur, difficulter quieſcunt, vel mente aberrare incipiunt, aut delirio furenti laborare.

IV. Avicenna (*n*) vomitum excitare ſuadet, quare plures hoc (*o*) Medici

 com-

(*a*) De curandi ratione per venæ ſectionem *Cap.* 18. Method. Medend. *Lib. XIII. Cap. II.*
(*b*) Lib. II. ad Glaucon. *Cap.* 2. & 4. (*c*) Synopſeos, *Lib. IX. Cap.* 50.
(*d*) De re medica, *Lib. II. Cap.* 64. (*e*) Tetrabibl. 4. *Serm.* 4. *Cap.* 83.
(*f*) Lib. III. *Fen.* 21. *Tract.* 4. *Cap.* 12. (*g*) Pract. Medic. *Lib. II. Cap.* 11.
(*h*) Aetius *ubi ſupra*. Jo. Varandæus, *De Morbis Mulier. Lib. I. Cap.* 7. Victor Trincavellius, *De ratione curandi particul. hum. corp. affectus*, *Lib. II. Cap.* 14. Daniel Sennertus, *Lib. IV. Parte I. Sect.* 2. *Cap.* 13. Guill. Rondeletius, *Method. Curandi Morb. Lib. III. Cap.* 72. Dionyſ. Fontanonus, *Pract. Lib. III. Cap.* 26. Rodericus a Caſtro, *De Morb. Mulierum Lib. II. Cap.* 27. Barthol. Perduicis, *Univerſ. Medic. Lib. XIII. Sect.* 8. *Cap.* 16.
(*i*) Comment. IV. *in Sect.* 4. *Text.* 17. *Lib.* VI. *Epidemior.* Comment. *in Aphoriſm.* 1. *Lib.* II.
(*k*) Epidemior, *Lib.* VI. *Sect.* 4. *Text.* 12. De victus ratione *Lib.* II.
(*l*) Avicenna *ubi ſupra*. Valerius de Taranta, *Philon. Lib.* VI. *Cap.* 14. Rodericus a Caſtro, *ubi ſupra*. Petrus Foreſtus, *Obſerv. Lib.* XXVIII. *Obſ.* 41. 42. 43. Lud. Mercatus, *De Morb. Mul. Lib.* II. *Cap.* 17. Hier. Mercurialis, *De Morbis Mulierum Lib.* XIV. *Cap.* 18. Jean Liebaul, *Des Maladies des Femmes Liv.* II. *Chap.* 14. Lazare Pe, *Des Maladies des Femmes Liv.* II. *Chap.* 13.
(*m*) Joannes Varandæus, *ubi ſupra*. Dan. Sennertus, *ubi ſupra*. Lazar. Riverius, *Prax. Medic. Lib.* XV. *Cap.* 7. (*n*) Lib. III. *Fen.* 21. *Tract.* 2. *Cap.* 12.
(*o*) Bern. Grondonius, *Lilii Particula* VI. *Cap.* 11. Dion. Fontanonius *ubi ſupra*. Val. de Taranta *ubi ſupra*. Lud. Mercatus *ubi ſupra*. Vict. Trincavellius *ubi ſupra*. Rodericus a Caſtro *ubi ſupra*.

commendarunt remedium quaſi revulſivum, ac proinde valde ſalubre, id tamen merito contempſerunt (*p*) Medici alii plures creduli minus, & provectiores, at hujuſmodi praxim tunc temporis amplecti fas erat citra noxam, nam emetica, quibus veteres utebantur, parum, vel nihil vomitum excitabant, in præſentiarum vero noſtra validiora ſunt, antimonialia præſertim, quæ maximas ſuccuſſiones concitando tum inflammationem, cum uteri dolorem augere valerent.

V. Paulus Ægineta (*q*), prohibet tribus prioribus diebus ægras ali, quod proſecutus eſt Avicenna (*r*), & alii multi (*ſ*), quorum tamen plerique ab ea ſententia receſſerunt; certum enim eſt exquiſitam diætam, in acutis morbis convenire, quod omnes Medici defendunt, imo quandoque ſola ptiſana eas ſuſtinere oportet initio ſaltem morbi, ex eo tamen arbitror univerſalem legem ſanciri non poſſe, verum cum ſapienti Medico (*t*) ſuſpicor hanc Pauli opinionem non ab experientia, ſed a præoccupatione methodici ſyſtematis in quo verſabatur fuiſſe deſumptam; circa hanc rem Clerc. conſulito, *Hiſt. de la Medecine Liv.* 4. *Sect.* 1. *Chap.* 7. & Gorreum, *Definit. Medic. in voce* Διάτριτος.

VI. Nonnulli (*u*) Auctores in uteri inflammatione injectiones anodynas laudaverunt in veſicam intromiſſas potius quam in uterum; illuc enim diutius illæ morantes utiliores evadunt, præſertim ſi inflammatio collum uteri occupet, verum in iis circumſtantiis ipſas difficilius adhibere poterimus; nam inflammatio veſicæ collo communicata impedit quominus ſiphonis tubulus apponatur procul acerbiori dolore, quare hodie hac de cauſa, vel pudoris ergo, hujuſmodi remedium pene obſolevit; at ſi eo uti libuerit, prius inteſtina clyſteribus expiare oportebit, ut dilatationi veſicæ majus ſpatium relinquatur, animadvertendo tandem, ne uno eodemque tempore ſimul, in uterum, veſicam, & inteſtina aliquid injectetur, quod partem affectam fortaſſis nimis premeret.

VII. Plures Medici (*x*) interdum applicabant animoſe pubi, aut vulvæ frigida topica, aut aceto parata, itaque cum ea ardorem nonnihil inflammationis compeſcerent, lætabantur valde ægræ, at levis hujuſmodi utilitas praxim hanc minime debet confirmare, quæ nocuas conſecutiones præſtat; ea enim medendi ratio ſanguinem inſpiſſat, ipſumque intra vaſa retardat capillaria, circa quæ immediate agit, reſolutionem impedit, atque gangrænam haud infrequenter, ſuppurationem, aut ſcirrhum inducit; quamobrem jugiter anteponendæ ſunt utilitates perſiſtentes palliativo levamini, incerto plerumque, verum tepentina tantum, & relaxantia remedia erunt apponenda.

VIII. Olim topica adſtringentia, & repellentia communiter recepta erant, ex bolo compoſita ſanguine Draconis, Terra Sigillata, Gallis, Balauſtis, Corticibus Granatorum, Coriaria, Santalis, & Saccharo Saturni &c.; at hujuſmodi remedia hodierna die ſuſpecta valde, & perniciosa experta ſunt, quia fibras erodunt, atque laceſſunt partis affectæ, verum vaſa capillaria conſtringendo circulationem ſanguinis implicant, quod inflammationem auget, reſolutionem retardat, & gangrænam, ſuppurationem, aut ſcirrhum frequenter inducit.

IX. Clinici nonnulli (*y*) quandoque docuerunt in uteri inflammatione ſubſequens balneum valde prodeſſe, quod latine *inſeſſus* ſonat, pro filiabus præſertim.

(*p*) Varandeus, *ubi ſupra*. Sennertus, *ubi ſupra*. Riverius, *ubi ſup.*
(*q*) *Ubi ſupra*. (*r*) *Ubi ſupra*.
(*ſ*) Donat. Anton. ab Altomari, *De Medendis humani corporis affectibus*. Valeſc. de Taranta *ubi ſup.* Dionyſius Fontanonus *ubi ſup.*
(*t*) Petr. Salius Diverſus, *Annotat. in Donat. Anton. ab Altomari Cap.* 106.
(*u*) Jean Liebault, *ubi ſupr.* Lazare Pè *ubi ſup.*
(*x*) Gordonius, Fontanonus, a Caſtro, Rondeletius *ubi ſup.*
(*y*) Valeſc. de Taranta, Bernard. Gordonius, *Dion.* Fontanonus *ubi ſupra*. Jacob. Primeroſius. *De Morb. Mulier.*

ſertim, quibus neque injectiones intromittere, neque peſſaria apponere facile eſt, illud paratur ex decoctione emollienti, & anodyna qualis pro fomentis adhibetur, at hujuſmodi praxis inconcinna experta eſt; nam vel hujuſmodi decoctio magis frigeſcit, quam madida pars, & tunc remedium eoſdem nocuos effectus afferret quam topica frigida applicita, vel caleſcit valde, & tunc augebitur inflammatio ad humectatam partem ſanguinem trahendo, ut in pediluvii, aut pedum venæ ſectionibus evenire compertum eſt.

X. Jonſtonus (z) ſubſequens remedium valde commendat, quod inflammationem uteri ſiſtere potis eſſe autumat. *Putatur*, ait, *inflammationem uteri proprietate quadam ſiſtere*; fit enim ex decoctione Serpylli cum aqua chalybeata confecta, qua ſpongiæ imbibuntur, eæque extrinſecus uteri regioni applicantur; videtur enim Jonſtonus ab aliis auctoribus hanc opinionem deſumpſiſſe, eumque valde credulum fuiſſe; hoc remedium enim, quod ſerpylli ergo reſolvit, chalybeatæ aquæ ratione valde conſtipat, ideoque morbi decremento potius locum habere poteſt, quando progreſſam jam reſolutionem fovere fas erit; verum nocua valde experiri poterit morbi initio, ut Jonſtoni verba ſuadent.

CAPUT II.

De Gangræna, ſeu uteri ſphacelo.

§. I.

Deſcriptio, & Differentiæ.

GEnerice gangræna, & ſphacelum duæ ſpecies ſunt, corruptionis, & macerationis, in quibus pars ægrotans livida, aut nigra fieri ſolet, caloris atque ſenſus non parum amittit, vel iis quandoque prorſus orbatur, neque juvat amplius circulationis ſanguinis lymphæ, aut ſpirituum animalium favor.

Hujuſmodi corruptionis ſpecies, ſane nihil inter ſe, niſi gradu, differunt; modo aliquis reliquus ſit ſenſus, aut calor, verum pars affecta livida tantum, nondum nigerrima appareat, atque ſanguis lympha, vel ſpiritus animales, etiamſi imperfecte, aliqualem circulum ſervent, morbus *Gangræna* tantum appellatur; *Sphacelum* vero dicitur quando pars corporis ægrotans calore penitus, atque ſenſu orbetur, nigerrima appareat, & ſanguinis, lymphæ, vel ſpirituum animalium circuitus intercipiatur.

Præterea diſtinguitur gangræna in humidam, in qua pars macerata multum pus ichoremque per ulceris marginem effundit; & in ſiccam, in qua pars corrupta indureſcit, cornea fit, ſanas partes ſimul agglutinat, magis quam in ſtatu naturali: hujuſmodi differentia magis ſenſibilis fit, quo magis gangræna ad ſphacelum accedit.

Cum utraque morbi ſpecies omnes partes humani corporis æque aggredi poſſit, ideoque neque uterus, & propinquæ partes, vagina nempe, & vulva liberæ evadunt; hæc erit hujuſmodi capitis materies.

Obſervatione didicimus necdum vaginam, aut vulvam alterutra morbi ſpecie corripi, niſi tribus ſubſequentibus caſibus.

1. In vehementiori harum partium inflammatione, & id plerumque, niſi in violentiori morbi ſtatu ſupervenire ſolet, poſt tertium videlicet, aut quartum morbi diem, ad ſeptimum uſque aut octavum.

(z) Jo. Jonſtonus, *Idea univerſæ Medic. practic. Lib. X. Tit. II. Cap. 2. Art. 4.*

2. In deſcenſu uteri grandiori quando corpus uteri foras labitur, aut maxima vaginæ pars, verum in hoc ſtatu prolapſa pars diu perſiſtat, eaque de cauſa comprimatur valde, atque conſtringatur:

3. In ulceribus phagedenicis, quæ intimam uteri, atque vaginæ faciem rodunt, quod pariter evenit in ſciſſuris, excoriationibus ejuſdem partis deleteriæ indolis plerumque, quæ uteri internum profunde incidunt.

Communiter gangræna, quæ in priori, aut poſtremo caſu ſupervenit, humida eſt; contra vero ſicca in ſecundo caſu obſervatur.

Quandoque ipſa omnem uterum aggreditur, ſed raro, quandoque ejuſdem partem aliquam, at plerumque collum aut orificium quod a parte inferiori coarctata originem ducit.

Interdum morbus quaquaverſus uteri craſſitudinem penitus aggreditur, raro externam faciem tantum occupat, frequentius tamen internam ſupeficiem infeſtat.

Tandem modo ſolam matricem afficit, modo vaginam, atque vulvam, citra uterum, at haud infrequenter utrumque, collum nempe uteri, & fundum vaginæ offendit.

Cujuſcumque indolis ſit gangræna, aut ſphacelum, qualemcumque partem uteri afficiant, vel quibuſcumque circumſtantiis comitentur, ſymptomata conſecutura ſemper eadem experiuntur: pulſus exiguus eſt, frequens, atque profundus, ægræ vero opitulationibus, tremoribus, atque univerſæ cutis convulſivis ſuccuſſionibus ſine cauſa manifeſta laborant, eo præſertim tempore, quo parum, vel nihil doloris in utero perſentiunt; repente tum corporis cum animi maxima debilitate corripiuntur, ut frequenter deliqueant, extremitates frigeſcant, atque difficillime caleſiant; generice ægræ ſpirantium habitum referunt procul extrinſeca cauſa cum morbus intus uterum tantum infeſtet; at perſiſtente morbo fœtens, atque cadavericum effluvium tandem morbi naturam declarat, modo adhuc ancipites hæreremus.

§. II.

Cauſæ.

EXplicavi gangrænæ, atque ſphaceli theoriam in meo Tractatu Tumorum, atque in eo oſtendi:

1. Vitæ, aut *vitalitatis* ſtatum in partibus omnibus pendere a continenti ceſſione vibrationum vaſorum omnium quæ illas componunt, arteriæ nempe ſunt, & venæ, vaſa lymphatica, nervi &c. quando præſertim pertinent ad arterioſorum vaſorum contractiones, quæ magis ſenſibiles ſunt iis ceterorum vaſorum, atque, ut ita dicam, ea in motum cient.

2. Ea de cauſa ſtatus macerationis, aut mortis earum partium gangræna videlicet aut ſphacelum, niſi a quiete earum contractionum originem ducit, præſertim vaſorum arterioſorum, quæ per partem affectam repunt, ut in gangræna vaſa vix contremiſcant, in ſphacelo penitus quieſcant.

3. Obſervationes denique ratione omnino congruentes oſtendunt, tres præcipuas adeſſe cauſas, quæ vaſorum arterioſorum contractiones imminuunt, vel impediunt omnino ut gangræna an ſphacelum naſcatur.

Prior eſt: Maxima vaſorum capillarium plenitudo atque ramificationum arterioſarum, quæ cum tonica & violentiori tenſione afficiantur, nequeunt amplius reſerari, ideoque inertes exiſtunt.

Altera abolitio eſt roboris tunicarum eorum vaſorum, quæ contrahi renuunt levioris compreſſionis ergo, aut plethoræ ſupervenientis.

Ter-

Tertia. Laceratio eſt extremitatum capillarium, ceterorumque vaſorum animalis partes componentium, quæ cum eroſa, conciſa, vel aliquo modo labefactata ſint, nequeunt amplius alternas vulgares contractiones peragere.

Hujuſmodi generalis theoria omnem ſpecialem complectitur legem gangrænæ uteri, aut ſphaceli, ideoque conſequitur, eam utero applicando.

1. Gangrænam aut ſphacelum niſi ab alterutra trium earum cauſarum oriri poſſe, eaſque tres cauſas omnes complecti, quæ ſpeciales omnes uteri gangrænas producunt.

2. Prima earum cauſarum gangrænam aut ſphacelum inducit inflammationis uteri proprium, quando maxima ſit & dolorem inducat, vel ſi perperam repellentibus, aut adſtringentibus reprimatur, aut pro reſolutione fovenda cito nimis reſolventia validiora adhibeantur, tandem quando ſegniter reſolvatur, aut ſuppuretur, quod *priorem caſum* conſtituit.

3. Secunda earum cauſarum gangrænam aut ſphacelum inducit poſt uteri, aut vaginæ deſcenſum ſupervenientem, quando prolapſa pars irritationi, aut frigori exponitur; vel violentiores conſtrictiones patitur, ob quas in ſcirrhum degenerat; vel lympha repletur, ejus conſtrictionis ergo retenta, uſque dum naturalem elaterium amittat; & ecce *ſecundum caſum*.

4. Tertia denique earum cauſarum eam gangrænæ aut ſphaceli ſpeciem facit, quæ ab ulceribus, aut ſciſſuris phagedænicis vel ulceroſo cancro internum uteri rodente dependet, præſertim ſi hujuſmodi ulcera, aut carcinomata maligna ſint, ichoroſa, aut purulento ſero oblinita, qui uteri ſubſtantiam pervadat, atque humectet ita ut tandem ejuſdem contextum deſtruat; id *tertium caſum* conſtituit.

§. III.

Differentiarum explicatio.

I. D*Ifferentia*. Gangræna duplici ratione adoritur: vel quando uterus naturali ſuo loco exiſtit ut *in priori, aut poſtremo caſu* inflammationis aut ulcerationis præcedentis ergo; vel quando extra naturalem poſitum locatur, ut *in ſecundo* œdematis cauſa in uteri deſcenſu ſupervenientis.

II. *Differentia*. Matricis gangræna vel incipiens, vel confirmata eſſe poterit videlicet ſimplex gangræna, vel ſphacelum; gangræna *incipiens* dicitur, quando vaſorum contractiones quamvis imminutæ valde aliqua ex parte tamen adhuc ſubſiſtant; cum cauſæ gangrænam inducentes debiliores ſint vel nuperrimæ; vel ſanum uterum infeſtent, qui earum actioni ſtrenue reſiſtat; *confirmata* appellatur modo penitus fibrarum oſcillationes in affecta parte ſupprimantur; ex eo quod cauſæ validius agent, a longo tempore, vel matricem labefactatam perturbent, œdematoſam, ulceroſam, & impreſſionibus iis omnibus magis obnoxiam.

III. *Differentia*. Gangræna omne uteri corpus afficit vel partem aliquam, *totum uterum* (quod raro evenit) deturpat, quando cauſæ producentes integram matricem occupant, vel ab aliqua parte incipientes magnopere extenduntur; verum *aliqua pars* uteri afficitur quando ibi tantum cauſæ morboſæ agant eæque extendi impediantur.

IV. *Differentia*. Partialis gangræna diverſas uteri portiones aggredi valet fundum nempe, latera, anteriorem vel poſteriorem partem, collum &c., id dependet a ſpecialibus cauſis, quæ actionem ſuam ad hanc potius quam ad illam partem dirigunt; plerumque illa uteri orificium occupat, quod acriori magis expoſitum eſt fluenti latici, & excoriationibus, aut ſciſſuris in laborioſo partu obviis, ceteriſque gangrænæ cauſis.

V. *Differentia*. Gangræna externam uteri ſuperficiem lædit, quando ab ejuſdem deſcenſu dependet, quia tunc externa facies aeris impreſſionibus, atque aliis cauſis magis exponitur, quæ uteri contextum pervertere potis ſunt; omnem craſſitudinem uteri occupat cum ab univerſali inflammatione, aut œdemate illa procedat; crebrius tamen internam ſuperficiem perturbat, quæ cauſis gangrænam inducentibus magis eſt obnoxia, ut de uteri oſtio oſtendimus.

VI. *Differentia*. Uteri gangræna in primo & ſecundo caſu plerumque *humida* eſt, & inflammationi aut ulceribus ſuccedit, quia inflammata pars tunc pus, ſpumamque gignit; *ſicca* vero quando in ſecundo caſu eam uteri deſcenſus producit, nam aeris contactus, tum indufii confricatio ejuſdem externam faciem exſiccant, atque indureſcunt ita, ut eſchara gangrænoſa ei magis adhæreat, atque difficilius ſeparari ſinat.

§. IV.

Symptomata.

1. Calor affectæ partis valde imminuitur, ramificationum plerarúmqúe arteriarum contractionibus labefactatis, aut ſubactis, vel quod ſanguis parum, aut nihil per eas circumvehatur, ut maxima ex parte, vel penitus calore tum ipſe, cum infirma pars orbetur.

Ea de cauſa prout imminuuntur numero ſeſe contrahentes arterioſæ ramificationes, aut labefactantur earum. oſcillationes, calor etiam imminui debet in ratione majoris, vel minoris earumdem labefactionis; verum calorem omnino deficere in ſphacelo, ubi abſolute tum eorum vaſorum conſtrictiones, cum ceterarum ramificationum prorſus demuntur.

2. Senſus pariter imminuitur quia nervorum vibrationes, quæ curſum ſpirituum promovere ſolent, debilitantur valde, aut deſinunt in pleriſque eorum filamentis quod affluxum & refluxum ſpirituum retardat, aut penitus impedit, ideoque minime per affectam partem cerebro ſenſuum impreſſiones communicantur, aut valde imbeciliter.

Conſequitur ſenſum in hoc morbo imminui in ratione numeri ſtaminum nervorum, quorum vibrationes imminutæ ſunt, vel in ratione augmenti imminutionis vibrationum earum, abiit vero ille omnino in ſphacelo, omni nervorum contractione tunc ſublata.

3. Partis illius tenſio pariter imminuitur, quia ſanguis eo affluens, arteriarum contractionibus ſublatis, inſpiſſatur, ſuamque ſeroſitatem effundit, quæ expanſa pervadit, atque relaxat arteriarum tunicas, ceteraſque fibras, ut eæ ſolidæ partes impares evadant naturalem gradum tenſionis ſuſtinere.

Quare mollities aut *flacciditas* laborantis partis in gangræna augeri debet prout numerus tunicarum arteriarum, aut fibrarum tendinearum laxatarum creſcit vel in ratione augmenti laxitudinis; verum in ſphacelo in quo tum fibræ, cum vaſorum tunicæ maximum attingunt laxitudinis gradum, flacciditas etiam maxima haberi debet.

4. Pars infirma livida fit, quia ſanguis mora inſpiſſatur, atque nigro colore inficitur per omnes arteriarum ramificationes ſuperiori indicata ratione labefactatas, verum diverſa puncta nigerrima in hac parte remixta iis portiunculis, quæ naturalem colorem conſervant, partem fuſcam reddunt, ſeu melius dicam, lividam.

Hac de cauſa gangrænata pars plus, minuſve nigreſcit prout ſanguis affluit, vel nigreſcit intra majorem numerum arterioſarum ramificationum, denique

ipſa

ipſa prorſus nigerrima apparebit in ſphacelo, in quo ſanguis undique, & maximo gradu nigerrimus fit.

5. Pulſus in hoc morbo exiguus, frequens, durus atque profundus reperitur, eoque magis in ſphacelo, quod duplici de cauſa oriri pôteſt, vel quod purulentæ ſeroſitatis, & corrodentis pars aliqua ſanguinem inficiat, eumque inſpiſſet, atque circulationem cohibendo pulſuum ita leges pervertat; vel quod obtuſus dolor in gangræna, aut ſphacelo obvius circumpoſitæ ſanæ carni communicetur ut ſympathiæ lege convulſivas conſtrictiones fibrarum muſcularium cordis excitet, quæ hujus viſceris dilatationem naturalem impediant, verum frequentiores, atque validiores contractiones ſuſcitent, quæ pulſuum exiguitatem, frequentiam, duritiem &c. inducere potis erunt.

6. Extremitates in gangræna & ſphacelo frigeſcunt, eoque magis quo pulſus exiguiores fiunt, nam in pulſuum exiguitate minus ſanguinis a corde ceteras partes verſus longinquas præſertim impellitur, quare corporis extremitates minus calefactæ facile frigeſcunt, eoque citius vel facilius prout aeris frigidi impreſſionibus correpta pars exponatur.

7. Virium defectio pariter pulſuum exiguitatis conſequens eſt multiplici de cauſa; etenim ex una parte in parvo pulſu minus ſanguinis ad cerebrum evehitur, minus ex hoc ſpirituum ſecernitur, minuſque eorum cerebrum partibus communicat propinquis; ex alia parte arteriarum cerebralium pulſus, & meningum contractiones, ſpirituum animalium debilis impulſus ergo, imbecilliores fiunt, ideoque tum copia, cum celeritate ſpirituum in nervos irrumpentium ſimul imminuta etiam muſculorum contractiones, atque vires valde imminuuntur in compoſita ratione imminutionis copiæ, & celeritatis ſpirituum animalium.

8. Frequentiora deliquia quibus ſunt tunc ægræ obnoxiæ tum a pulſuum parvitate, cum virium deficientia oriri poſſunt, quæ leviori de cauſa, ut animi pathemate augentur ita in ſyncopem inducant; hæc omnia gignere pôteſt etiam obtuſus partis affectæ dolor ſanas vicinas partes infeſtans, qui cor ipſum perturbat.

9. Inæquales horrores, aut rigores convulſivi, quibus repente corripiuntur ægræ, duplici pariter de cauſa oriri poſſunt, ut in pulſuum exiguitate, aut deliquiis explicandis enunciavimus; videlicet vel quod ſerum purulentum; atque cauſticum a parte affecta refluens ſanguinem denſet, quod horrores inducat; vel quod obtuſæ impreſſionis progredientis morbi identidem per omnes cutis contextus, omneſque cutaneos muſculos ſympathicas contractiones excitent, quæ hujuſmodi phænomena producant a Latinis *horrores & rigores* nuncupata.

Apparet enim pulſuum exiguitatem, deliquia, rigores &c. duplici cauſæ me referre, qualitati videlicet humoris, aut ſeroſitatis, quæ ſanguinem inficit atque condenſat; verum indoli obtuſarum impreſſionum, quæ in affecta parte excitantur, atque hujuſmodi phœnomena, cognitis legibus ſympathicæ commotionis, inducunt; at poſteriori cauſæ magis adhærerem, nam ea phœnomena nedum validiora ſunt, niſi gangræna majores progreſſus faciat, vel nervoſas partes & ſenſibiliores afficiat, quod minime deduci poteſt ex eo quod major deleteriæ indolis humoris copia in ſanguinem irrumpat, quod falſum eſt; verum facilius explicatur, ſi ſupponamus eas impreſſiones vividiores ſenſibiliores fieri, quod certiſſimum experitur.

10. Acris ſeroſitas, quam ſtagnans ſanguis, atque inſpiſſatus ſuppeditat, ſibi per uteri ſpongioſam ſubſtantiam pandit vitam, at cum erumpere impediatur a tunicarum compactiori contextu, ideo expandi debet ſub ampullarum forma, hydatides initio referentium, quæ tamen increſcendo luteo ſero repleri, rubro, aut nigerrimo reperies, prout hujuſmodi ſeroſitas pura fuerit, aut ſanguine plus, minuſve infecta.

11. Tan-

11. Tandem hujuſmodi ſerum acre, cauſticum tunicam quæ ipſum amplectitur rodere debet, & ſubſtantiam uteri ipſam, quæ in pus converti debebit; at ſi gangræna humida ſit a parte affecta ichor, atque fœtidum pus cadaveroſum orietur.

§. V.

Diagnoſis.

I. QUæque gangrænæ ſpecies habet propria diagnoſtica ſigna.

1. Gangrænam, quæ inflammationem ſubſequitur, tunc adeſſe fatebimur quando dolor, calor, tenſio, poſtquam in inflammata parte ad ſummum gradum pertigerunt repente abeant, ut perperam ægræ ſibi ſuadeant valetudinem recuperaſſe; de qua tamen triſtari debent medici, quorum ſuſpicio augebitur prout pulſus debiliores fient, extremitates magis frigeſcent, illæ vero rigoribus & lipothymiis magis erunt obnoxiæ; tandem de gangrænæ exiſtentia ipſi certiores fieri poterunt, a phænomenorum eorum augmento, & fœtido fluenti latice.

2. Gangræna quæ ab ulceribus uteri originem ducit diverſimode progreditur, facile tamen erit eam detegere; tunc enim purulentum effluvium quod ulcera ſuppeditant deſiſtit, vel ſaltem imminuitur dum affecta pars inflammatur quod dolorem, calorem aut tenſionem auget; hujuſmodi augmentum certiſſimum præbet inſtantis gangrænæ judicium; merito enim gangrænam jam perfectam eſſe ſuſpicari licebit, modo ea phænomena repente deſinant, aut imminuantur, cum maxima pulſuum debilitate rigoribus aut lipothymiis citra cauſam manifeſtam ſupervenientibus; tandem morbus confirmatur & ſymptomata illa perſeveraverint, atque purulentum effluvium cum fœtenti odore reverterit.

3. Gangræna quæ uteri deſcenſui ſuccedit duplicis eſt ſpeciei; plerumque inflammationem ſubſequitur quam uteri deſcenſus inducit, ideoque per ſigna illa innoteſcet quæ ſunt gangrænæ inflammationem conſecuturæ communia, quamvis jam oculis inſpici poſſit, quandoque œdemati uteri ſuccedit & tunc lente, ſegniterque progreditur; verum cum facile pars affecta oculis ſubjiciatur, facile etiam erit illa cognoſcere nigredinis, mollitiei, & inſenſibilitatis ergo.

4. Tactu æque ac viſu *ſpeculo uteri* adhibito judicare tuto poſſumus de vulvæ, vaginæ, aut uteri orificii gangræna, aut ſphacelo, a quacumque cauſa procedant.

II. Variæ gangrænæ ſpecies in utero obviæ facile diſtinguuntur.

1. Quando uterus præter naturam locetur a livore, mollitie, inſenſibilitate, aut frigore affectæ partis judicamus an morbus gangrænæ vel ſphaceli nomen mereatur; hujuſmodi indicia neque tuta, neque facilia ſunt utero naturaliter conſtituto, at morbi diuturnitas, mollitiei gradus & regionis hypogaſtricæ amiſſus ſenſus, tum effluvii qualitates ſatis morbi indolem pandere potis erunt.

2. Extenſionem, atque locum in utero affectum viſu & tactu perſpiciemus ſi uteri deſcenſui ipſe ſuccedat; ſi hujuſmodi deſcenſus abſit ex antecedenti notione extenſionis, aut poſitus inflammationis vel ulceris, quæ eam induxerunt facile dignoſci poterit.

3. Quando uterus extra naturalem poſitum reperies, verum ſpumam, ichoremque affectam partem effundere videbis, tunc gangrænam humidam eſſe fateberis; ſiccam vero ſi affecta pars areſcat; verum utero naturaliter locato diſficillime ſpeciem gangrænæ detegere fas erit, niſi fœtidi fluentis laticis nec ne indoles aliquod indicium præbeat.

III. Cau-

III. Cauſarum tandem indago ſatis evidens eſt, ut circa eam cunctari fruſtraneum videatur; gangræna enim a duplici cauſa oriri ſolet inflammatione nempe, aut exulceratione, quam *calidam* veteres appellavere; vel ab œdemate aut laxitudine, quam *frigidam* nuncuparunt, ergo difficile erit circa eas prorſus diſtinctas cauſas medicum decipi.

§. VI.

Prognoſis.

GAngræna uterum infeſtat naturaliter locatum vel citra naturam poſitum ut in uteri deſcenſu obſervavimus.

1. Gangrænam uterum aggrediens in naturali ſtatu poſitum lethalis eſt & merito quidem, nam cui rationi fidendum eſt affectam partem remediis fovere poſſe, nam ſi qua fortuito illuc attigerint cito erunt refluxura; validiora vero impendi nefas erit qualia ſunt excharotica; tandem gangrænam ſecare unicum extremum remedium impoſſibile eſt; hujuſmodi prognoſis plerumque conſtans eſt, nullamque, vel paucas exceptiones ſinit; non deſunt tamen auctorum obſervationes, quæ declarant gangrænoſam partem a ſana ſeparatam fuiſſe, ægrotantes dein perfecte convaluiſſe, verum hujuſmodi obſervationes pleræque ſaltem niſi partiales uteri gangrænas reſpiciebant; nonnullæ tamen adſunt, quæ univerſalem gangrænam abraſam fuiſſe defendunt; optimum eſt conſilium eas traditiones animadvertiſſe ut valetudinis ſpe interdum ægras ſuſtineamus, attamen cum paucæ ſint, minime valebunt funeſtam indicatam prognoſim demere, quare in hoc caſu tuto aſſerere poſſumus, quod ea *rara non ſit artis* &c.; itaque ſi quid ſpei refulgeat, id niſi in ſuperficiali gangræna ſibi ſuadere licebit, vel parum extenſa, aut vagina vel circa uteri oſtium locata, quam produxerant leviora phœnomena in utero bene conſtituto, & ſubjecto vivido, juvene & optimo temperamento donato.

2. Detrimentum quod gangræna affert, minus erit ſi vaginam tantum occupaverit, minus etiam ſi vulvam, cum iis partibus remedia facile apponantur, quæ ad uterum uſque non pertingunt; verum ſcarificationum auxilium pudendorum ſaltem reſpectu facile uſuveniet, quod affectam partem abradet; nihilominus nedum lætari debemus de vaginæ aut vulvæ gangræna, quæ adhuc inſenſiſſima eſt, neque penitus unquam, aut tuto extirpari quit.

3. Aliqua ſpes ſupereſt modo gangræna prolapſo utero ſuperveniat, nam, præter topica remedia, partem affectam ſecare licebit, quod feliciter haud infrequenter eveniſſe obſervationibus conſtat, ut infra obſervabimus cum de uteri deſcenſu erimus locuturi.

§. VII.

Curatio.

QUamvis letalis plerumque videatur hujuſmodi morbi prognoſis; ſævum tamen erit curationem præterire; nihil ſane magis perterret, quam omnem felicis eventus ſpem abeſſe; at quoties medici eſt diuturnas curationes pie patienterque inire, etiamſi laboris futilitatem cognoſcat; gangræna uteri præbet novam hujus virtutis exercendæ occaſionem, quæ tamen cito tædio levat.

Generice medendi ratio in hac gangrænæ ſpecie nihil diſtat ab ea, quæ in ceteris gangrænis requiritur, etiamſi partis affectæ nobilitas, atque morbi poſitus

ſitus nonnihil magis implicet, idcirco quinque erunt indicationes proponendæ ut in ceteris aliarum partium gangrænis.

Prima indicatio eo collineat ut cauſarum vim minuamus, quæ gangrænam inducunt, plenitudinem nempe vaſorum ſanguineorum, quæ tunicarum oſcillationes impediunt; vel laxitudinem lymphaticorum, quæ elaterium amittunt; aut utrorumque lacerationem acris humoris cauſa, quod omnem vibrationem demit.

Itaque 1. Modo gangræna interna ſit atque uterum ſecundum naturam locatum infeſtet, unica ſupereſt via per quam triplicis illius cauſæ actionem imminuamus; videlicet ſanguinem extrahere, ut ejuſdem circuitus renovetur; verum cruoris, atque lymphæ vel acriorum humorum plethoram imminuere, quæ affectam partem infarcit; quam ob rem modo gangrænam a præcedenti inflammatione conſecuturam ſuſpicemur, venæ ſectiones reiterare noſtrum erit uſque dum pulſus, & ægrotantium vires permiſerint; neque in eo præcipiti caſu pulſuum aut virium debilitatem magni faciemus, modo ii debiliſſimi, aut vires maxime proſtratæ non videantur.

At 2. Si gangræna extrinſecus appareat, uterumque lædat prolapſum, aut vulvam, vaginam, vel uteri orificium deturpet, ut *ſpeculi uteri* auxilio facile conſpiciatur, venæ ſectionibus jungi debet ſcarificationum auxilium, ut pars aliqua ſanguinis, lymphæ, aut acrium humorum ibi exuberantium dematur, verum libera reſtituatur vaſorum oſcillatio, ſi qua adhuc ſuperſit, per quam priorem *vitalitatem* ipſa recuperent; eæ ſcarificationes plus minuſve profundæ, aut uberrimæ fiunt in ratione gradus, aut extenſionis gangrænæ; generice ut omnem utilitatem præſtent, vivam uſque carnem ſcindere neceſſe erit donec ægræ conquerantur, atque ſanguis liquidus, ruber, & calidus fluat.

Secunda indicatio poſtulat quod vaſorum robur reſtituamus, ſi quod recuperare potis ſint, poſtquam ſuperioribus auxiliis vaſa depleta fuerint; hac de cauſa remedia ſpirituoſa uſuveniunt, & ſtimulantia, quæ valeant vividiores ſucculſiones excitare in affecta parte, cujus ſenſus pene abolitus videtur, ideoque eſcharotica ipſa præſcribi licebit.

I. Ecce vobis oſtendam remedia, quæ uteri gangræna affectis ſumma gracilitas in diverſis circumſtantiis impendi ſinit.

1. Si gangræna intus uteri cavitatem deturpet, injectiones commendant ex decoctione tepenti paratas foliorum Abſynthii, Matricariæ, Artemiſiæ, Ariſtolochiæ, Pulegii, Mæliloti, Chamæmeli, aut Scordii, quibus addi poterit aqua Calcis ſimplex, aut Sale Ammoniaco imbuta, vel Unguentum ægyptiacum, Collyrium Lanfranci, ſpiritus Theriacalis, Tinctura Myrrhæ aut aqua vitæ Camphoratæ & Sale Ammoniaco ſaturata; eorum remediorum doſis gradui, & vehementiæ morbi reſpondet; at cum hic urgeat, melius erit exceſſu nonnihil quam defectu peccare; interdum modo ea parum agant, injectionibus permiſceri aquam phagedænicam limpidam neceſſe erit vel ſaturatiorem ſi opus requirat.

2. Si gangræna extrinſecus offendat, uterum nempe prolapſum, aut vulvam lædat, eadem decoctio adhibetur ſimili ratione parata, verum cinerum lixivio ebullita, aut additis drachmis duabus vini meraci; ut efficacior evadat, fomenti more tunc uſuvenit, quo gangrænoſam partem fovent aut affectam vulvam; poſſunt etiam linteola ea madida explicari.

3. Tandem ſi gangræna alterutrum latus vaginæ aggrediatur, turundæ ſpecies parantur modice vinctæ, & ea decoctione ſaturatæ, quæ peſſariorum more in vaginam intromittuntur.

In ſingulis iis caſibus numquam injectiones ſunt rejiciendæ, fomenta, aut peſſaria prout morbi ſtatus poſtulaverit, aut partis ſenſibilitas vel ægrotantium patientia permiſerint.

II. In-

II. In extrema gangræna efficaciora reliqua ſunt auxilia, minime prætermittenda.

Hujuſmodi ſunt 1. Cataplaſmata, aut peſſaria laboranti parti applicita; veteres cataplaſmata farinacea tantum adhibebant ex Orobi, fabarum; aut hordei pulveribus confecta, & oximelle ebullita, quibus interdum addebant lupulorum farinam, Aloes, aut Myrrham, quæ virtutem earum intenderet; hodie ſimpliciora ſed validiora efformantur ex ſubero, Myrrha, & Sal Ammoniaco rite pulveriſato, & idonea doſi parco mele ſubacto ad pulmenti conſiſtentiam, addito etiam Unguento Ægyptiaco ſi opus videatur.

2. Eſcharoticorum applicatio parti affectæ aut melius ſcarificationibus jam patratis hic locum habet; veteres rotulas adhibebant Andronii, Polidæ, Muſæ, Paſſionis, aut Aſphodeli, quorum compoſitiones apud Galenum extant, a quo noſtri veteres Pharmacopolæ eas didicerant paucis mutatis; at ea remedia prorſus obſoleverunt, neque amplius in pharmacopeis reperiuntur, quibus remedia tutiora ſubſtituerunt atque uſitatiora, cujus cenſus proſtant Præcipitatum rubrum ægyptiaco remixtum, ſupra pulvinum extenſum; aqua phagedænica diluta, vel ſaturata, qua affectam partem humectant; vel quod efficacius agit Mercurii vivi ſolutio, aqua forti peracta, qua leviter gangræna irroratur; nihilo tamen minus caute incedendum eſt circa validiorum horum eſcharoticorum uſum, tum ut effectus ipſorum dirigamus, cum impreſſiones compeſcamus, quæ dolorem excitare valerent acutiorem, verum ægras inſenſiſſimis convulſionibus laceſſere ſi ipſe nimis augeatur.

Tertia indicatio erit eſcharæ ſeparationem promovere aut gangrænæ, quam ſi incaſſum tentabimus, ſuperſtitis ulceris conſolidationem ſtrenue promovere noſtrum erit.

Eſcharotica nunquam ſunt prætermittenda niſi certiores fieri poſſimus gangrænam non amplius progredi, quod tuto dignoſcitur in externa gangræna circeli rubri ergo, eam circumſcribentis, aut purulentæ humiditatis, quæ ab hoc margine ſeparatur, quod tantum conjecturari licebit in interna gangræna a ceſſatione, vel ſaltem teterrimorum gangrænæ phænomenorum imminutione.

Tunc in externa gangræna eſcharam tondere forſicum acie, verum partem oblinire ter, quaterve in die cum butyro recenti, lactis cremore, albo ovorum quaſſato, aut oleo roſato neceſſe erit; denique ſi ſuppuratio circa gangrænæ limbos oriri incipiat, pulvillos ſuppurantibus mitioribus cum ovi luteo obductos applicito, donec deterſo ulcere materies ſeparetur.

At cum gangræna interna ſit, injectiones tantum intromitti poterunt butyro, lactis cremore, oleo roſato, aut leniori ſuppurante confectæ, naturæ effluvii ratione habita, aut phœnomenis quæ eſcharam jam ſeparari prænunciant.

Modo eſchara jam prolapſa videatur, ſuperſtes ulcus conſolidare noſtrum erit, quod difficilius erit in interna, quam externa uteri gangræna, injectiones enim ſimilibus remediis imbutæ tantum adhiberi poterunt: hanc tamen medendi rationem in utroque caſu pluries in die renovabimus, injectiones præſertim, circa quod *caput proximum* pervolvito, in quo *ulceri hujuſmodi* curandi methodus exhibetur.

Quarta indicatio. Erit motum cordis ſuſtinere atque liberam promovere circulationem ſanguinis cordialium auxilio; efficaciora tamen aut nimis calefacientia minime amplectenda videntur, quæ ſanguinis velocitatem intendunt, ac proinde febrem, inflammationem, atque infartum affectæ partis augent, & gangrænam ipſam; verum tuto mitiora exhiberi poterunt, quæ actione ſua potius quam ſolida laceſſere ipſa leniter emolliunt; hujuſmodi ſunt potiones cordiales ex aquis diſtillatis C. B. Meliſſæ, Scabioſæ, Scordii, ulmariæ paratæ; electuaria Hyacinthinæ, Alkermes, Theriacæ; Antimonium diaphoreticum; oculi

can-

cancrorum; aqua florum aurantiarum aut Cinnamomi, hordeacea &c. ſyrupus caryophilli, eorum nonnulla congrua doſi pro circumſtantiarum ratione ſimul copulando.

Hujus remedii cochlear aut uncia ſemis quarta quoque hora ægris propinatur doſim augendo aut vices repetendo, ſi caſus urgeat, efficaciora addantur, Lilium nempe, Sal volatile C.C. aut vituperarum idonea doſi, neque ſunt contemnendæ guttæ flavæ, aut albæ ſic dictæ *Ducis la Motte*, etiamſi revera ſpecies ſint aquæ fortis imperfecte edulcoratæ.

Poſtrema indicatio poſtulat abraſionem partis gangrænatæ, incaſſum ceteris adhibitis remediis; ea præſertim potiſſimum locum habent in prolapſo utero intimius gangræna fœdato cui aliter mederi ſpes deſit, idem quandoque uſuvenit in ſimplici uteri deſcenſu citra gangrænam quando pro aucta craſſitudine reductio impediatur, non deſunt exempla in capite *De uteri deſcenſu* enuncianda ubi hujus amputationis methodus fuſius explicabitur; eadem extirpatio tutius peragitur dum vulva gangræna deturpatur, cujus rei obſervationem reperies apud Vierum (*a*) at ea prorſus fruſtranea atque impoſſibilis evadit tum in vaginæ, cum uteri naturali modo locati maceratione.

Tandem in uteri gangrænæ amputatione ſubſequentes animadverſiones erunt ſedulo perpendendæ.

1. Jura leviora exhibere in gangrænæ ſaltem progreſſu neceſſe erit, quod ſi morbus conſiſtat, brodia carnibus ſaturata aut oryzæ cremore, vel luteo ovorum inſpiſſata erunt exhibenda.

2. Alvum quotidie laxare oportebit clyſteriis emollientibus.

3. Ægras ita locare fas erit ut ventris altior poſitus puris fluxum per vaginam expediat; hæc methodus minus neceſſaria videtur dum uterus injectionibus irroratur, quæ ibi perſiſtere debent.

4. Ægras ſubinde leniter purgare oportebit modo gangræna deſiſtat aut ejuſdem maxima pars avulſa ſit; leniora tamen purgantia erunt præſcribenda ex uncia & ſemis Mannæ, vel duplici uncia Mannæ, aut Caſſiæ in grandiori cyatho ſeri, aut decoctionis Althææ ſolutæ.

Remedia propoſita adverſus uteri Gangrænam quibus tute uti poſſumus.

Paucis ab hinc annis per totam Europam invaluit adverſus gangrænam ſpecifica corticis Peruviani efficacia; primam circa hanc rem obſervationem Chirurgus Anglus oſtendit nomine (M. Ruſchwort in Northampton); anno 1715. ipſa inſtituta fuit in iis gangrænis, quæ a febribus intermittentibus originem, aut progreſſum ducebant, ut in iis tantum circumſtantiis ille hoc pharmacum præſcriberet, in quibus ſolum fortaſſe utiliter uſuvenit.

At paullo poſt Medici Londinenſes experientiis comprobare tentarunt illam in omni gangræna a cauſa externa orta convenire, febrem ea, vel non intermittentem, aut continentem comitem haberet; nonnullæ eorum animadverſiones reperiuntur in *tranſactionibus Anglicanis* anno 1732.; ſpeciem vero confirmatæ hujus obſervationis in verſione cum notis hujus voluminis legitur *D. Bremond*.

Demum publici juris facta hujuſmodi obſervatione Scoti novis experientiis ipſam illuſtrarunt, quod conſtat ex *Obſervationibus Medicis Societatis Edimburgenſis Tom. II. Art. XXXIV. Tom. III. Art. V. & VI., & Tov. IV. Art. X.*, quare

(*a*) Obſervation. Medicar. *Lib. I.*

quare non ſolum Anglorum inventa confirmarunt, verum Chinæ Chinæ in omni cum ab externa, cum interna cauſa nata gangræna ampliarunt.

Hujus rei felix eventus apud Alemannos tranſitum fecit, quare D. Heiſterus, Univerſitatis Helmſtadienſis Publicus Medicinæ Profeſſor celeberrimus, remedium non inutiliter in duplici caſu tentavit, ejus obſervationes naturæ curioſis communicavit quæ Volumine quinto *Obſerv.* 156. *pag.* 520. reperiuntur.

Liceat hic mihi animadvertere D. Tacconum Celeb. Medic. Bon. haud paucam ſibi laudem promeruiſſe qui hujuſmodi experientias utiliter reiteravit, verum de iis loculentiſſimum libellum nuper conſcripſit.

Abramus Vaterus Medicinæ Profeſſor Vittembergenſis diſſertationem ſcripſit *de efficacia admiranda chinæ chinæ ad gangrænam ſiſtendam in Anglia obſervata*, plures tradidit obſervationes, quæ tamen minus fide dignæ ſunt.

Apparet etiam apud Gallos & Pariſienſes præſertim non defuiſſe qui hujus remedii virtutem tentare non maluiſſent, at eventus conceptæ ſpei, & Anglicis obſervationibus non reſpondit. D. Gregorius enim Chriſtoforus De Tharding Profeſſor Medicus in Roſtock, verum Regis Daniæ Medicus parvi faciebat hujus remedii efficaciam quam animoſe adverſus gangrænam ceteri jactabant, ut in ſuis Theſibus apparet, quas Roſtock defendit an. 1746. atque Celebr. Hallerus in Collectione Theſium Medicinalium inſeruit Tom. VI. *De corticis chinæ efficacia in gangræna & ſphacelo adhuc dubia*.

Ea tamen minime ſufficere ſuadeo ad rejiciendum pharmaci uſum adverſus gangrænam; procul enim audaciæ nota nemo contentionem definire debebit, verum caute incedendum erit illum ſedulo perſcrutando antequam animoſe amplectamur, ſecus maxima præoccupatio recentiorum remediorum materiæ medicæ incertitudinem potius augere, quam explanare potis erit.

Nihilo tamen minus cum hujus pulveris uſum nullum detrimentum inferat, fas erit remedium tentare in deſperatis præſertim caſibus internæ gangrænæ, ubi cetera remedia, topica præſertim, fruſtranea videntur, qua de cauſa methodum referam pro circumſtantiis diverſis, qua in Anglia hujuſmodi remedium exhibebatur.

Corticis Peruviani enim exhibitio tum in Anglia, tum in Scotia gangrænam adverſus nihil differt ab ea, quæ in febribus intermittentibus obvia eſt, præſcribunt enim ſemel bis in die, vel quarta quoque hora ſi opus requirat ad doſim interdum ſcrupuli unius, crebrius tamen ad drachmam ſemis, ſcrupulos duos, aut drachmam; autumo porro æque in ſubſtantia vel in decoctione eamdem utilitatem afferre modo doſis ſervetur, haud inutiliter etiam, proſecuturi erimus Chirurgi Londinenſis monitum *Joannis Schipton*, cujus rei libellum *in tranſactionibus Anglicanis* extat an. 1732., ipſe docet; reſinam, aut extractum pulveris loco, & minori doſi eſſe exhibendum, verum in hoc caſu ſalem præcellere, vel ſaltem extractum teſtatur methodo confectum *D. de la Garraye*, nam putat Chinæ Chinæ virtutem magis ſervare quam cetera extracta.

De cetero ſupervacaneum cenſeo animadvertere Chinæ Chinæ uſum minime implicare exhibitionem ceterorum remediorum adverſus hunc morbum uſitatorum; effectus enim Chinæ Chinæ adhuc valde incertus eſt, & gangrænæ exitus valde funeſtus, ut imprudenter in ea nimis cunctemur ceteris uſitatioribus neglectis remediis, & temporis diuturnitate confirmatis.

CA-

CAPUT III.

De Apoſthemate, ſeu uteri abſceſſu.

§. I.

Deſcriptio, & Differentiæ.

I. QUando uteri infartus inflammatorius impar ſit uteri gangrænam inducere: vel quia ipſe nondum vaſorum oſcillationes penitus intercipiat, vel cauſæ eum producentes ita violenter agant, ut integram reſolutionem implicent, tunc humor in utero redundans in pus degenerabit, quod in aliqua parte congeſtum apoſthema, aut abſceſſum gignere potis erit.

Dum ea peragitur humorum corruptio in inflammata parte, inflammationis phœnomena valde increſcunt, calor, rubor, dolor, tenſio, febris &c., imo rigores crebri, breves, irregulares ſuperveniunt.

Ea phœnomena ſuppuratione perfecta, & apoſthemate aut abſceſſu confirmato imminuuntur, verum neglecto morbo exacerbationes citius duplicantur, & in diem vehementiores fiunt, quæ in ſudorem colliquativum, & lentam febrem deſinunt; ægræ dein emaciantur, pallent, areſcunt, urinas turbidas purulentas mingunt, colliquativo ventris fluxu laborant, aut anaſarca, modo pus ſibi viam non pandat, aut hanc ipſi non aperiamus exeunti.

Suppurationis prænuncia, modo citius, modo ſerius apparent, plerumque tamen intra ſextum, aut ſeptimum, & undecimum aut duodecimum inflammationis diem occurrunt.

II. Eadem accidentia, vel ſaltem valde ſimilia citra aliquam præcedentem inflammationem interdum eveniunt; in hoc caſu ægræ ſtatim tumorem, tenſionem, calorem in utero perſentiunt, quæ mitiora ſane experiuntur quam in inflammatione, ita valida tamen perſiſtentiæ ſaltem cauſa, ut ſedulam attentionem mereantur.

Interdum ea ſymptomata deferveſcunt, ita ut morbum abire credamus, at paullo poſt horrores revertuntur a lenta febre procedentes, quæ ſemel, vel pluries in die recrudeſcit; iis de cauſis ægræ macie corripi incipiunt, pulſus turbantur, & febriles evadunt, dolor, tenſio, calor, atque tumor renovantur aliquam uteri partem reſpicientes, quæ in ſuppurationem vergit.

Analogia cum morbis pectoris præſertim, & cadaverum inſpectione deducitur, a tuberculis morbum incipere in ſubſtantia tunicarum uteri locatis, quæ in diem augentur, augentque phœnomena illa omnia valde teterrima.

III. Igitur duo erunt ſpecies apoſthematis aut abſceſſus uteri, quæ cauſæ producentis ergo inter ſe differunt, altera inflammationi ſuccedit, & phlegmonoſa appellatur, altera tuberculis quam tuberculoſam dicunt, veteres eas non ignorabant, quibus prima erat *calidum*, altera frigidum apoſthema.

Ceteræ differentiæ, quæ haud paucæ ſunt, a præcipuis morbi circumſtantiis derivantur.

Ideoque morbi gradus reſpectu, *abſceſſus fiens* dicitur dum vehementiora ſunt ſymptomata, *factus* dum mitiora apparent.

Poſitus morbi ratione abſceſſus, fundi, lateris aut colli uteri dicitur anticus, vel poſticus, tum vaginæ aut vulvæ.

Diſtinguitur extenſionis ergo in magnum, profundum, vel exiguum, aut ſuperficialem.

Ve-

Verum modo ſimplex appellatur abſceſſus, ſi unica cavitate pus coacervetur; celluloſus vero, ſi per plures anfractus invicem communicantes ſanies pervaget.

Tandem vel *non complicatus*, quando ſimplex eſt abſceſſus; vel *complicatus*, ſi cancro, aut ſcirrho copuletur.

§. II.

Cauſæ.

CUm abſceſſus inflammatorius, & tuberculoſus inter ſe differant, ideoque duplicem poſtulaverint explicationem.

I. Inflammatorii abſceſſus reſpectu jam in Tractatu de Tumoribus, ubi de ſuppuratione locuti ſumus, quæ illum producit, oſtendimus,

1. Ex quatuor partibus conflari ſanguinem; ex rubra nempe ſeu globuloſa; ex lymphatica gelatinoſa, ſeu melius fibroſa; ex lymphatica tenuiori; denique ex ſeroſa; ex iis elementis lympha gelatinoſa, & tenuior in pus converti poſſunt, vel prior ſolummodo.

2. Quare in omni inflammatione, quæ in ſuppurationem vergit, neceſſum erit quod rubram partem, ſerum, atque lympham tenuiorem, vel abſorbeant vaſa venoſa, vel evaporatio earum maximam partem demat; gelatinoſa tantum ſuperſtite in pus reverſura.

3. Hujuſmodi gelatina, ut in ſaniem ſe convertat, plures mutationes ſubire debebit, videlicet. 1. Quod liquida perſiſtat etiam frigefacta, cum antea glaciei more inſpiſſaretur. 2. Quod aqua ſaponis modo ſe ſolvat, cum prius inſolubilis experiretur. 3. Quod ſalſa acris, corrodens fiat, etiamſi prius inſipida, & dulcis eſſet. 4. Quod ex inodora fitum redoleat. 5. Verum opaca cinerea fiat, etiamſi antea clara, alba, lactea appareret. 6. Tandem aqua ſpecifice gravior evadat cum antea levior foret. Hæ totidem conditiones ſunt, quæ a pure diſtinguunt naturalem gelatinoſam lympham.

4. Omnes denique hujuſmodi mutationes, quæ neceſſariiſſimæ ſunt, ut lympha illa in pus convertatur per ſucceſſivam vaſorum turgentium oſcillationem, accidunt, quæ jugiter quaſſando, ſuccutiendo, aut ſubigendo gelatinoſas moleculas, facile eas alterationes inducit, quas intimius perſcrutari ſupervacaneum cenſeo.

Generalior hujuſmodi Theoria ſufficit ad explicandam ſpecialem abſceſſus uteri generationem, nam evidens eſt,

1. Aut vaſa in inflammata uteri parte rubram, ſeroſamque ſubſtantiam ibi ſtagnantem per reſolutionem haurire, aut per evaporationem expellere.

2. Verum mora gelatinoſam lympham a vaſorum preſſione alterationes omnes ſubire neceſſarias ad pus gignendum.

3. Hujuſmodi methamorphoſis ſanguinis in pus nedum accidit in ea inflammatione, quæ in gangrænam deſinit, nam citius quam par eſt oſcillationes vaſorum tunc abeunt, antequam ſuppurationem inducant; Item in inflammatione, quæ per reſolutionem tollitur, nam in eo caſu ſanguinis circulus reſtitutus oſcillationibus arteriarum non fit obnoxius, quæ valeant ipſum vitiare.

4. Verum gignitur in ea tantum inflammationis ſpecie, quæ neque in gangrænam, neque in reſolutionem deſinit; nam in confluentia horum caſuum ex una parte oſcillationes diu perſiſtunt, ex altera ſanguis morans earundem actioni expoſitus tandem in pus converti debet.

5. Ea nunquam cis diem ſextum, neque trans decimum ſolet ſupervenire; non cis ſextum, quod tempus requiritur, ut arteriarum vibrationes valeant ſanguinem in ſa-

in ſaniem mutare; neque trans decimum, quia oſcillationes, quæ per decem dies continuatæ impares fuerunt ad ſuppurationem gignendam, modo validiores non fiant, minime valebunt citra hoc tempus eam generare.

6. Tandem ſuppuratio citius, aut ſerius pro circumſtantiarum, aut ſubjectorum diverſitate erit ſuperventura. 1. In ratione niſus, & frequentiæ majoris, vel minoris oſcillationum turgentium vaſorum ſanguine in eodem ſtatu perſiſtente. 2. Prout ſanguis plus, minuſve diſpoſitus ſit, ut in pus converti ſinat, in eodem gradu oſcillationibus perſiſtentibus. 3. Prout ambæ hæ cauſæ ſimul concurrant, videlicet tum in ratione niſus, & frequentiæ oſcillationum, cum diſpoſitionis ſanguinis.

II. Abſceſſus tuberculoſi reſpectu omnis ejuſdem theoria a tribus potiſſimum ſubſequentibus cauſis dependet: 1. Qualia ſint hujuſmodi tubercula, quæ abſceſſum inducunt? 2. Quomodo ea in utero efformentur? 3. Qua de cauſa ſuppurentur?

Quæſtio prima. Tubercula generice grana ſunt glanduloſa, dura, firma, compacta, alba, levigata tunica obtecta fortiter adhærenti, ſphærulam, aut ſphæroidem plerumque referunt; at craſſitudo eorum, & numerus in ſingulis caſibus, & ſubjectis variare ſolet; interdum ea piſum adæquant, vel exiguiora, ſunt parvi facienda; interdum nucem, aut ovum columbi magnitudinem non ſuperant; quandoque quamvis exigua, tamen confertiſſima ſunt; quandoque pauciora apparent, verum craſſiora valde, & ampla.

Structuræ partium cognitio, ubi tubercula communiter efformantur, oſtendit tres ſpecies tuberculorum diſtingui; 1. Ea quæ in exiguis glandulis coagmentantur, quæ per omnes partes incedunt, & ſunt potiſſima cauſa ſegnitiei circulantis lymphæ. 2. Illa vero quæ efformantur intra nodos venarum lymphaticarum capillarium, videlicet in confluentia valvularum ſygmoidarum, ubi venæ ſunt per intervalla interſectæ. 3. Tubercula, quæ originem habent in glandulis cuique parti propriis, ut bronchiales in pulmone, & inteſtinales in inteſtinis.

Quare, ut in viam revertamur, tubercula, de quibus agitur, uteri propria a triplici loco oriri poſſunt. 1. Intra exiguas lymphaticas glandulas ibi locatas. 2. Intra nodos ramificationum capilarium venarum lymphaticarum, quæ per uteri tunicam repunt. 3. Intra vaſa lactea uteri propria, quorum ſtructuram, atque uſum breviter explicavimus in *Cap. I. Lib. I.*

Quæſtio ſecunda. Cum tubercula ſemper neceſſariæ conſecutiones ſint turgentiæ glandularum, aut venarum lymphaticarum, vel vaſorum lacteorum; ideoque neceſſe erit lympham affluere in iis glandulis; aut venis in primo, & ſecundo caſu, aut in poſtremo lac vaſa vermicularia infarcire.

Tunc enim lympha, aut lacteus uteri liquor nequit intra propria receptacula cumulari, niſi hac triplici de cauſa: 1. Vel quod ſpiſſiores ſint, quam in ſtatu naturali, ut circumvehi impediantur. 2. Vel quod anguſtiores ſint anfractus, per quos libere tranſire nequeant. 3. Vel quia ambæ hæ cauſæ ſimul concurrant ad hanc œconomiæ animalis partem pervertendam.

Fuſius infra examinabimus hujuſmodi tres cauſas cum de ſcirrhis verba faciemus, ſat erit enim hic animadvertere. 1. Priorem caſum, videlicet lymphæ ſpiſſitudinem, aut lactis uterini oriri, 1. Ab uſu viliorum alimentorum, quæ craſſiorem chylum ſuppeditant. 2. Ab eorum incompleta digeſtione, etiam optimorum, quæ non bene ſubactum chylum præſtant. 3. Ab admixtione fomitis venerei, ſtrumoſi, aut ſcorbutici &c. quæ ſanguinem inſpiſſat. 4. A repentino frigore, quod caſu fortuito uterum infeſtat, ibique circulantes humores condenſat.

2. Verum alterum caſum, videlicet canalium occluſionem, per quos lympha, atque uterinum lac tranſire ſolent, ab erethiſmo pendere, aut convulſiva criſpatione, quæ fibras uteri laceſſit ſeminis virulenti ergo, quod communicaverint albus fluor, & acer, aut uſus injectionum ſtimulantium, & corroden-

tium,

tium, ictus, aut colliſio uteri, vehementiora animi pathemata iræ, lætitiæ, aut mœroris &c. præſertim menſtruis fluentibus, aut Lochiis.

3. Tertium denique caſum, connubium nempe duorum priorum procedere a ſpecialium cauſarum utrinque affinitate, quæ hanc copulam gignit; conſequitur enim 1. Numerum tuberculorum ab extenſione cauſarum producentium originem ducere; idcirco prout magis lympha, aut lac uterinum inſpiſſabuntur, fibræ matricis criſpabuntur; verum quo plus lymphæ, aut lactei humoris in propria receptacula detinebitur, confertoria erunt tubercula; & contra in oppoſitis circumſtantiis.

2. Magnitudinem tuberculorum facere facilem dilatationem glandularum, venarum, aut turgentium vaſorum; verum niſum, quo eo lympha, aut lac impelluntur; ideo quo magis dilatabilia erunt organa illa, eo grandiora fieri tubercula videbit, at contrarium eveniet, ſi oppoſitæ cauſæ agant.

3. Duritiem tuberculorum a gradu ſpiſſitudinis pendere lymphæ, aut lactis uterini; ideo quo citius, ac validius ii humores inſpiſſabuntur, eo tubercula erunt compactiora, & contra in oppoſito caſu.

4. Tandem tubercula quamtumvis dura apparuerint, compactiora ſemper erunt in circumferentia, quam in centro; humor enim, qui tuberculi internum parietem lambit, primus eſt qui retardatur, atque inſpiſſatur; contra vero qui centrum occupat liquidior eſt, ſerius detinetur.

Tertia quæſtio. Tubercula matricis æque ac ceterarum partium crebro in ſuppurationem vergunt; hæc corruptio in centro plerumque incipit tuberculi, ubi vidimus materiem fluidiorem eſſe, ideoque magis diſpoſitam ad hanc mutationem ſuſcipiendam:

Etenim niſi violentioribus contractionibus arteriarum circumpoſitarum hujuſmodi ſuppuratio tribui poteſt; evidens porro eſt auctum vaſorum pulſum agitare, quaſſare, ſuccutere ſenſim, ſenſimque retentam lympham in pus convertere, ut in inflammatione partis craſſioris ſanguinis lymphaticæ evenire obſervavimus.

Ex iis conſequitur nedum tubercula ſuppurari, niſi inflammationis, ergo alicujus propinquæ partis arteriæ validius commoveantur; vel ictu, contuſione, aut frigore pars afficiatur infirma; intemperanter veſcantur cibis acrioribus, ſpirituoſioribus, calefacientibus; denique pervigilio, animi pathemate, exercitio nimio, ſolventium abuſu &c. crucientur; quæ una ſimilem effectum præſtant.

Nihilominus enim, etiamſi ſuppuratio tuberculoſa, & inflammatoria haud levem affinitatem habeant, in utroque tamen caſu pus diverſæ indolis reperitur; quod inflammatio ſuppeditat album eſt, ſpiſſum, æquale; quod vero gignunt tubercula ſeroſum, cinereum, inæquale, & grumoſum &c. itaque illud ex gelatinoſa ſanguinis lympha magis corruptibile efformatur; hoc ex vulgari lympha producitur, aut peculiari humore haud facile ei mutationi prono; alterum denique promovent propinqui arteriarum pulſus, & validiores; alterum imbecilliores, atque diſtantes.

Qualitati etiam materiæ in tuberculis detentæ, atque inertiæ cauſarum ſuppurantium ſegnitiem tribuunt, qua tubercula marceſcunt; interdum incœpta ſuppuratio in aliquo tuberculo diu citra ſenſibile augmentum perſiſtit; attamen augetur tandem ichor, tumeſcit, rareſcit, tuberculum inflatur, emollitur, receptaculum gignitur aut *cyſtis*; aut, ſi mavis, tuberculoſus abſceſſus.

Quod de uno tuberculo dictum eſt, idem de pluribus in aliqua parte locatis dicendum erit; nam cauſæ æque agentes, eoſdem prorſus in hac mutatione effectus præſtant, hac de cauſa unius tuberculi putreſcentia ceterorum præſentem, aut proximam ſuppurationem indicabit pro diverſa cauſarum applicatione ſuppurantis materiæ qualitate.

§. III.

Sympthomata.

I. DUm abſceſſus producitur, ichor in parte affecta rareſcere debet, ibique nerveas laceſſere fibrillas, vaſa capillaria comprimere, ſanguinis curſum ſiſtere, pulſum arteriarum intendere; iiſque de cauſis tenſionem, dolorem, atque calorem augere.

2. At abſceſſu jam confecto ſymptomata imminuuntur, vel quod pus non amplius rareſcat, aut minus; vel quod inducta a ſuppuratione continui ſolutio vaſa, fibraſque laxet.

3. Dum pus in abſceſſu congeritur, ejuſdem pars non exigua a vaſis hauritur ſanguineis, & lymphaticis propinquis, quæ illum in ſanguinem devehunt; hujuſmodi inquinamentum tunc lentam febrem inducere debet pro ratione ſalium, quibus ſaturatur, quæ humores ſolvunt, crebrioreſque excitant cordis, & arteriarum contractiones.

4. Ea puris transfuſio augeri poteſt per cauſas accidentales, pervigilium nempe, dolorem, corporis aut animi commotionem, remediorum applicationem, aut partium vibrationem &c. tuncque ſane magna copia tranſducta condenſabit ſanguinem ſerius ea nondum perfecte remixtum, quod rigores plus, minuſve frequentes excitabit, ſenſibiles, aut regulares, prout pus illud citius, vel ſerius, aut uberius cruorem deturpabit.

5. Cum intimius ichoris flocci ſanguinem penetraverint, horrores imminuentur, febris explicabitur, quia libere tunc ſalia agent adverſus cor, atque arterias; ex eo procedunt febriles acceſſus, qui rigoribus ſuccedunt; plus, minuſve diutini pro copia, aut qualitate puris producentis; qui humoribus ſolutis in ſudorem colliquativum deſinunt.

6. Ex anteactis deducitur abſceſſum, matricis præſertim, jugiter febrem lentam inducere perſiſtentem uſque dum pus effluit, quam comitantur exacerbationes irregulares, rigores, & conſequuntur ſudores colliquativi; huic febri enim, & ſanguinis ſolutioni macies tribuuntur, conſumptio & ægrotantium excidium.

7. Quando pus, quo ſanguis inquinatur, uberrimum fit nimis, atque ſpiſſum ut difficillime, aut imperfecte ſolvatur, ejuſdem flocci, aut guttæ aliquot urinoſam feroſitatem deturpant, & per renes ſeparantur, ut lotium turbidum, fœtidum, atque purulentum appareat.

8. Ea phœnomena magis conſpicua ſunt in inflammatorio, quam tuberculoſo abſceſſu, quia in illo pus undique effunditur, in hoc a circumpoſitis membranis impeditur, niſi ipſæ diſrumpantur.

9. Pus in abſceſſu collectum uteri continenter tunicas erodendo tandem vel per vaginam anterius aliquam ſibi pandit viam, vel multiplicem poſterius; modo enim veſicam aut rectum penetrando lotium, aut alvum materies ſeparabitur; modo circa thecam teretium ligamentorum ſerpendo, aut latera vaginæ, inguina, aut pudenda infarciet; modo in abdominis cavitate collectum erumpere impeditur. Hujuſmodi exeuntis puris ſemitæ diverſæ a vario abſceſſus poſitu dependent; quando abſceſſus internam uteri faciem deturpat (quod crebrius evenit) intra ipſum diſrumpitur; exterius vero erumpit dum externam faciem matricis lædit; in poſtremo caſu prout abſceſſus uteri ſupradictis partibus propinquus erit, eo conciſo, hanc vel illam ichor infeſtando ſibi viam aperiet, peritonæum interdum perfodiendo.

§. IV.

§. IV.

Diagnoſis.

I. D*Iagnoſis morbi*. Omnem inflammationem plerumque ſuſpicari licebit in abſceſſum vergere, modo decimo, aut duodecimo morbi die indicia perfectæ reſolutionis non appareant; verum uterus doleat, atque durus, & tenſus perſiſtat.

Signa pene certiſſima erunt inſtantis abſceſſus quando loco reſolutionis, doloris, tenſionis, atque caloris augmentum, aut febris exacerbatio appareat ſine cauſa manifeſta.

Tandem nullum ſupereſt dubium uteri abſceſſus, quando perſiſtunt in hac parte tumor, pondus, & abſceſſus dolor, tum lenta febris, exacerbationibus obnoxia, quam rigores præcedunt, & ſudores ſubſequuntur, qui ægras labefactando maraſmum inducut.

Signa hujuſmodi abſceſſus qui a tuberculo ſuppurato procedit, valde incerta ſunt: initio enim morbi illum nihil prænunciat, levior tantum ſuſpicio adeſt modo tuberculum increſcat, nam ægræ tunc circa uterum conſtanti tenſione, atque dolore cruciantur; tandem certiores fieri incipimus tuberculum intra uteri ſubſtantiam referari, nam tunc pus ibi expanſum eadem phœnomena producit, quæ abſceſſus inflammatorius induxerat, etiamſi tunc mitiora appareant

II. *Diagnoſis ſpecierum* morbi

1. Abſceſſus vel *fiens* dicitur & augmento doloris, caloris, tenſionis uteri, atque febris exacerbatione ipſe innoteſcit; vel abſceſſus *factus* appellatur, & phœnomenorum imminutione, febre lenta, rigoribus, exacerbationibus, atque ſudoribus colliquativis, qui maraſmum progignunt, dignoſci ſolet.

2. De abſceſſus poſitu judicamus a poſitu majoris doloris, atque reſiſtentiæ, quam ægræ perſentiunt.

3. Ejuſdem extenſio a tenſionis, doloris extenſione, & tumoris volumine cognoſcitur.

III. *Diagnoſis cauſarum*. Certi eſſe poſſumus abſceſſum *phlegmonoſum* eſſe modo inflammationi uteri ſuccedat, cujus reſolutio vel nullo modo, vel imperfecte fieri poterit; progreſſus hujuſmodi abſceſſus plerumque facile pateſcunt.

Tuberculorum vero abſceſſum ſine præcedenti inflammatione evenire ſolet, ejuſque incrementum ſegne eſt & ſymptomata eo valde mitiora ſunt.

§. V.

Prognoſis.

ABſceſſus uteri morbus valde periculoſus eſt; vel ille durus, compactus exiſtat, vel diſrupturus ſit.

I. In *primo caſu*; 1. Pus, quod in abſceſſum irrumpit, ſenſibiliter ſanguinem inficit, ibique perſiſtens febrem lentam, quæ ægram minatur, inducit in conſumptionem, aut hydropem deſituram.

2. Si pus in abſceſſu valde ſpiſſum ſit, parietes indureſcunt, qui calloſi fiunt, & temporis diuturnitate carcinomatoſi.

3. Si pus vero liquidum, & acerrimum ſit, ſenſim ſenſimque deſtruit ſolidas partes, & matricem lædit ita, ut uterus in corruptionem, aut gangrænam vergat.

In *Secundo caſu* ignoramus qua ex parte abſceſſus diſrupturus ſit: 1. Si in abdo-

abdominis cavitate reſeretur pus ibi collectum, atque expanſum gangrænam certiſſime induxerit.

2. Si intra veſicam, aut rectum rumpatur, pus affluere poterit, ut diutius ægræ vitam gerant febre lenta tandem morituræ.

3. Nonnihil ſpei aderit, ſi abſceſſus inguina, aut vulvæ labia infeſtet; nam facilem puri viam parare poterimus, ulcuſque detergere, quod tamen plerumque impoſſibile eſt conſolidare.

4. Tandem abſceſſus plerumque intra uterum reſeratur, quod etiamſi minus periculoſum evadat, ulcus relinquit fœtidum, & curatu difficillimum, cujus conſecutiones valde letales ſunt, ut capitulo ſubſequenti oſtendemus.

II. Detrimentum uteri, abſceſſus, etiamſi maximum ſit, variat tamen diverſis circumſtantiis.

1. Pro magnitudine abſceſſus, qui ſi modicus ſit, & exiguus, minus periculoſus evadit, & contra.

2. Pro ejuſdem poſitu, nam qui vulvam infeſtat, minus nocuus, quam ille, qui vaginam lædit; & qui vaginam offendit minus periculoſus eſt, quam ſi uterum lædat.

3. Pro ipſius natura, nam tuberculoſus phlegmonoſo mitior eſt.

4. Pro abſceſſus ſpecie, nam ſimplex cominato minus, calloſo nempe, ſcirrhoſo, aut carcinomatoſo letalis experitur.

5. Pro uteri ſtatu; nam abſceſſus, qui per accidens uterum fœdat, de cetero bene conſtitutum, minus infenſus evadit, quam ſi matricem deturparet ægram, tumidam, aut laxatam.

6. Pro ægrotantis conſtitutione, aut ætate, ideoque abſceſſus magis noxius evadit in ſubjectis infirmis, cacheticis, aut in ſenibus, quam in ſanis mulieribus, juvenibus, & bene conſtitutis.

§. VI.

Curatio.

IN duplici caſu noſtrum erit abſceſſum petractare ægrotantis uteri; vel quando ſuppuratio fit; vel ſuppuratione perfecta.

I. Suppuratione perſiſtente, ſeu melius increſcente, ſat erit calorem, dolorem, tenſionem partis affectæ, atque febrem ipſam compeſcere, ut inflammationis progreſſus, atque abſceſſus conſecuturi extenſio inhibeatur.

Hac de cauſa 1. Cubiti venam incidere fas erit, idque reiterare prout ægrotantium vires permiſerint.

2. Optimum erit conſilium reiterare remedia laxantia, humectantia; & anodyna, quæ partem affectam laceſſant, eaque præſcribendo ſub injectionum, peſſariorum, cataplaſmatum, aut fotuum forma, ut Capitulo præcedenti expoſuimus.

3. Exquiſitam diætam jubeto ex jure vituli, aut pullorum, modo ægrotantium imbecillitas majorem nutritionem non poſcat.

4. Alvum clyſteriis laxare fas erit; verum, ſi morbi violentia ſinat, leviora apozemata convenire poſſunt ex Manna, aut Caſſia confecta.

5. Tandem, ſi dolores acutiores ſint, modico narcoticorum uſu obtundere illos poterimus quarta vel ſexta quaque hora tantum ipſa exhibendo.

II. Perfecta vero ſuppuratione, & confirmato abſceſſu exituro puri ſemitam parare oportebit, ut citius ipſo evacuato minus affectæ partis contextum deſtruat.

1. Si abſceſſus vulvæ labia deturpet, facile eſt ipſum phlebotomo ſecare inferio-

feriorem partem verſus, ut puris effluvium promptius eveniat, ulcuſque facilius detergatur.

2. Si abſceſſus latera vaginæ fœdet, pariter phlebothomo indici digito applicito manus dexteræ illum ſcindere neceſſe erit, vel ſpeculo uteri adhibito vaginam dilatare, ut ille tuto etiam ſcalpelli falcati ope aperiri queat.

3. At ſi abſceſſus uterum lædat, tunc eum aperire conabimur, commotiones excitando, quæ valide uterum ſuccutiant; hujuſmodi ſunt ſternutatio, vomitus, tuſſis, niſus in excernendis fœcibus &c. quare ægras admonere oportet, ut validius tuſſiant, verum errhina emetica, clyſteria, irritantia, ſtimulantia, & ſuppoſitoria, quæ inteſtina laceſſunt, frequenter adhibeant.

Errhinorum reſpectu ſufficient plerumque Nicotiana, Salvia, Betonica, aut pulvis radicis Iridis Florentinæ; verum ſi pulveres hujuſmodi debilius agant, addi poterit parum Piperis longi, aut rotundi, Pyrethri, Veratri, aut Euphorbi, ſedulo circa eorum doſim morbi gradui ratione habita.

Emeticorum ergo uſitatoria ſunt tartarum emeticum ſolubile ad grana tria, vel quatuor, modo methodo Pariſina præparetur; etiamſi & Itali ipſum egregie patrare potis ſint; verum optimum cenſetur vinum emeticum ad unciam aut drachmas decem; Ipecacuanha etiam uſuvenit ad grana circiter 25. aut 30. ſi aliqua indicatio illam poſcat; emetica antimonialia efficaciora tandem præſcribuntur ad duo vel quatuor grana, ſi vulgaria inefficacia experiantur, quod tamen rariſſimum eſt.

Ut clyſteria irritantia evadant, adduntur plerumque vulgari decoctioni duæ, vel tres unciæ mellis Mercurialis, vel ſex drachmæ, aut uncia Diaphenici, vel *hieræ-picræ*, aut unciæ duæ vini emetici.

Tandem ſuppoſitoria componuntur ex duabus, vel tribus unciis mellis cocti cum drachma ſalis gemmæ, aut communis; verum ſi illa efficaciora malueris addito drachmam *hieræ-picræ*, aut ſcrupulum ſemis diagridii; vel trochiſcorum alhandal.

CAPUT IV.

De uteri ulcere.

§. I.

Deſcriptio.

Uteri ulcus, ceterarum ulcerum more, ſolutio eſt continui, ſeu ſciſſura faciei internæ matricis vetuſtior, quæ pus, aut purulentam ſaniem effundit.

Phœnomena, quæ præcedunt, aut ſymptomata concomitantia, vel conſequentia indicant interdum hujuſmodi ſciſſuras profundiores eſſe intra uteri tunicas, ejuſdemque ſubſtantiam locatas; interdum ſuperficiales excoriationes referentes.

Cadaverum inſpectio eam, circa iſtiuſmodi ulceris ſpecies, ſententiam confirmavit, oſtenditque illas ab aphthis haud abſimiles eſſe confertis plus, minuſve, quibus uterus ſcatet, interdum verum rhagadia, aut inciſiones referre profundiores, quæ matricis cavitatem ſulcant.

In omnibus iis ulcerum ſpeciebus pus, ichorve ex utero profluit, quod ægrotantium induſium inficit; illa vero ſanies plus, minuſve uberrima eſt, aut acris; ſpiſſa quandoque, ut verum pus repræſentet; interdum liquidior, ſeu me-

N 4 lius,

lius, purulentum ſerum æmulatur. Colore etiam variat modo alba, cinerea; modo flava, aut viridis pro circumſtantiarum diverſitate apparet; tandem hujuſmodi morbus dolorem initio comitem habet, qui in progreſſu acutior fieri ſolet, atque lancinans; hic modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum lumbos, clunes, inguina, aut femora torquet.

§. II.

Cauſæ.

HUjuſce ulceris affinitas cum ceteris ulceribus, quorum origo ſatis perſpicua eſt, demonſtrat id a tribus potiſſimum cauſis oriri; 1. ab abſceſſu, aut apoſthemate præcedente, in utero diſrupta; 2. ab eroſione ſenſim ſenſimque nata circa internam faciem matricis, nullo antecedenti abſceſſu; 3. ab ulcere quod cavum uteri deturpat, & in fiſtulam degenerat; eæ omnes cauſæ ſingillatim explicabuntur.

I. Abſceſſus uteri, de quo ſuperiori capite locuti ſumus, modo aperiatur, ulcus fit pus effundens; verum cum ille cavitatem efformet intra uteri tunicas ulcus hinc ortum ſinuoſum evadit, quod per uteri ſubſtantiam flexuoſe reptat.

Vidimus jam præcedenti capite abſceſſum duplicis generis eſſe, alterum *Phlegmonoſum*, quem gignit inflammatio, aut ſuppuratum Phlegmone; *tuberculoſum* alterum ſeu *ſteatomatoſum* a tuberculo procedentem, aut cyſtico tumore, quod duplicem etiam ulceris ſpeciem in utero inducit.

II. Eroſio faciei uteri internæ altera cauſa eſt valde obvia ulceris, quæ diverſimode oriri poteſt, etenim vel

1. Illam faciunt fluores albi, acres, vetuſtiores, qui matricem laxant, & excoriant, vel

2. Fœtus, molæ, aut placentæ putreſcentis retentio, vel

3. Injectiones acres, corrodentes, aut ſtypticæ, quas nonnulli Chirurgorum imprudenter præſcribunt adverſus uteri deſcenſus, aut album fluorem, vel

4. Coitus cum viro venerea lue laborante, vel

5. Acrimonia menſtrui ſanguinis, lymphæ, aut lactei humoris, quæ albos fluores inducit; præſertim, ſi ii humores viri admixtione ſcorbutici, ſtrumoſi, aut venerei, tum ſanguis ipſe inquinentur.

III. Raro tunc uterus vulneratur, crebro tamen diverſa ratione excoriari poteſt.

1. Ictu unguinum imperitæ obſtetricantis in laborioſo partu

2. Inſtrumentis perperam adhibitis in extractione fœtus mortui, aut capitis in utero ſuperſtitis.

3. Violentiori ſecundinarum extractione valde cum utero cohærentium, quæ ejus aliquam partem ſecus exportent.

4. Turpi methodo, quam nonnullæ adhibent vulnerum ſæpe cauſa.

§. III.

Differentiæ.

SI rite perpendamus quæ adhuc dicta ſunt, verum ea animadvertamus quæ in pleriſque ulceribus obſervantur, facile innoteſcit plures dari diverſitates in uteri ulceribus.

I. Idcirco *cauſæ proximæ* reſpectu illud ulcus producentis; vel ipſum gignit abſceſſus uteri, vel eroſio ſenſim aucta, vel ſciſſura ejuſdem internæ faciei.

II. Cau-

II. *Cauſæ remotæ* ergo; modo ulcus a viro procedit venereo in ſanguine diu latitante, aut nuper per copulam in utero introducto, modo a ſcorbutico fomite, aut ſtrumoſo dependet, quo inficitur cruor; quare eorum reſpectu ulcera venerea, ſtrumoſa, aut ſcorbutica dicuntur, ſed citra hujuſmodi cauſas, ulcera ſimplicia appellantur.

III. *Poſitus* ergo, quem ulcus occupat, modo ipſum fundum, latera uteri dextrorſum, aut ſiniſtrorſum, ſuperius, aut inferius; modo orificium matricis deturpat; quod fundum tamen infeſtat uti verum uteri ulcus conſideratur.

IV. *Qualitatis* ratione ulceris illius; dum ipſius margo mollrs eſt *Simplex* dicitur, & *Benignum*; dum ejuſdem ora dura, renitens reperitur, ſcirrhus appellatur: quandoque ſcirrhoſa labia dolentia fiunt, & lancinantia, & tunc ulcus *carcinomatoſum* dicunt, & quaſi cancer conſideratur.

V, *Reptandi* modo: nam vel ulcera tantum internam ſuperficiem uteri late deturpant, & *Superficialia*, ſeu *Eryſipelatoſa* vocantur; vel illa profunde rodunt ſubſtantiam & *Cava*, *Profunda* appellantur, quæ in *Sinum* aut *Fiſtulam* degenerant.

VI. *Communicationis* ratione, quam cum partibus habent propinquis; nam ulceris materies interdum modo per rectum, modo per veſicam ſibi pandit viam, ut in ulceribus profundis vaginæ evenit; præſertim vero in lateribus uteri, quæ circa teretia ligamenta ſerpendo per alterutrum inguinum pateſcunt.

§. IV.

Symptomata.

I. IN omnibus uteri ulceribus pus continenter effluit, quod ulcus ſuppeditat; poſt abſceſſum illud valde uberrimum ſtillat; ſpiſſum conſpicitur, a laudabile pure haud abſimile; at evacuato abſceſſu effluvium fit abundans minus, & ſeroſum magis.

II. In ulceribus, quæ ab eroſione, aut ſciſſuris procedunt, virus ſtillans, initio morbi ſaltem, poſt eroſionem præſertim, parum abundat, ut vix ipſum ægræ animadvertant; at, ulcere aucto fluxus augetur; in hoc caſu plus plerumque ſeroſum, lymphaticum, grannuloſum apparet, ut difficillime de ipſius qualitate judicare poſſimus; tandem ulcere increſcente uberius funditur, latex facilius dignoſcitur.

III. Cum ulcus initio plerumque exiguum ſpatium occupet, ac de cetero uteri conditio eadem perſiſtat, idcirco catamenia periodice, ut in ſtatu naturali, erumpent, ſi dolorem excipias, quem interdum ægræ perſentiunt menſtruo fluente phlegmonoſi infartus ergo, quo tunc afficitur ulceris margo; quandoque fluxus menſtruus diu perdurat, dum ulcus ſegniter progreditur; deſiſtit tandem quando uterus pene totus ulcere fœdatur.

IV. Ulcus auctum ſæpe exigua corrodit vaſcula ſanguinea, arterioſa, aut venoſa, hincque fluens cruor pure remixtus ſanguineum, vel ſanioſum ſaltem reddit effluvium plus, minuſve pro diverſa craſſitudine, aut turgentia eorum vaſorum; interdum conciſa vaſa modo grandiora ſint, aut arterioſa, hæmorrhagiam inducunt, aliamve ſanguinis jacturam periculoſam valde.

V. Pus illud quandoque mite admodum eſt, neque ſirum redolet, neque vaginam, aut vulvam lædit, at ſæpiſſime acre eſt fœtens, corrodens, ut in tranſitu phlogoſes, & excoriationes producat; hujuſmodi differentias faciunt qualitas ſanguinis, quæ ceteris paribus cum pure una eſt, & mora plus, minuſve diutina in utero viri, quod ibi perſiſtens maxime corrumpitur in calefacto præſertim utero.

VI. Ner-

VI. Nervi, qui per ulcus tranſeunt, puris irritationi ſunt obnoxii, quæ dolorem excitabit in uteri ulceribus obvium.

VII. Hujuſmodi dolor levis eſt, parumque ſenſibilis quando ulceris labia inflammata non ſint, pus mite, & parum corrodens experiatur; verum minus ſenſibilem uteri partem ulcus occupet, quæ fundus eſt, vel alterutrum latus; acutior contra dolor perſentitur in inflammato ulcere pure acriore infecto, aut circa collum, vel orificium uteri locato.

VIII. Dolor variat etiam pro diverſa ulceris conditione; ſi illud ſcirrhoſum fuerit; nullam, vel leviorem impreſſionem pus excitabit, deque eo parum vel nihil conquerentur ægræ; tamen viviſſimum ipſæ dolorem perſentient ſi ſcirrhoſum in carcinomatoſum ulcus degeneret, ut infra Cap. *De cancro* explicabimus.

IX. Quando pus mite eſt, libere fluat, ſed tenuiore ægræ limpha donentur, ulcus numquam ſcirrhoſum fit; contra vero accidit, ſi illud acre ſit, fibraſque erodat, verum in ulceris cavo detentum valeat tum labia ejuſdem fædare, cum lymphæ curſum intercipere, vel denique hæc lympha naturaliter ſpiſſa ſit, viſcida & ad ſtaſim diſpoſita; hac de cauſa plerumque ulcera neglecta, aut imperfecte deterſa in ſcirrhum convertuntur.

X. Ægræ diverſis partibus referunt dolorem, quem perſentiunt pro diverſo ulceris poſitu; ipſum renibus, ſeu melius inferioribus lumbis, aut oſſi ſacro reſpondere ſibi ſuadent, ſi ulcus uteri fundum infeſtes; clunium alterutro ſi alterutrum latus laboret; ano aut veſicæ quando ulcus matricis orificium, aut vaginæ fundum afficiat; inguini tandem, aut interiori coxæ ubi rotunda inſeruntur ligamenta per aponeuroſim expanſa, quando ad originem ligamentorum eorum oritur ulcus.

XI. Dum ulcere anterior colli aut orificii matricis, vel vaginæ pars deturpatur, tunc phlogoſis, atque calor veſicæ collo communicatus mingendi frequentiam excitat cum ardore tamen, & ſtranguria in ratione cauſæ producentis majori vel minori, at dejectiones liberæ per alvum ſuccedunt; contra vero quando poſtica colli uteri pars, aut fundi vaginæ eo morbo laborat, phlogoſis tunc propinquo recto communicatur, quæ dolentem teneſmum inducit præſertim ſi fæces duræ ſint, facile tamen mingunt; hæmorrhoides nihilo ſecius ſuperveniunt.

XII. Haud infrequenter veſica, & rectum majorem relationem habent cum ulcere illo; nam ſi fiſtulorum ſit, anterius fundum verſus uteri aut vaginæ locatum, veſicam perforabit, ut urina per vaginam exeat; ſimili ratione dum poſterius rectum verſus pus ſibi pandit viam, fæces liquidiores, præſertim per vulvam, ſtillabunt.

XIII. Ulceris ſinus undique indureſcit, ut uteri volumen augeatur; hoc augmentum ulceris progreſſus rationem ſequitur; in ſimplicibus ulceribus, in quibus margines naturalem flexibilitatem ſervant, uterus etiamſi tumens, mollis perſiſtit, at durus fit, atque reſiſtens, dum ulcus ſcirrhoſum evadit.

XIV. In omni uteri ulcere difficulter mulieres cum viro coeunt, hujuſmodi incommodum tamen non ſemper unum eſt, initio enim morbi, præſertim ſi illud a ſciſſuris proveniat, minus moleſtiæ induxerit; minus ſi fundus, aut latera uteri laborent; multum vero incommodi aderit, ſi vaginæ fundus, aut matricis orificium fœdo ulcere laboraverit.

XV. In ulceris aggreſſu nulla, vel pauca febris adeſt; at illa lenta ſenſim, ſenſimque ſupervenit puris admixtionis ergo, cui ægræ dolores non parum favent, horrores, & rigores duplicantur, aut imminuuntur pro vetuſtate, & profunditate ulceris, pro copia, aut acrimonia puris in fœdum ulcus irrumpentis, pro vividis cruciatibus plus, minuſve crebris.

XVI. Tandem ægræ hac febre conſumptæ maraſmo corripientur, pedum œdemate in dies creſcente, diarrhœa vero colliquativa crebro laborabunt.

XVII. Pleraque eorum phœnomenorum: dolor ſaltem, qui partibus diverſis reſpondet, ægras perturbant, etiamſi leviter in omni tumore, aut tenſione partis alicujus uteri quamvis ulcere expertis; cavendum enim eſt, ne hujuſmodi levioribus moleſtiis contemptis, ulcus ſuccedat.

§. V.

Diagnoſis.

Diagnoſis *ulceris* uteri, ut in ceteris morbis per gradus innoteſcit.

I. Agitur ſtatim de ulceris exiſtentia inquirenda, quæ cito apparebit.

1. Per doloris ſedem, quem mulieres perſentiunt; partem, cui ipſum referunt, & augmentum ejuſdem prope menſtrua.

2. Idem oſtendit purulentum effluvium, quo induſium quotidie inficitur; interdum difficillime diſtinguitur ab albo fluore, qui ſimul fluat, vel acer ſit; patet tamen a dolore, quo hic caret, verum aucto ulcere, dolore, & tumore uteri, ab odore, colore, ceteriſque proprietatibus fluentis laticis facile innoteſcit fœdum latitans ulcus.

Ceterum de iis tantum ulceribus dubitare poterimus, quæ a ſciſſuris, aut excoriationibus originem ducunt, quæ lente procedunt; verum ſi ea abſceſſus diruptus producat, antecedentia phœnomena ſatis indolem morbi declarabunt.

II. Cum certiores facti ſimus de ulceris exiſtentia, quam citiſſime detegere neceſſum erit proximam illud producentem cauſam.

1. Evidens eſt pus, dum copioſe derepente exit, id a præcedenti ſuppurata inflammatione derivare, hujuſmodi ulceris cauſa potiſſima.

2. At ſi ulcus tacite, inſenſibiliter procedat, pus vero ſenſim, ſenſimque erumpat, internæ uteri faciei eroſionem, aut ſciſſuram ipſum inducere cognoveris; eroſioni tribuitur, ſi qua ex cauſis corroſionum nuper Articulo *De cauſis* enunciatis anteceſſerit, ſciſſuris vero referri debet cum nulla appareat eroſionis cauſa, verum uterum lancinatum fuiſſe ſuſpicemur.

III. Alterum eſt inveſtigare remotas cauſas, quare ægrotantium ſtatum percontari oportebit, ut ſi quid adſit luis Celticæ, ſcorbuti, aut ſtrumarum ſeminium innoteſcat; ſi ægræ cachexia laborent, quæ ulcus confirmare potis ſit, tandem iis continentibus cauſis deficientibus, morbi origo accidentalibus tribuitur ſupra recenſitis.

IV. Reliquum eſt variam indolem ulceris determinare.

1. Poſitus ergo, quem occupat, quod ſimplici tactu præſertim, cum uterus tumeat, facile dignoſcitur partium notione, quibus ægræ dolorem referunt, quæ lumbi ſunt, os ſacrum, inguina &c., tandem tutius digitorum introductione cognoſcitur an ulcus uteri orificium aut fundum vaginæ fœdet.

2. Ulceris naturam perpendenti patebit, illud phlegmonoſum eſſe, quando uterus caleat, atque doleat, febris, adſit non exigua, ſpiſſumque pus erumpat; œdematoſum, ſi modicus calor ſit, atque dolor, modica febris, & ſcirrhoſum pus; ſcirroſum tandem quando uterus dolore ſit expers, durus, renitens, modo extrinſecus modo intrinſecus digito ipſum tangendo.

3. Communicationum ulceris reſpectu cum ceteris propinquis partibus apparebit veſicæ ulcus communicare, aut inteſtino, ſi per alterutrum hytum pus effugiat; vel urina aut fæces per vaginam exeant.

§. VI.

§. VI.

Prognoſis.

I. UTeri ulcus ſemper valde periculoſum eſt. 1. Quia in partibus locatur internis, quibus difficillime remedia applicantur detergentia, & conſolidantia, 2. Senſibilioribus, nervis refertiſſimis, quod gravem dolorem teterrimaque phœnomena inducit, 3. Quia deleteria ſanguis materie inquinatur, qui in ulcere deponitur.

II. Hujuſmodi morbus mulieribus, quæ eo cruciantur, valde moleſtus evadit operationum ergo, quibus ſubjici debent; merito vero impudicæ pœnam luunt vitæ tranſactæ; at pudicæ omni commiſeratione dignæ ſunt, quibus fortuito hæ eveniunt calamitates.

III. Ut rite prognoſim inſtituamus, ulcus diſtinguere debemus, quod abſceſſui repente ſuccedit ab eo, quod lente procedit ab eroſione, aut ſciſſuris ortum.

IV. Illud, quod patefactus abſceſſus progignit, multum puris effundit, maximumque terrorem incutit; at eo ſemel evacuato, modo abſint antecedentes cauſæ, fluxus, ceteraque phœnomena imminuuntur.

V. Quando puris fluentis copia in diem ſubducitur, verum perſiſtens fluor albus ſit, ſpiſſus, æqualis, neque fœtens, neve corrodens; quando ægræ parum, vel nihil doloris perſentiant, uterus flexibilis ſit, non durus, non reſiſtens, ægræ nulla, vel pauca, quæ in diem abeat, febre laborent; denique ſi, conſumptione deſiſtente, illæ pingueſcant, tunc multum ſpei ſupereſt valetudinis recuperandæ; contra vero ſi ea omnia in deterius ruant.

VI. Generice ulcera hujuſmodi felicis ſunt eventus quando mulieres aggrediuntur bene conſtitutas, optima craſi ſanguinis donatas; quando uterus pariter bene conſtitutus ſit, neque ſcirrhoſus, neque obſtructus, aut laxatus, qui naturale elaterium ſervet; verum abſceſſus, aut inflammatio ab accidentali cauſa proveniant nullo ſuppoſito vitio antecedente ſanguinis, aut matricis; tandem ulcera exigua ſint: at contrarium eveniet in circumſtantiis oppoſitis.

VII. Segniora ulcera, quæ ab eroſione ſenſim efformantur; ut de iis rite prænunciemus, diſtingui debent in *inſtantia*, videlicet nondum incepta; in *incipientia*, quando nonnihil ſeroſitatis purulentæ jam effundunt; in *confirmata*, quando multum puris ſtillat ſubſtantiæ maxima jactura.

VIII. Modo ulcere inſtante idoneis remediis cito occurramus diu continuatis, verum ægræ optimo donentur temperamento, medica, etiamſi moleſta ferant auxilia felicem valetudinem ſperare licebit.

IX. Ulcere vero ſemel incepto, ac fluente latice jam purulento facto prognoſis valde incerta eſt; convaleſcunt interdum ægræ, ſi optimo præditæ ſint temperamento, morbus levior ſit, remedia prompta adhibeant infra proponenda; at ſæpiſſime pereunt pro infirma uteri conditione, deleteria ſanguinis indole, propria indocilitate, aut animi vexationibus, quibus tunc fiunt obnoviæ.

X. Ulcus confirmatum letale eſt, non deſunt tamen exempla hujuſmodi ſanati ulceris; at ea valde rara ſunt, ut valeant prognoſim infirmare funeſtam.

XI. Addi poterunt quæ infra exponemus, quæ nonnullas differentias faciunt circa ſpecialiorem ulcerum prognoſim inſtituendam, quare

1. Ulcus, quod uterum fœdat, magis nocuum evadit ceteris paribus eo, quod vaginam deturpat, & quod orificium lædit magis eo, quod ſubſtantiam ipſam uteri infeſtat.

2. Idcirco ulcera phlegmonoſa, quorum labia inflammata ſunt ſcirrhoſa, aut carcinomatoſa, letalia ſunt.

3. Pa-

3. Pariter deſperata erunt quæ veſicam, aut rectum invadunt.

XII. Intereſt animadvertere venerea ulcera Mercurii frictionibus plerumque convaleſcere, modo tamen ſeminium Gallicum ſola cauſa eorumdem ſit, verum ſimplex ulcus nuperrimum, parum profundum exiſtat citra callum, cancrum aut læſionem partium propinquarum.

XIII. Generice letalia ſunt. 1. Ulcera uteri fiſtuloſa phagedænica, quæ pus acre, fœtidum, uberrimum cum dolore ſuppeditant.

2. Vetuſtiora, quæ febrem lentam conjunctam habent, maraſmum, œdema, ſudorem nocturnum, aut fluxum ventris colliquativum.

3. Carcinomatoſa denique omnia facta, vel inſtantia, quæ dolor ſæviſſimus prænunciat.

XIV. Experientia didicimus ulcera, quæ cito progrediuntur, magis doloroſa experiri, & infenſa in mulieribus adhuc menſtruantibus, quam in iis deſecturis: hanc differentiam gignit affluxus in utero ſanguinis, qui in illis redundat, in his deficit.

§. VII.

Curatio.

APud Clinicos tres ulcerum ſpecies enumerantur: *ſimplex nempe venereum*, & *carcinomatoſum*; hic de duabus prioribus locuturi erimus tantum, carcinomatoſum vero in Cap. *De uteri cancro* conſiderabimus.

Eas ſpecies medendi ratio diverſas methodos poſtulat, quas in diverſis articulis ſingillatim explicabimus. Primo generaliora remedia exponemus in ſingulis uteri ulceribus idonea. 2. Qualem medelam poſcat inſtans ulcus, quod creber dolor uteri prænunciat cum hæmorrhagia, aut albo fluore conjunctus, 3. Tutiorem methodum proponemus pertractandi hujuſmodi ulcera modo ſimplicia ſint, modo confirmata. 4. Quomodo pertractari debeant ulcera venerea, vel ſuſpecta oſtendemus. 5. Curationem palliativam demonſtrabimus dummodo eradicativam non liceat ſperare. 6. Tande remediam nonnulla indicabimus ab auctoribus propoſita adverſus omnes uteri ulcerum ſpecies commendata.

Medendi ratio, & remedia generaliora circa omnes uteri ulcerum ſpecies.

In omnibus ulceribus duæ potiſſimum indicationes proponuntur, *altera* eſt præoccupare plethoræ, aut doloris augmentum in ulcerata parte, ne morbus augeatur; *altera* eſt corrigere deleteriam indolem ſanguinis, quæ ulcus induxit, aut produxit.

I. Ut *priorem* impleamus 1. ægras admonere neceſſe eſt, ut ab omni exercitio ſe abſtineant, ſed longo biſſellio decumbant; minima enim corporis commotio premendo, aut uterum ſuccutiendo infartum auget, quem doloris, atque fluoris augmentum perbelle declarat.

2. Si venter nonnihil obſtructus reperiatur, quod raro accidit, decumbentibus ægris illum clyſteribus tepentis aquæ laxare opus erit, quæ fæcum ita expulſionem promoveant, conatuſque impediant, qui matricem laceſſunt.

3. Eadem de cauſa in cubili a conjuge diſtincto quieſcere debent a quo conſilio putarem ſemel tantum deſiſtere velle mulieres de propria valetudine ſatagentes.

4. Vitam ipſæ gerant ſobriam, & methodicam, *primum* ne augeatur ſanguinis

nis copia, quæ nimis uteri vaſa tumefaceret, *alterum*, ut alimenta poſcant facilis digeſtionis, dulciora, acrimonia orbata, & boni ſucci, quæ optimum chylum ſuppeditent, & edulcorare ſanguinem potis ſint; quare veſci debent juſculis, oryzarum cremore, vermiculata maſſa, ſurfuricula; hordeo pilato, aut ſucco lentium cum brodio excoctis; parum ipſæ carnium comedant, ſolummodo alas pullorum, aut lepuſculos ſumendo, a vico vero ſe abſtineant, caffè, aut quovis minutalium irritantium genere.

5. Demum animi pathemata omnia removeant quæ ſanguinem valeant commovere; hujuſmodi ſunt mœror, vexatio, ira, vel pervigilium, quod eum valde calefaciunt.

II. Huic regimini addi poterunt remedia, quæ cruoris redundantiam imminuunt, atque humorum acrimoniam obtundunt latitantem.

1. Venam igitur cubiti incidere oportebit, non ſolum ut vitiatorum humorum aliqua pars dematur, verum tumida uteri vaſa depleantur; id crebro vel raro reiterando prout dolor, affluxus, aut profluvium plus, minuſve poſtulaverint.

2. Ægras purgare identidem neceſſum erit, non modo ut ventriculum, primaſque vias ſaburris expiemus, verum ſanguinem repurgemus; mitiora itaque purgantia uſuveniunt; Manna videlicet, Caſſia, Sal de *duobus*, Rhabarbarum addita pauca Senna, ſi ægrotantium temperamentum ſinat.

3. Sanguinem etiam diluere fas erit laxantibus, & refrigerantibus remediis; id præſtant ſerum lactis depuratum, aut ſucco plantarum edulcorantium remixtum; apozemata, aut jura iiſdem plantis confecta, Cichorea nempe, Boragine, Lactuca; at ſi tempeſtas permittat, efficaciores erunt aquæ minerales frigidæ; illæ *de Forges* admodum proſunt ad fontem hauſtæ, minus vero exportatæ; iis ſubſtituuntur aliæ de *Selter*, *Spa*, *Caranſach*, ipſas aqua communi copulando; ſi validæ nimis experiantur.

4. Eo collineant balnea, aut ſemibalnea tepentia ad uteri æſtum compeſcendum; hujuſmodi remedium valde utile eſt, quo idonea tempeſtate crebro uti debent, modo profluvii copia non obſit.

5. Hac methodo diluta ſanguinis maſſa ipſum edulcorare noſtrum erit lacte caprino, aut aſinino, alterutrum ſeligendo, quod magis ventriculus patiatur; ante lactis aſſumptionem primas vias tamen expiabimus, ſemel illud in die mane, aut bis mane, & veſpere exhibendo; tandem ipſum vel ſimplex hauriendo, vel duplici uncia aquæ ſecundæ calcis copulatum, aut æqua doſi ſucci depurati Fummariæ vel Agrimoniæ.

6. Modo ventriculus ſinat, lac, etiam vaccinum uſuveniet cum tertia parte decoctionis Chinæ radicis, ipſum pro eventu bis, vel ter in die præſcribendo, vel pro integro nutrimento, ſi ſtomachus ipſum non renuat.

7. Cauterium tandem apponere alterutro cruri non contemno, ut ſanguinis inquinamentum per hanc partem effugiat; & ipſe merito in animum induco hujuſmodi remedium haud utiliſſimum eſſe, verum neque fruſtraneum evadit, quod ſat erit, ut ipſum in hoc morbo adhibeamus, in quo pauciſſima medicina præſtat auxilia.

Metho-

Methodus idonea in inſtantibus ulceribus, quæ prænunciant continentes, aut crebri uteri dolores, vel anomalum cruoris, aut albi fluoris effluvium.

Hic ſtatua ulcus reſpicit, quod ſegniter per eroſionem: aut excoriationem efformatur; modo tamen ægræ cito ſapientem Medicum conſulant, letalis morbi valetudinem ſperare licebit, verum per unicum, aut duplicem annum ipſæ medenti obediant.

1. Regimen primo exacte obſervare debent tum circa qualitatem, tum circa copiam ciborum, ut nuper admonuimus.

2. Continenter vero animi affectus debent temperare, vigiliis deſiſtere, & clyſterum abuſu; verum idoneo poſitu quieſcere, immo lectulo, aut biſſellio detineri pene decumbendo, ne ſedentes uterum comprimant.

3. Verum penitus a connubio cum viro diu abſtinere

4. Semibalnea tepentia mane jejuno ſtomacho, & veſpere ante cœnam tunc præſcribere debemus, in quibus horam perſiſtant.

5. Identidem denique ipſas lenientibus purgare convenerit ſuperius indicatis, lac aſininum, aut caprinum pro ſtomachi vi præſcribendo, ſemel, vel bis quotidie hauſtum; iis vaccinum etiam valde commune ſubſtitui poteſt, ſi ipſum perfecte digerant, at in hoc caſu optimum cenſeo ipſum remiſceri decoctione Hederæ terreſtris, aut Graminis.

6. Valde utile experimur ægras penitus lacte alere, duplex poculum lactis aſinini mane & veſpere exhibendo; totidemque vaccini loco prandii; & cœnæ, vel vaccinum tantum quater in die præſcribendo; hujuſmodi tentamina tamen prudenter inire debemus.

7. Pro circumſtantiarum diverſitate unica, vel duplex uncia quotidie aquæ ſecundæ calcis addi poterit, vel duplex uncia ſucci depurati Naſturtii, aut decoctionis Hederæ terreſtris.

8. Si ſtomachus omne lactis genus reſpuat, ſerum lactis quotidie ſimili methodo ſubſtituemus probe depuratum, vel duplex doſis decoctionis, ex pullo, vitulo, nonnullis cancris, aut ranis confectæ; modo vero tempeſtas ſinat, pro vulgari potu hauriant ægræ aquas de *Forges*, aut *Spa* parum aquæ communis addendo, ſi opus requirat; verum ſi hujuſmodi aquæ deſint, ſubſtitui poterit levior decoctio, Oryzæ, aut Graminis, in qua Verbaci pugilli aliquot infuſi ſint.

9. Cubiti venæ ſectio, quæ in hac morbi ſpecie plerumque utilior evadit, inſtitui poteſt; ſi dolores crebri, & vividiores ſint, bis terve in die venam incidere fas erit, ut ipſi compeſcantur; iis vero ſubactis, ſingulis menſibus ſufficiet, hujuſmodi remedium reiterare ad novem uncias, octavo, aut nono die ante catameniorum regreſſum.

10. In iis caſibus utiliter adhibui grana duodecim Caſcharillæ, interdum totidem tartaro martiali remixta ſub forma boli parum ante prandium propinata; alterum horum remediorum tonicum eſt, valet uteri elaterium ſuſtinere ab affluxu ſanguinis labefactatum; alterum modice aperit, atque ſenſim, ſenſimque infartum imminuit.

Tutior methodus, & efficacior adverſus uteri ulcus ſimplum ſed confirmatum.

Confirmato jam ulcere animadverſionibus ſedulo conſulere neceſſum erit primo Articulo enunçiatis, generaliorem rationem ulcus medendi propoſitam amplectendo

ctendo; videlicet illum detegere, carnis productionem fovere, verum cicatricem conſolidare; totidemque indicationes in uteri ulceribus, aut vaginæ implere noſtrum erit iiſdem remediis in utroque caſu adhibitis; at cum aliqua adſit differentia in eorum exhibitione, ideoque ſingillatim de iis nunc tractabimus.

I. Ad ea fœda uteri ulcera detergenda plures adhibentur rationes pro majori, vel minori deleteria morbi indole.

Varia externa remedia uſuveniunt interius copulata, quæ Articulo primo propoſuimus, videlicet. 1. Apozemata, aut decoctiones ex Foliis Agrimoniæ, Pimpinellæ, Argentinæ, Alkimilæ, Bugulæ, Saniculæ, Virgæ Aureæ & Mille-folii, idoneas tres, aut quatuor earum plantarum ſeligendo.

2. Decoctiones ſub ptiſanæ forma ex Chinæ radice in taleolas diviſa, aut Sarſa-parilla confectæ; verum, ſi opus requirat, Guajaci raſpati parum, quarum quotidie unum, vel duplex poculum exhibetur, modo ægræ pinguiori, & pituitoſo donentur temperamento, febris adſit, & illæ dolore ſint expertes.

3. Injectiones denique intromittuntur idoneo ſyphone canaliculo oblongo inſtructo in extrema ſui parte globuloſo, & foraminulis pertuſo.

Plerumque iis injectionibus cedit ſerum lactis cum ſaccharo roſato, vel decoctio hordei cum melle roſato, aut decoctio Artemiſiæ, Matricariæ, Marubii, Hyperici, Apii, &c. vel radicum Ariſtolochiæ, aut Iridis cum melle ſimul; at ſi ulcus maxime falſum conſpiciatur, quod ab affluenti pure ſanioſo, & fœtido innoteſcit, iis additur lixivium ſarmentorum, aut utilius parum Tincturæ Myrrhæ, Unguenti Ægyptiaci, aut Collyrii Lanfranci modica primum doſi, pro opere aucta.

4. Magnopere ante intererit, quod eæ injectiones cavum uteri invadunt, ubi ulcus locatur, ideoque obſtetricans id peragere debebit, qui canaliculum uteri oſtio valeat aptare, quod tentare ægris, aut aſſidentibus nefas erit, modo diutina obſervatione non edoceantur.

5. Vapores etiam per ſellam familiaricam in utero recepti aliquem uſum habent, etiamſi inutiles evadant abſque tubuli auxilio, qui ad orificium uſque illos perducat, ſed pro hoc ſcopo tepentes tantum decoctiones adhibeantur, né uterum lædant.

II. Dum uterus mollis reperitur, flexibilis, atque pene indolens, pus vero parum effluit, & laudabile, remedia leviter detergentia tantum conveniunt, quæ ulceris fundum mundent donec labia reſolvantur, & caro regeneretur, hac ratione ſecundam implere indicationem poterimus; hujus cenſus remedia ſunt.

1. Injectiones ex decoctionibus hordei, foliorum Artemiſiæ, Centauri minoris cum pauco melle.

2. Injectiones aquarum thermalium ſulphurearum, quales ſunt illæ *de Barrege, d'Aix le Chapelle*, aut *Aix* in Sabaudia.

3. Suffumigia, aut vapores decoctionum, vel aquarum earum, quæ modo ſuperius indicato in utero recipiuntur.

4. Per os vero balſama ſumuntur videlicet Coppai, Canadenſe, Meccæ alterutrum eorum ſeligendo ad quatuor vel quinque guttas cum ſaccharo depurato commixtum, aut ſyrupo Capillarium; iis ſubſtitui poſſunt grana quindecim, aut viginti Terebynthinæ Venetæ, cum ovi vitello.

III. Si unquam ſummo naturæ beneficio phœnomena omnia deſiſtant, puris effluvium abeat, aut lymphaticum tantum perſiſtat, tunc ulcus ſenſim, ſenſimque conſolidare fas erit, quo pacto tertiam indicationem implebimus.

Huic ſcopo enim favent, 1. Balſama ſupradicta, quibus junguntur trochiſci Gordoni, Sanguinis Draconis, Myrrha, Maſtix, Sal ſedativum Hombergi, Gummi Tacamacha, duo vel tria ſeligenda, & ſub pilularum forma octo grana ſingulorum exhibenda.

2. In-

2. Injectionum uſum protrahere ex aquis thermalibus ſulphureis proficuum erit aliquibus additis cochlearibus aquæ ſecundæ calcis, vel decoctionis ſanguinis Draconis, aut terræ Japonicæ.

3. Earum aquarum defectu ſubſtitui poterit decoctio radicis Conſolidæ majoris, Biſtortæ; foliorum Plantaginis, Burſæ Paſtoris, Argentinæ, Piloſellæ aut Brunellæ &c., iis additis, quæ ſuperius enunciavimus.

4. Sequentium rotularum fumus quandoque tubuli auxilio in uteri recipitur; hujuſmodi rotulæ conflantur ex Myrrha, Maſtice, Gummi Tacamacha, Ladano, Thure iis omnibus ſimul tritis, & anatina parte commixtis, verum guttis aliquibus Terebinthinæ, aut Reſinæ ſubactis; animadvertendum eſt, quod ea ſuffumigia, quæ primo nimis caleſcunt, tepentia tantum ad uterum pertingant, qua de cauſa paucæ rotulæ ſupra prunas pene extinctas ſuperimponentur, removendo nonnihil tubulum.

5. Exhibebitur quotidie unum, vel duplex poculum decoctionis Chinæ radicis, aut Lentiſci ad unciam ebulliti cum quatuor circiter ſextertiis aquæ communis ad tertia conſumptionem.

6. Quamvis diutinum nimis videatur hujuſmodi regimen, ægræ tamen ipſum obſervare debebunt, ut Articulo primo enunciavimus, in eo perſiſtendo poſt valetudinem diu.

IV. In ulceribus vaginæ qualemcumque partem occupent, fundum aut latera infeſtent, eamdem methodum proſecuturi erimus, videlicet triplicem ſtatum diſtinguendo deterſionis ulcis, regenerationis carnis, & cicatrizationis, eadem continenter remedia præſcribendo.

1. Injectiones, quæ impendi debent præ ſingulo ſtadio, eædem conſtanter ſunt, quas intra vaginam ducere facile erit; curabimus enim, ut ægræ dorſo decumbant, caput inferius deprimant, clunes vero elevent, ut remedia diu in utero detineantur; quod pariter ſatagere debemus ipſum injectando.

2. Suffumigia vero uſuveniunt per ſiphonem introducta, quod facillimum erit patrare.

3. Præterea in ulceribus hujuſmodi ſemibalnea utilia evadunt, in quibus clunes tantum infunduntur, quare Latini illa *inſeſſus* appellarunt, huic fini cedunt decoctiones idoneæ, & ulceris gradui appropriatæ, quæ valde proſunt in ulceribus vaginæ, quæ hac methodo facile quaquaverſus deterguntur.

4. Denique vaginæ ulcera pertractari poſſunt quaſi externa forent, initio pulvinum oblinitum apponendo digerentis ſimplicis, aut Tinctura Myrrhæ copulati: verum pulvinum Balſamo Arcei tantum, aut digerenti remixto oblinien-do; denique ſicci pulvini, vel aqua ſecunda calcis imbuti uſuveniunt Terrebinthina inſperſi pulveriſata; tandem omnia, quæ vaginæ introducuntur, filo necti neceſſe erit, ut facile extrahi poſſint.

Methodus curandi ulcera uteri Venerea.

Modo cognoſcamus uteri ulcus a lue Venerea penitus derivare, omne ſtudium impendere noſtrum erit, ut efficaciter virus ſubjiciamus, quod morbum produxerat; hic ſupervacaneum foret de illo ſpeciatim pertractare: librum pervolvite, qui de hac materia fuſius differit; ſufficiet animadverſiones nonnullas addere, quæ ſpeciatim hunc morbum reſpiciunt.

I. Primo ægram ad cubiti venæ ſectionem viribus, & pulſui accommodatam diſponere, ipſam purgare ſuperallatis lenientibus neceſſum erit.

II. Impoſterum balnea tepentia ſemel, vel bis quotidie decem, aut quindecim dies continuata, utilia experta ſunt; verum intra balneum, aut ex eo re-

duci doſim exhibere fas erit ſeri depurati, aut jus vituli, vel pulli cùm herbis refrigerantibus coctum.

III. Sed ſi morbus urgeat, ejuſdem progreſſus ſiſtere frictionibus mercurialibus tentabimus, adhuc perſiſtendo in balneorum uſu.

IV. Experientia didicimus, Mercurium ſanguinis circulationem accelerare, atque pondus augere, verum utraque ratione internis ulceribus nocuum evadere, præſertim ſi ea in partibus delicationibus locata ſint. Id pluries experti ſumus hoc morbo affectis, qui luis celticæ cauſa phthiſici facti ſunt, etiamſi in iis ratio ſuadeat frictiones convenire; verum etſi eorum nonnullos quandoque convaleſcere videamus, tamen obſervavimus plerumque Mercurium pulmonem lædere in iis etiam, qui feliciter convaluerunt; eæ animadverſiones menſuram præbent medendi ulcera venerea uteri, docentque frictiones paullatim initio ſaltem eſſe inſtituendas.

V. Iis rationibus adductis intervalla inter unam & alteram junctionem tres ſaltem dies æquare debent; pro ſingula vero frictione unguenti drachma ſat erit ex anatina parte Mercurii extincti, & Suillæ adipe confecti, paullatim immo hujuſmodi unguenti demere debemus, quo interius vaginam fricemus; in progreſſu effectus Mercurii perpendendo, frictiones crebriores fieri poterunt, doſim etiam unguenti adaugendo ſumma tamen cautione.

VI. Ut optatum frictiones effectum præſtent, pro integra curatione ſex unguenti unciæ impendi debent, procul interruptione, aut purgatione intermedia, ex quibus patet hanc medendi methodum quatuor, vel quinque menſes perdurare.

VII. Per omne id tempus ægrotantem alere oportebit ea methodo, quam in hoc morbo medicis præſcribere mos eſt, modo lac pro integro nutrimento adhibere aliqua de dauſa impediatur; verum uſuveniunt remedia a nobis articulo præcedenti propoſita diu continuata donec ulcus perbelle deterſum, atque cicatrizatum videatur.

Curatio palliativa ulcerum uteri incurabilium.

In hoc caſu omnis diligentia impenditur ad graves dolores mitigandos, teterrimaque phœnomena compeſcenda, quæ ægris ſuperveniunt, vel ea ſaltem mitigare modo morbi vehementia, quandoque imminuta id tentare ſinat.

1. Hac de cauſa præcipuum erit dolorem ab ulcere ortum moderari, cui levioribus venæ ſectionibus, quæ vaſa uteri depleant, imminuantque phlogoſim, aut ſenſibilitatem, occurremus.

2. Tunc carnium uſum interdicere neceſſe erit ægrotantes lacte tantum nutriendo, vel juſculis, aut farinaceis alimentis ex leviori jure inſipido confectis.

3. Si ſæviores exurgant dolores narcotica modica doſi quarta quoque hora exhibere conabimur, qualia ſunt granum ſemis ladani aqua callida ſolutum, aut duodecim, vel quindecim guttæ Tincturæ anodynæ augendo, ac immminuendo remedii quantitatem pro doloris gradu, aut pharmaci effectu.

4. Injectiones tunc a nonnullis adhibentur ex ſucco Plantaginis, Portulacæ, ſedi majoris ad unciam unam, & ſemis, aut duplicem unciam ſingulorum, in quibus dilui poterit parum Amyli calce non remixti; eamdem indicationem implet ſuccus Solani *Morella* dicti ad trium, vel quatuor unciarum doſim, poſtquam in mortario plumbeo diu ipſum tritum fuerit.

5. Iis injectionibus interdum adjungitur ſyrupus Papaveri albi, Ladanum aqua ſolutum, aut Tinctura anodyna, doſim modificando in ratione quantitatis ejuſdem remedii per os ſumpti.

6. Tan-

6. Tandem ſemibalnea præſcribi poterunt ex decoctionibus earumdem plantarum confecta, hortando ægras, ut aptiori ſpongia hujuſmodi decoctiones intimius, quam fieri poteſt, intromittant, at id fuſius Cap. *De cancro* examinabimus.

7. Crebro eveniunt, in deſperatis præſertim ulceribus, lethales hæmorrhagiæ, quas ſiſtere ſuperioribus venæ ſectionibus neceſſe erit, verum ptiſanam exhibendo ex decoctione perfectam radicis Conſolidæ majoris, ad gratam aciditatem uſque ſuperaffundendo 55. aut 56. guttas aquæ Rabelli pro ſingulo œnophoro, addita etiam uncia ſyrupi Plantaginis, aut Capillarium; ſi morbus urgeat, integrum ſexterium exhiberi poterit ptiſanæ illius in plures partes diviſum; at, ſi mitior ægritudo videatur, ſatis erit unicum ſumere cyathum pro ſinglo die.

8. Si vehementia, aut pertinacia hæmorrhagiæ periclitentur ægræ, uterum tunc eadem ptiſana irrorare conveniet leviter tepenti, ipſas ita locando ut injectiones illic diu perſiſtant.

Remedia nonnulla propoſita adverſus uteri ulcera.

Ulcera matricis incommoda ſunt, quorum effectus admodum conſpicui ſunt, atque medendi ratio omnibus patula nimis, ut difficillime decipi poſſint Medici novas mirificas medendi rationes inſtituendo; mihi tria ſubſecutura remedia tantum innotuerunt, quæ aliquam attentionem mereantur.

I. (*a*) Felix Platerus Rauracus teſtatur ſuccum urticæ urina infantis remixtum mirifice ulcera uteri ſanaſſe: *ſuccus urticæ cum urina pueri mixtus mirifice abluendo injectus ulcera uteri ſanat*; at de hac obſervatione valde dubito, verum ille innocuus ſaltem experitur.

II. (*b*) Belloſtus magni nominis Chirurgus pene certum remedium propoſuit in omni uteri ulcere, hoc eſt decoctio foliorum nucum pauco ſaccharo remixta, qua linteum imbibitur ulceri apponendum; hac de cauſa injectiones uſuvenirent ex eadem decoctione paratæ, & uteri ulceribus applicatæ, quæ ſane nihil nocerent; per os ſimul ſumi poterit aqua deſtillata nucum earumdem, modo ejuſdem diuretica virtus non læderet, cum ſciamus ægras plerumque cruciari inter mingendum.

III. Joanne Liebaut Doctor Medicus Facultatis Pariſienſis libellum compoſuit latine conſcriptum Sæculo XIV. ſub eo Titulo *Tractatus de Morbis Mulierum* ab operibus deſumptum Joannis Marinelli Medici de eadem materia pertractantibus; animadvertit hic (*c*) ſuffumigia, aut injectiones, quæ in ulceribus uteri inſtituuntur, Auripigmento flavo, vel citreo, aut Sublimato corroſivo actuari, circa quod fideliter eum Lazarus Pe (*d*) proſecutus eſt, qui Marinelli opus Gallice vertit: at, eorum medicorum pace, hujuſmodi praxim valde infenſam judico, neve unquam adhiberem Auripigmentum, dum uterum injectare vellem, cum illud revera Arſenicum ſit, etiamſi vero Arſenico mitius, aut Corroſivo.

(*a*) *Praxeos Lib. XXX. Cap.* 14. *Tom. II. p.* 575. (*b*) Pag. 26. in ſua Chirurg.
(*c*) *De la ſantè, fecondité, & Maladies des Femmes*. Chap. XIX. & XX.
(*d*) *Traitè des Maladies des Femmes, & Remedes d'icellee*, Liv. II. Chap. 19. & 20.

CAPUT V.

De uteri Scirrho.

§. I.

Deſcriptio, & Differentiæ.

SCirrhus genus tumoris eſt quatuor eſſentialibus characteribus a ceteris tumoribus diſtinctus, durus eſt, renitens, indolens; verum ſenſim, ſenſimque per *congeſtionem* augetur; tandem colorem naturalem partis affectæ non pervertit; ſigna tria priora valde conſpicua ſunt in hujuſmodi tumoribus, qui uterum aggrediuntur; at haud facile eſt quartum recognoſcere indicium procul viſu latitans; conjecturis enim fidendum eſt, & cadaverum ſectionibus, quæ ſatis illum declarant.

Vidimus in Tractatu *Tumorum*, & *Ulcerum* ſcirrhos omnibus corporis partibus, glanduloſis præſertim, communes eſſe, quare facile patebit matricem præſertim iis eſſe obnoxiam, quod obſervationes etiam confirmant.

Dum ſcirrhus omne uteri volumen occupat *totalis* aut *univerſalis* appellatur: verum ſi aliquam partem tantum, ut plerumque evenit, *partialis* dicitur; in utero pars affecta variat ſæpiſſime; modo enim fundum, modo orificium, modo latera dextrorſum, aut ſiniſtrorſum, modo anticam, modo poſticam uteri partem ſcirrhus deturpat; at hujuſmodi differentiæ parvi faciendæ ſunt, quæ nihil naturam morbi immutant, tantum ab iis diſtingui debent ſcirrhi vaginæ, vulvæ, aut alterutrius labiorum, non cauſarum reſpectu, quæ eædem ſunt, ſed curandi methodi, quæ diverſa eſt, cum topica his applicare queamus, non vero uteri ſcirrhis.

Maxima vero differentia a gradu reſiſtentiæ, aut indolentiæ deſumitur; quando ſcirrhus admodum durus, reſiſtens valde, indolens etiam ſub maxima preſſione reperitur, ſcirrhus *perfectus* dicitur, vel, ut alibi diximus, *legitimus* aut *exquiſitus;* contra vero *imperfectus*, *illegitimus*, aut *incipiens* appellatur, quando imperfecte reſiſtat, aliquem ſenſum ſervet ſaltem dum manu premitur.

Scirrhus plerumque ab œdemate, aut inflammatione circumſcribitur, quare *œdematoſus*, aut *phlegmonoſus* appellatus; ſecus enim *ſimplex* dicitur ſi œdema aut inflammatio abſint.

In utero ſcirrhi circumferentia facile diſtinguitur modo corpus uteri, fundum, aut latera afficiat, tuncque ſcirrhus *circumſcriptus* dicitur; difficilius tamen innoteſcit ejuſdem extenſio, ſi collum uteri deturpet, cum tumoris maxima pars tunc oſſi pubis ſubjaceat, ideoque tunc *non circumſcriptus* nuncupatur.

Tandem ſcirrhus legitimus, & perfectus, verum interdum ſpurius, aut imperfectus tument, atque dolent, aut lancinationibus plus, minuſve crebris fiunt obnoxii, ideoque tunc carcinomatoſi fiunt, & in cancrum degenerant, ut infra Cap. *De uteri cancro* enunciabimus.

§. II.

§. II.

Cauſæ.

SCirrhum uteri niſi aliquis circulantium humorum gignere valet, aut eorum, qui ſeparantur, morantur, cumulantur, aut inſpiſſantur in aliqua parte, donec in tumorem durum reſiſtentem concreſcant; itaque niſi duo humores in utero circulant, lympha nempe atque ſanguis; humor vero lacteus, de quo in Libro præcedenti locuti ſumus, unicus ſecernitur intra ſpeciales veſiculas pro uſibus illic explicatis; ſcirrhi ergo incrementum, vel ſanguinis congeſtioni, vel lymphæ congeriei tribuendum videtur, vel denique lacteo humori in ſuis receptaculis collecto, atque inſpiſſato.

At evidens eſt id ſanguinis infartui minime tribui poſſe, 1. Quia hujuſmodi cumulus quotidie calorem producit, quo ſcirrhus expers eſt, 2. Quia ejuſdem congeſtio citra ruborem numquam fit, qui in ſcirrho deeſt naturali tantum calore ſervato, 3. Verum quia ſanguinis collectio cito pergit per modum *fluxionis*; ſcirrhus vero ſenſim, ſenſimque ingrandeſcit per modum *congeſtionis*; idcirco iis rebus omnibus rite perſcrutatis uteri ſcirrhus niſi a lymphæ affluentis intra propria vaſa inſpiſſatæ maxima congerie oriri poteſt, quæ ſcirrhum *lymphaticum* generat; cumulus vero lactei, ſeu uterini humoris in propriis veſiculis detenti, atque condenſati ſcirrhum *lacticinoſum* gignit; denique a lymphæ ſimul, & lactei humoris affluxu ſcirrhus *lacteo-lymphaticus* oriri debet, qui crebrius uterum infeſtat.

Iis explicatis, ſupereſt cauſas explanare, quæ lymphæ, aut lactis uterini infartum inducunt; eæ duplicis ſunt ſpeciei; aliæ univerſales *efficientes* dictæ, quæ illos humores conſtipant, ut in utero concreſcant; aliæ ſpeciales ſeu *occaſionales*, quæ ad uterum ſpiſſos humores dirigunt.

Cauſæ generales, quæ lympham ſingunt, eæ omnes ſunt ſpiſſitudini ſanguinis communes, videlicet copia alimentorum valde nutrientium, & eorum qualitas, vitiata, aut craſſitudo.

Vitia digeſtionis plerumque conſecutiones ſunt intemperantiæ, & inordinati vitæ regiminis, a quibus ſanguis chylum recipit imperfecte ſubactum, atque valde denſum.

Animi longa, & ſæviora pathemata, quæ ſanguinis curſum retardando illum inſpiſſant.

Tandem deleterium cruoris inquinamentum, quo ſanguis inficitur, Celticum nempe, ſcorbuticum, aut ſtrumoſum.

At hujuſmodi generales cauſæ nedum valent ſcirrhum uteri producere, niſi locales, aut occaſionales lympham, lacteumque humorem eo devehant; inter haſce recenſentur:

1. Spiſſitudo, quam uteri, & propinquarum partium lympha acquirit, in coitu cum viro lue venerea correpto.

2. Injectiones gelidæ nimis, aut adſtringentes, quæ interdum imprudenter uſuveniunt ad dolorem inflammationis cohibendum, atque uteri elaterium ſuſtinendum, aut reſolutionem promovendam.

3. Subita reſtrictio uteri, frigoris externi ergo, dum ægræ perperam, menſibus, aut lochiis fluentibus, aqua frigida pedes luunt.

4. Atonia uteri vel naturalis, ut in labefactatis, laxiſque ſubjectis; vel ea, quæ colliſioni hujus partis, abortui, aut laborioſo partui ſuccedit, in quibus circumſtantiis magnopere viſcus diſtenditur.

5. Obſtructiones denique inveteratæ, quæ lymphæ circulum, atque lactis ute-

rini expanſionem prohibent; hujuſmodi in iis crebræ ſunt, quæ dum impuberes erant pallore laborarunt, incomplete vero menſtruarunt, aut menſium ſuppreſſionibus fuerunt obnoxiæ, ut ſuperiori libro perſpeximus.

Connubium nonnullarum earum cauſarum lympham congerit, lacteumque uteri ſuccum, ſeu ſimplicem redundantiam inducit, quæ in dies aucta uterum conſtipat, vel id evenit, quod liquidiorem partem affectæ partis calor diſſipet; vel arteriarum proximarum contractiones exprimant, ſpiſſiori ſuperſtite; qua de cauſa ſcirrhi congeſtio inſenſibiliter, ſegniterque pergit, ut tumorem diu ignoremus, niſi ipſum dira prænuncient phœnomena.

§. III.

Differentiarum explicatio.

I. INterdum ſola lympha inſpiſſatur, quæ vaſa lymphatica infarcit per uteri ſubſtantiam reptantia, eaque ſcirrhum efformat, quod *lymphaticus* appellatur; ſi idem eveniat, a lacteo uteri ſucco intra vermicularia detento *lacteum* ſcirrhum oriri videbis; verum ſi utrumque coacervetur, hinc natus ſcirrhus *lymphatico-lacteus* vocari ſolet in utero magis obvius.

II. Quando lympha, atque lacteus humor omnem uteri ambitum obſtruant aliqua accidentali de cauſa, quæ tamen totum uterum afficiat, *ſcirrhus totalis* nuncupatur; raro id evenit, tamen fidæ obſervationes illum oſtenderunt.

Contra vero ſcirrhus ille *partialis* dicitur, dum partem uteri aliquam ipſe occupat, ſpeciali de cauſa, quæ illuc tantum lympham, aut uterinum laticem congerit; hujuſmodi ſpecies diverſas partes deturpat, modo fundum, collum, aut latera; modo ſiniſtrorſum, aut dextrorſum; modo anterius, aut poſterius pro diverſa vitii ſede, quæ ſcirrhi generationi locum præbuit; quandoque ſcirrhi uteri nomine inſignitur ille vaginæ, vulvæ, vel pudendorum ut jam admonuimus.

III. Si lympha, aut lac uterinum, quæ ſcirrhum efformant, valde ſpiſſa ſint, verum lente ille procedat, tumor durus, reſiſtens, atque indolens apparebit, ut *perfecti*, aut *legitimi* ſcirrhi nomen mereamur, quia ii humores compactiorem tumorem efformabunt, qui in dies indureſcet, dum continenter calori partis affectæ, & arteriarum pulſibus ſubjicitur.

Contra vero, ſi ii humores liquidiores exiſtant, tumor celerius fiat, ſcirrhus durus minus, & ſenſibilis magis apparebit, iſque *ſpurius*, aut *imperfectus* appellabitur, tum quia ii humores minus denſi molliorem efformabunt tumorem, tum quia hic tumor per breve temporis ſpatium calori, atque arteriarum pulſibus expoſitus fuit, ut tenuiores moleculæ ab iis cauſis, neque diſſipatæ, neque expulſæ fuerint.

IV. Scirrhus hujuſmodi numquam trans uterum pergit, ideoque jugiter *circumſcriptus* erit, totalis ſit, vel partialis; verum ejuſdem margines haud facile erit determinare, ſi orificium uteri ſcirrhus deturpaverit, cum tunc oſſi pubi ſubjiciatur, modo per vaginæ hyatum eum perſcrutari nequimus.

V. Scirrhus uteri dum majorem extenſionem acquirit, hujus partis ſanguinea, aut lymphatica vaſa diſtendit, aut ſui volumine comprimit; modo cauſæ leviores ſint lymphatica tantum vaſa graciliora convellent, ut lympha in ſcirrho tenta œdema producat, ſeu *œdematoſum* ſcirrhum; verum ſi eæ cauſæ validiores ſint, ſanguinea vaſa etiam contorquebunt in propinquis partibus locata, quare ſanguine retento inflammatio oritur, quæ ſcirrhum *phlegmonoſum* inducit.

VI. Scirrhus imperfectus, aut pſeudo-ſcirrhus interdum reſolvitur, quia nondum coacervata materies indureſcit; verum fibræ non parum elaterii ſervant; de-

demum ſcirrhus perfectus aut legitims nunquam reſolvitur tum duritiei coacervati humoris, cum fibrarum inertium ergo, quæ nullo modo reſolutionem fovere poſſunt.

VII. Scirrhus legitimus ſæpe in cancrum degenerat rationibus infra exponendis *Cap. de uteri Cancro*; ſcirrhus vero imperfectus huic minus eſt obnoxius, interdum potius in ſuppurationem vergit, quæ abſceſſum producit, deleteriæ indolis, in ulcus ſcirrhoſum deſiturum.

§. IV.

Symptomata.

I. SCirrhus uteri perfectus indolens eſt, neque colorem, aut calorem partis affectæ immutat, ut in Tractatu *Tumorum*, & *Ulcerum* ſcirrhi reſpectu generice oſtendimus; iiſdem de cauſis ſcirrhus ſanguinis, aut lymphæ circulum non intercipit, ut diu ægræ interdum ſine noxa illum perferant.

II. At modo ipſe majus volumen acquirat; uterum gravat, ut inferius ipſum trahat, qua de cauſa ægræ moleſte incedunt, aut pedibus ſtant, autumant enim ægræ, tunc uterum jam prolabi.

III. Difficillime etiam decumbunt circa unum, vel alterum latus, modo ſcirrhus totalis ſit, quia tunc uterus ad alterutram partem trahitur, ut ipſis dorſo tantum decumbere fas ſit.

IV. Contra vero, dum ſcirrhus partialis gignitur, citra incommodum dorſo, vel in affecta parte jacent, non vero ſanam partem verſus decumbunt, in qua lancinantem dolorem perſentiunt.

V. Interdum ſcirrhus hujuſmodi catamenia minime implicat, quæ vulgarem periodum conſervant, modo ſufficiens uteri pars, aut lacteorum vaſorum numerus compreſſione expers ſit, atque leges menſtruationis, quales *Lib. I. Cap. II.* deſcripſimus, libere exerceantur; at contra dum interiorem uteri pene omnem ambitum volumen ſcirrhi auctum comprimit, menſes ſiſtunt, vel ſaltem inordinare fluunt, tum copiæ, cum periodorum reſpectu.

VI. Interdum in hoc ſtatu lethales hæmorrhagiæ ſuperveniunt; neminem latet confirmatos ſcirrhos varicibus innumeris ſcatere; quare ſi alterutra diſrumpatur, hæmorrhagiam induxerit plus, minuſve uberrimam, atque diutinam pro diverſa venæ conciſæ amplitudine, aut difficili occluſione.

VII. Scirrhi uteri confirmati, plerumque albos fluores lymphicos comites habent, nam vaſa ſanguinea, & uteri lymphatica, & tumore compreſſa tenuiorem lympham per tunicarum hyatus effugere ſinunt.

VIII. Demum ſcirrhus modicus perſiſtit, neque menſium periodum impedit, aut albos fluores inducit, vel leviores tantum, mulieres fætum concipere, gerere, feliciterque parere potis ſunt, quod certiſſimæ obſervationes oſtendunt; at contrarium evenit modo ſcirrhus amplus exiſtat, omnem uteri capacitatem occupet, catamenia perturbet, album fluorem inducat, ut fuſius Cap. *De ſterilitate* obſervabimus.

IX. Idem ſcirrhus ad certum gradum auctus iliacas venas premit, quæ ab extremitatibus inferioribus ſanguinem revehunt, ejuſdemque ordinis lymphaticas venas reduces, quare difficulter refluendo ſanguinis, atque lymphæ ſeroſitatem deponunt, quæ pedum, crurum &c., aut genitalium œdema gignit.

X. Eademque de cauſa, ſanguinis circulo intercepto, tum in hac parte cum in ceteris abdominis viſceribus, uteri Hydrops, & Aſcitis ipſa producuntur, etiamſi poſtremum morbum magis viſcerum infartus, quam ſcirrhus inducat.

§. V.

Diagnoſis.

I. HAud facile erit morbi initio ſcirrhum cognoſcere latitantem, ægræ ipſæ nullam moleſtiam perſentiunt, nullum poſcunt auxilium; ille creſcit tamen, conſpicuus fit, magnopere vexat, tum exterius abdomen premendo facile circumſcribitur; verum pondus ſcirrhi exiſtentiam declarat; interdum juvat digitum per vagiam ad uterum uſque intromittere, imo modo ſcirrhus exiguus ſit, manu exterius hypogaſtro applicare, ut reſiſtentiam tutius, & volumen tumoris conſpiciamus.

II. Quamvis hujuſmodi ſigna ſatis ſcirrhum deſignent, ipſum tamen quandoque cum hydrope, geſtatione, aut mola confundunt, ideoque indicia diſcere neceſſe erit, per quæ ab his ſcirrhus differt; verum cum hydropis, aut molæ indolem non cognoſcamus, id perſcrutari hic ſupervacaneum cenſeo, quare lectorem eo mittimus ubi de iis morbis ſpeciatim differturi erimus.

III. Species etiam ſcirrhi diverſas detegere noſtrum erit, ut de ſingulis rite prognoſim inſtituamus, quod tamen facile obtinetur.

1. Si enim preſſioni tumor nonnihil cedat, & aliqualem ægræ dolorem perſentiant, ſcirrhus *ſpurius & imperfectus* aderit.

2. *Perfectus* vero, aut *legitimus* cum indolens ſit, atque reſiſtens.

3. Hypogaſtrum premendo, matricem verſus præſertim, facile dignoſcitur an ſcirrhus *partialis* ſit, vel *totalis*; modo partialis ſit, ejuſdem poſitus innoteſcit, ſimili ratione imum ventrem examinando, fundum ne an alterutrum latus occupet; qui vero uteri collum infeſtat, digito pateſcit.

4. Denique ſcirrhus *phlegmonoſus* erit quando ægræ de calore, atque dolore conquerentur, cum pulſu crebro & elato; *œdematoſus* vero quando citra dolorem, calorem, atque febrem copioſum ſtillet lymphaticam effluvium.

5. Vaginæ tandem, vulvæ, aut pudendorum ſcirrhi oculis ſatis ſubjiciuntur, ut de eorum volumine, atque indole facile certiores fieri poſſimus.

§. VI.

Prognoſis.

I. GEnerice ſcirrhus teterrimus morbus eſt, & curatu difficillimus, quod præſertim de eo intelligendum eſt, qui uterum deturpat, ubi topica remedia neutiquam applicantur, univerſalia vero vix pertingunt.

II. Scirrhus *perfectus* incurabilis eſt, cum neque reſolvi, neque ſuppurari queat, quæ duplex eſt ſed unica medendi ratio.

III. In ſcirrho *imperfecto* aliqua ſupereſt valetudinis ſpes, cum morbi ſaltem initio, vel reſolvi poſſit, ut obſervationes docent; vel ſponte ipſe in ſuppurationem, aut abſceſſum deſinat; prima admodum ſalubris via eſt, ſed rara; altera frequens, ſed periculoſa magis cum in abſceſſum, aut ulcus degeneret plerumque noxium valde, & periculoſum.

IV. Uteri ſcirrhus, ut ceteris aliarum partium, facile in cancrum degenerat, rationibus infra Cap. *de Cancro* enunciandis; hujuſmodi metamorphoſis magis periculoſa evadit in iis mulieribus, quæ bilioſo, aut atrabilari donantur temperamento, quam in iis, quæ ſanguineo, aut pituitoſo donatæ ſunt; magis in illis, quæ animi paſſionibus, aut vigiliis defatigantur, quam in iis, quæ tranquillam vitam ducunt; verum illa nocua magis in vetuſtiori, quam in recenti; in

ti; in imperfecto quam in perfecto; in ampliori quam in exiguo tumore experitur.

V. Non inutile erit animadvertere lacticinoſum ſcirrhum lymphatico facilius ſolvi, nam lymphatici humores modo reſolvantur per longos amphractus, circumvehi debent antequam in circulum revertantur; lacticinoſi vero facile per vermicularium hyatus in utero patulos excernuntur: idem prænunciabimus de ſcirrho vaginæ, aut vulvæ, qui ab iis parum diſtant.

§. VII.

Curatio.

Ex anteactis apparet duplicem eſſe ſcirrhi medendi rationem, altera palliativa in incurabili ſcirrho, perfecto nempe, & vetuſtiori; altera eradicativa, fortaſſe, in ſcirrho recenti imperfecto, minus extenſo, qui mulieres infeſtat de cetero bene conſtitutas, & temperamento ſanguineo, aut pituitoſo donatas, in quibus menſtruus fluxus adhuc perſiſtit.

Quare I. Methodum curativam in iis circumſtantiis obviam explicabimus.

II. Palliativam medendi rationem enunciabimus, quæ potiſſima eſt in vetuſtiori, & perfecto ſcirrho, qui mulieres vexat cacheticas, & temperamento præditas atrabilari, aut bilioſo menſtruis orbatas.

III. Cautelas proponemus neceſſariiſſimas quando ſcirrhum in cancrum vergere ſuſpicemur.

IV. Tandem remedia nonnulla demonſtrabimus adverſus uteri ſcirrhum commendata.

Methodus curativa.

Dum Medicis auxiliis tumorem durum, ſcyrrhum nempe reſolvere conamur, ſtatim noſtrum erit: 1. Maſſam humorum attenuare, fluidioremque reddere, ut materies ipſa relaxetur in tumorem detenta: 2. Partis affectæ tenſionem imminuere, ut facilius ſanies ſubacta excernatur: 3. Hanc aperientibus, & ſolventibus efficacioribus alcalizare: 4. Tandem partium elaterium ſuſtinere, ut collecta materies a vividioribus fibrarum oſcillationibus citius exprimatur, ſcirhuſque reſolvatur.

Quatuor hujuſmodi indicationes ſubſecutura remedia implent; quæ validiora experta ſunt.

I. Sanguis, atque lympha ſubſequentibus attenuantur pharmacia, videlicet,

1. Decoctionibus, aut apozematis confectis ex

Radicibus Cichoreæ Eryngii Anonidis Bruſci Aſparagi &c.	ab ʒj. ad ℥jß.
Foliis Agrimoniæ Pimpinellæ Fumariæ Naſturci aquatici	a pug. j. ad pug. j. ß.

in qui-

in quibus ad libitum ſolvi poſſunt

Tartarum vitriolatum	} a gr. xxx. ad xxxvj.
Arcanum duplicatum	} ad ℥j.
Sal Glauberi	} ad ℥j.
Terra foliata Tartari	} ad ℥ß.
Tartarum martiale	} a ℈j. ab ℥ß.
Flores martiales	} a gr. xij. ad gr. xxiv.

Perfici poſſunt ex iis radicibus, atque foliis decoctiones cum pullo ſimul, aut carne vitulina ebullitæ; vel apozemata ſimplicia, addito etiam ſyrupo V. radicum aperientium.

2. Serum lactis vaccinum, aut caprinum coagulo paratum, & per cartam bibulam depuratum optimum cenſetur, pro ſingula vice ſuper affundendo uncias tres ſucci depurati Chærophylli, Naſturcii fontani, Fumariæ &c., in iis ſolvendo aliquod ex ſalibus aperientibus ſuperiori Articulo indicatis.

3. Lac pariter aſininum prodeſt, modo ſanguis acris ſit, ſemel ſaltem in die ſumptum, verum aſellam ſeligendo a partu recentem, quæ bonæ craſis lac, ſerumque ſuppeditet.

4. Aquæ minerales ferrugineæ exhiberi poterunt, modo tempeſtas permittat, inter aquas mitiores, & magis idoneas ſeligito, quas diu valeant ægræ perferre.

II. Uno eodemque tempore tumorem emollire, & tenſionem tollere debemus, quod obtinetur frequentia remedia exhibendo tum exterius applicita, cum intus ſumpta, videlicet,

1. Apozemata, & decoctiones laxantes, verum cetera remedia ſuperius propoſita modo nondum adhibita ſint.

2. Balnea, & ſemibalnea aquæ puriſſimæ, vel decoctionum plantarum emollientium, quales ſunt.

Biſmalvæ
Parietaria
Nimphæa
Branca-Urſina
Violæ &c.

Ad libitum balnea præſcribi poſſunt mane, aut veſpere, procul tamen a prandio, in quibus per horæ ſpatium perſiſtere debent ægræ.

3. Cataplaſmata uſuveniunt parata

Ex pulpa Cæpæ
Lilii

Vel Foliis Oxalidis
Althææ
Malvæ

ceterarumque plantarum, de quibus locuti ſumus, ſub cineribus illas coquendo, iis pulpam copulando per cribrum transjectam, oleum liliorum, aut mucilaginem ſeminum Pſyllii.

4. Fomenta regioni hypogaſtricæ applicita, & injectiones ex decoctionibus tepentibus earumdem plantarum confectæ in utero introductæ.

5. Cly-

5. Clyſteria ex eadem decoctione, & oleo amygdalarum dulcium patrata; ſane hujuſmodi remedia, balnea nempe, cataplaſmata &c. debiliter ſcirrhum uteri deſtruunt; ſed cum intimius partem affectam pervadant, ſat erit, ut eorumdem uſum non contemnemus.

III. Poſtquam ea remedia præmiſſa ſint per idoneum temporis ſpatium, materiam in ſcirrho detentam ſolvere curabimus.

1. Uſu opiatorum, bolorum, aut pilularum ſolventium ex marte compoſitarum: videlicet

Crocus Martis aperiens	} ad gr. xx.
Tartarum Martis ſolubile	} ad gr. xxx. vel xxxvj.
Flores Martis	} a gr. xij. ad xviij.
Æthiops Martialis leniter aperiens a gr. xx. ad xv.	

vel, quæ ex Mercurio parantur, nempe

Æthiops mineralis per deflagrationem paratus, vel Æthiops confectus, Mercurium vivum quaſſando cum ſufficienti quantitate reſinæ alicujus, Peruvianæ præſertim &c. donec nigreſcat; doſis hujus remedij a xv. ad xx. gr. conſiſtit.

ex talibus ſolventibus, & aperientibus, qualia ſunt

Sal admirabile Glauberi Arcanum duplicatum Terra foliata Tartari	} a gr. xxv. ad xxx. pro ſingula vice.

ex pulvere

Aſellorum recentium	} a gr. xv. ad xxv.

ex gummis aperientibus, videlicet

Gummi Ammoniacum Sagapenum Galbanum Opopanax	} a gr. vij. ad viij

ex trium, vel quatuor eorum delectu, opiata, boli, aut pilulæ conficiuntur quæ modicæ doſis ſyrupi alicujus aperientis, ut quinque radicum, additione mane jejuno ſtomacho ſumuntur, ſuperbibendo ſimplicem decoctionem, interdum herbis aperientibus propoſitis alteratam.

2. Applicantur cataplaſmata ex pulpa radicum excoctarum confecta: nempe.

Brioniæ
Cucumeris ſilveſtris
Gladioli
Ebuli &c.

His pulpis jungitur oleum lauri, aniſorum, & inde cataplaſmata efformantur regioni

gioni hypogaſtricæ apponenda ubi ſcirrhus uteri prominet; vel ſcirrhis ipſis vaginæ aut vulvæ, identidem reiterata.

3. Emplaſtrorum reſpectu ſolventium Cicuta, Nicotiana, Galbanum, Manus Dei, aut. Diabotanum uſuveniunt, ſimplicia, vel cum emplaſtro mucilagineo, aut melliloti remixti parti affectæ ſimul applicata.

Merito ſuſpicor tamen hujuſmodi externa remedia parum, vel nihil utilitatis afferre; at in graviori morbo nihil prætereundum videtur.

4. Remedia ſolventia exhibere nuper propoſita intererit.

Primum ægram phlebotomizare, præſertim cum menſes ſuppreſſi ſint, aut intercepti, quod ab uteri calore dignoſcitur; Alterum leviora purgantia præſcribere ad humores evacuandos idonea, bilem præſertim, quam remedia prius attenuarint, modo tamen, alicui non libeat purgantia pilulis, aut bolis ſolventibus addere; Tertium tandem erit diluentia, & humectantia ſolventibus copulare, ut calefactionem ſcirrhi cohibeamus; quandoque etiam per intervalla a ſolventibus deſiſtere dum refrigerantibus uterum humidamus.

IV. Tandem modo imminuamus, atque emolliamus ſcirrhoſum tumorem remedia convenire poterunt, quæ uteri elaterium ſuſtinent, atque oſcillationem ſolidorum reſtituunt, hujuſmodi ſunt:

1. Injectiones tepentes aquarum thermalium *de Barrege, de Balaruc, Bourbon, Aix-la Chapelle* &c. per aliquod tempus uteri cavitate detentæ.

2. Suffumigia per ſellam familiaricam recepta aquarum earum thermalium, aut pulverum, gummi, Hederæ, Juniperi, Myrrhæ &c., quæ ſuper prunas funduntur terebinthina remixta, verum ſuffumigia ex combuſtis ſilicibus aceto extinctis, quæ Galenus admodum laudat; curandum tamen erit ne ea calrdiora ſit, uterumque lædant.

Methodus palliativa.

Quando ſcirrhi natura, & morbi gradus valetudinis ſpem eludunt, palliativam tantum medelam amplecti fas erit, quæ eo collineat, ut morbi progreſſus retardemus, ſævioraque ſymptomata nonnihil compeſcamus, hujuſmodi indicationes ſequentium remediorum uſu implebuntur.

Etenim 1. remedia omnia ſolventia, diluentia, humectantia ſuperiori articulo propoſita priori indicationi ſatisfacient, addi poterit etiam aliquod aperiens ad modicam doſim, modo ſanguinis ſpiſſitudo illum poſtulaverit.

Vulgaris methodus eſt hyeme apozemata, atque decoctiones humectantes & diluentes exhibere; vere & autumno vero lactis ſerum; vel, ſi ſanguinis acrimonia poſcat, aſininum; tandem æſtate aquæ ferrugineæ mitiores, & balnea, aut ſemibalnea tepentia præſcribere ſolemus plus, minuſve in his remediis inſiſtendo prout opus requirat.

2. Purgantur ægræ identidem lenioribus ecoproticis, quæ nequeant inteſtina irritare, aut inflammare nimis.

3. Interdum cubitum ſecamus modicam quantitatem ſanguinis extrahendo, id tantum inſtituendo quando pulſus turgeant, atque ſcirrhus doleat, quod in iis mulieribus præſertim locum habet, in quibus menſes ſuppreſſi ſunt, aut ætate amiſſi.

4. Ægræ hortentur, ut vehementiora corporis exercitia effugiant, vel properando, vel ſaltando, aut colloquendo, neve vigilent, diu animi pathemate crucientur, aut matrimonii uſu frequentiori commoveantur.

5. Eadem de cauſa neceſſe erit ventrem remediis continenter expiare, ne in excernendis fœcibus laborent, verum ſedulo curare ne rheumaticis affe-

ctibus

ctibus corripiantur, vel ſi hi ſuper veniant bechicis & narcoticis illos compeſcere, ne ſcirrhus inter tuſſiendum intendantur.

6. Ab injectionibus, & ſuffumigiis erit deſiſtendum, ne ſcirrhus caleſcat; vel ſi nonnulla adhibeantur dulcificantia, ſint ad uterum luendum tantum inſtituta, modo albus, & acre fluor exiſtat.

7. Tandem ſobriæ vitæ, & methodicæ regimen erit præſcribendum, juſcula tantum, elixas, & aſſatas carnes permittendo, ſalitis omnibus, aromatis, minutaliis interdicendis; vinum etiam, modo, tamen pauxillum haurire nolint.

Regimen, cui ſtudere oportet. ne ſcirrhus in cancrum degeneret.

1. Penitus ſolventium uſum in hoc caſu contemnere debemus; diluentia tantum, & humectantia amplectendo, ſerum lactis præſertim pro ordinario potu exhibendo.

2. Simul noſtrum erit brachium incidere ſemel, bis, & amplius prout morbus exiget.

3. Narcotica etiam initio morbi conveniunt ad dolorem mitigandum, quem ægræ præſentiunt; hujuſmodi ſunt ſyrupus Diacodii, Tinctura anodyna, aut Laudanum idonea doſi propinatum.

4. Tandem ægras per aliquot dies decoctionibus, aut brodiis ſuſtinere neceſſum erit, vel ſolo oryzarum cremore.

Remedia ſpecifica adverſus uteri Scirrhum.

I. Cum aliunde edocti ſimus Mercurialium frictionum uſum, aut præparationes Mercuriales ganglia, & exoſtoſes ſcindere, idcirco autumarunt nonnulli eadem remedia ſcirrhos, ac proinde illos uteri ſolvere potis eſſe; at experientia oſtendit actionem Mercurii, ejuſdemque præparationem; niſi ſcirrhoſos tumores, aut ſcirrhos reſolvere a lue venerea natos; in hoc caſu optima cenſentur hujuſmodi remedia, tuto exhibenda in uteri ſcirrho, imo exempla ad hoc excitant; at neutiquam ſalubrem effectum vidi, aut valde incertum, dum ea adhibita ſunt adverſus vulgares ſcirrhos, citra Celticam luem, ſupervenientes.

Itaque animadvertendum eſt tumores venereos interdum minime reſolvi mercurialium auxilio, quæ futilia evadunt cum tumores maximum gradum duririei adepti ſint; non deſunt exempla exoſtoſium, glandularum inguinum, gangliorum, quæ etiamſi a Celtica cauſa originem agnoſcant, ſi vetuſtiora ſint, minime cedunt Mercurii exhibitioni; eadem de cauſa ſuſpicari licebit quandoque ſcirrhos uteri etiamſi venereos incaſſum remediis Mercurialibus tentatos diu in eodem ſtatu perſiſtere poſſe.

De cetero modo certiores ſimus de indole venerea hujuſmodi ſcirrhi, cui frictionibus mederi judicemus, methodum proſequi poterimus ſuperius *p.* 209. *&* 210. indicatam, dum rationem ulcerum venerearum uteri medendi expoſuimus.

II. Jactant nonnulli pro ſcirrho uteri ſanando *Belladonam*, aut *Solanum maniacum*, verum etiam *Cicutam*, æque ac cancrum adverſus utiliſſimas eſſe, ac proinde magnopere ſolventia credunt; cancer enim numquam convaleſcere poteſt, niſi humor in eo retentus ſolvatur, ut reſolutio aut ſuppuratio perfici poſſit, quod efficacioribus ſolventibus tantum obtinetur; videbimus ſubſequenti capite, quanti exiſtimanda ſint hujuſmodi remedia ad curandum cancrum, quare etiam adverſus ſcirrhos quanti pendeant, tunc judicabimus.

III. Apud Gallos omnes conveniunt in omnibus ſcirrhis, uteri præſertim, aquas *de Barrege* in Pireneis ſcaturientes mirificis virtutibus præditas valde proficuas experiri; hic minime in dubium revocabimus earumdem virtutem detergentem, atque alcatrizantem adverſus fiſtulas inveteratas, aut ulcera fœda;

tum

tum adverſus oſſium cariem, paralyſim, rheumatiſmos, aut nervorum reſolutionem; verum ipſarum proprietatem emolliendi, atque ſolvendi frigidos tumores, & ſcirrhoſos ipſas magnifacio, circa quod ceteris omnibus facile præcellere defendam.

Hujuſmodi aquæ fibras laxant, atque membranas ſcyrrhoſæ partis reſtituunt, atque ſuſtinent earum ſyſtalticum elaterium; ſpiſſum humorem liquant, ideoque hac ratione ſimul reſolutionem promovent, ac ſuppurationem impediunt, quod citra ullum detrimentum peragitur, neque morbus intenditur, neve cancer inducitur; adhibentur hujuſmodi aquæ multiplici ratione interius, exterius, per embrocationem, aut per injectionem; applicantur regioni hypogaſtricæ ipſarum ſedimenta ſi unquam adipiſci queamus, cum ipſa exigua copia decidant; verum cum morbus pertinax ſit, & ſegne videatur aquarum earum auxilium, diu earum uſum continuare fas erit, identidem deſiſtendo, ut ægras purgemus, & magis, magiſque venæ ſectionibus, iterum ſi opus requirat, aquarum aſſumptioni præparemus.

CAPUT VI.

De Pſeudo Scirrho, ſeu Steatomate, & Sarcomate uteri.

IN utero coagmentantur, ut in ceteris corporis partibus, ſteatomata, & ſarcomata, tumorum ſpecies a ſcirrho valde natura diſſitæ, quæ tamen illum referunt externi habitus reſpectu, initio morbi ſallem, ut facile ægrotantes, & medicos decipiant, quare eos tumores *pſeudo-ſcirrhos* vocant qui cum a ſcirrho vero differant tum prognoſis cum medendi rationis ergo ſingillatim eorum naturam explicare in duplici Articulo curabimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Steatomate, & tumoribus uteri membranæ incluſis, ſive Cyſticis.

§. I.

Deſcriptio, & Differentiæ.

STeatoma tumoris ſpecies eſt membrana involuti, ut cyſtis nomen mereatur; hujus receptaculi cavum humore ſpiſſo diverſimode colorato turget, qui interdum viſcoſus eſt, albus, ſalitus, ſebo haud abſimilis, quem Græci *Steatoma* dicunt, quaſi tumor *ſebaceus* dicerent; ſi humor ille minus ſpiſſus appareat, luteus, granuloſus ut Mellem referat *Melliceris* appellatur, quod Græce ſignificat tumorem *Melle repletum*; ſi liquidior tandem, & albidior fiat ut Papparium repræſentet, *Atheroma* vocatur quaſi tumor *Pappario* repletus.

Obſervavimus jam ſuperius in Tractatu *Tumorum & Ulcerum*, hujuſmodi tumores initio exiguos eſſe, qui in dies ſenſim, ſenſimque creſcendo maximum volumen acquirunt, ut deformes interdum fiant.

Quandoque unicam ipſos cavitatem continere, plures interdum.

Eos plerumque folliculum gignere duplici lamina inſtructum, ut internus nucleus concentricus ſit, inſulatus vel levi pedunculo partibus cohærens.

Eos tumores plerumque ſuapte natura colore & dolore expertes eſſe citra natura-

turalis caloris mutationem, inflammationi tamen obnoxios quandoque, ac proinde calori, dolori, &c.
Crebro poſt inflammationem in abſceſſum, aut apoſthema ipſum degenerare fœdo pure repletum, quod innoteſcit tumore diſrupto, atque fluente latice.
Tandem illos facile in ſcirrhum, aut cancrum converti poſſe.
Ea omnia, quæ de cyſticis tumoribus in genere expoſuimus, iis uteri pariter conveniunt; animadvertendum ſolummodo videtur hujuſmodi tumores modo extrinſecus uterum fœdare, modo intra tunicas locari, crebrius internam faciem lædere, & duplici ſacculo contineri.
Iis tumoribus interdum vagina circa oſtium, aut fundum, tum vulva, vel pudenda laborant.

§. II.

Cauſæ.

Scimus illos tumores efformari ab humoris alicujus in propriis vaſis retenti congerie, quæ folliculos ſenſim, ſenſimque diſtendit.
Quando in ceteris partibus id contingat lymphæ tantum congeſtioni tribuitur, ut alibi vidimus; verum uteri reſpectu a duplici humoris genere illud oriri poteſt; a lympha nempe lymphaticis venis coacervata; vel a lacte uterino in propriis receptaculis cumulato.
Utrumque tamen niſi tribus de cauſis tumorem cyſticum inducere valet;
I. Quando lympha detinetur, & lac uterinum expandi cohibetur.
1. Ab infartu, qui plus, minuſve vaſa lymphatica, aut vermicularium orificia tegit; hæc eveniunt a ſubitaneo frigore, quod fluentibus præſertim menſibus aut lochiis uterum offendit.
2. A compreſſione, quæ vaſa nonnulla lymphatica, aut vermicularium oſtia occludit; id juvenibus accidit mulieribus, aut ſtatura humilibus, quæ grandiorem fœtum geſtarunt, vel laborioſum partum paſſæ ſunt, in quo fœtum tranſverſim ſibi pandit viam; compreſſitque alterutrum valde uteri latus.
II. Quando hi tumores etſi ſtagnantes aliqualem tamen fluiditatem ſervant, quæ ſcirrhi ortum tamen non impediunt.
III. Quando lympha, aut lac uterinum libere in vaſa lymphatica, & vermicularia irrumpit, eaque tumefacit, ut cyſticos producat tumores.
Ex iis notionibus conſequuntur;
1. Membranaceum ſacculum, qui tumorem complectitur, tunicam eſſe lymphaticorum, aut cellulam lacteorum vaſorum ab affluenti lympham extenſam, atque dilatatam.
2. Hanc dilatationem augeri interdum, ut ampliorem tumorem deformem ipſa inducat.
3. In ratione tumoris incrementi circumpoſitam membranam indureſcere, lymphæ nutrientis ergo, nimia ibi copia perſiſtentis.
4. Modo unicam cavitatem tumorem præſeferre dum unicum dilatatur lymphaticum vas, aut lacteum receptaculum.
5. Modo pluribus conflari loculamentis, quæ a multis extenſis cellulis, dilatiſque vaſis originem ducunt.
6. Hujuſmodi vaſa lymphatica, aut lactea receptacula, quæ ſuptus intimam uteri tunicam repunt, hanc dilatare dum expanduntur, quare tumores hi duplici obduci theca *interiori* una ſibi propria, altera *exteriori* ab interna nata matricis membrana.
7. Denſitatem ſtagnantis humoris a lymphæ, aut lactis uterini ſpiſſitudine deri-

derivare, plerumque tamen tumoris pertinacia ſegnitiem illam plus, minuſve inducere.

8. Coloris varietatem humoris illius ab eadem ſpiſſitudine interdum oriri; crebrius tamen a deleteria ſanguinis admodum bilioſi indole.

9. Cyſticos uteri tumores æque, ac ceteros aliarum partium inflammari poſſe, exulcerari, in ſcirrhum degenerare, aut cancrum compreſſionum, contuſionum, irritationum, aut excoriationum cauſa.

10. Tandem vaginæ etiam, atque vulvæ fundum his tumoribus fœdari, qui in omnibus cum illis uteri conveniunt.

§. III.

Symptomata.

I. MOrbi initio nondum tumorem animadvertunt ægræ, eo tamen in dies increſcente venter tumet, & ipſæ in ſuſpicionem incidunt calamitatis ſubſecuturæ.

II. Pondus, quod augetur quotidie animi ambages confirmat, eoque magis cum nullum geſtationis certum indicium appareat.

III. Dolore interdum obtuſo cruciantur ægræ, qui eas valde perterret, iſque ab ampliato tumore, & inertia laceſſitarum tunicarum dependet.

IV. Dum maximus tumor fit eam partem verſus venter labitur, qua ægræ decumbunt; commodius enim dorſo jacent.

V. In exiguo tumore menſes periodice revertuntur; abeunt vero ſi pro magnitudine ipſe maximam partem uteri occupet.

VI. Catameniorum loco lymphaticum erumpit effluvium a tumoris compleſſione elicitum; hujuſmodi latex interdum pus æmulatur.

VII. Tumores cyſtici plerumque lata baſi utero valde adhærent; quandoque tamen exiguo cohærent pedunculo; iis tamen diſruptis difficillime, modo grandiores ſint, expelluntur, plerumque pro molis expulſis ipſos habent, quod veram implicat molæ ideam.

VIII. Quando ii vaginam, aut vulvam deturpant eadem non ſolum incommoda afferunt, verum cum marito connubium impediunt, ut ægræ, & obſtetrices ipſæ uteri deſcenſus illos eſſe putent.

§. IV.

Diagnoſis.

OStendimus jam cyſticos tumores uteri, atque vaginæ initio morbi nedum ſenſibiles fieri; at dum eos animadvertere incipimus facile cum aliis pluribus morbis confundimus, cum quibus ſummam affinitatem habent.

I. Hujuſmodi ambiguitates tamen neutiquam inflammationem reſpiciunt, cum hæc ab iis prorſus vivo a preſſione nato dolore, calore, atque febre diſtinguatur; verum illa ad acutos morbos, iſti ad chronicos pertineant.

II. Facile tamen cum uteri ſcirrho, hydrope, aut geſtatione illos permiſcent; videbimus infra ſigna iis morbis propria; ſat erit enim hic ea enunciare, quæ hujuſmodi tumores a ſcirrho diſtinguunt: ea ſunt

1. Scirrhum reſiſtentem magis, atque durum cyſticis tumoribus experiri.

II. Ipſum anguloſum plerumque, eſſe inæqualem; cyſticum vero tumorem rotundum, magiſque extenſum.

3. Il-

3. Illum denique teterrima phœnomena inducere, atque mulieres labefactare; nullum tamen eas cyſtico tumore correptas incommodum perſentire.

§. V.

Prognoſis.

Cyſticus uteri tumor ſane rarus incommodus eſt, modo vero mulieres aggrediatur, pertinax valde eſt ad mortem uſque perdurans.

1. Nunquam convaleſcunt, præſertim cum grandiores ſint, nam impoſſibile eſt ſpiſſum, atque uberrimum illum ſolvere laticem duplici theca duriori obtectum; experientia enim innotuit externos cyſticos tumores, quos *lupias* dicunt, incaſſum emplaſtris reſolventibus tentare; eoque magis igitur difficile erit illos uteri ſanare, quibus nefas eſt remedia apponere.

2. Hujuſmodi difficultas, quæ generice omnibus hujus ſpeciei tumoribus convenit, magni facienda ſaltem eſt eorum tumorum ergo, qui majorem amplitudinem præſeferunt, atque ſpiſſiori turgent latice qualia ſteatoma, & ateroma ſunt.

3. Plerumque perſiſtendo internis efficacioribus remediis, aut reſolventibus injectionibus, ut tumor reſolvatur, ſuppurationem imperfectam obtinemus, quæ abſceſſum anomalum inducit, materie nempe repletum granuloſa, & putreſcente, quæ minime verum pus videtur.

4. Interdum hujuſmodi incommodum evenit etiam non excitatum.

Quando mulieres, quæ iis tumoribus laborant, ſupra ventrem cadunt, vel ictibus, aut contuſionibus labefactantur.

Quando lentæ febri fiunt obnoxiæ, quæ humores, cruoremque ſenſim, ſenſimque ſolvit.

Tandem quando in iis circumſtantiis concipiunt, quod abortum facit.

5. Quoties ii tumores in ſuppurationem vergunt, abſceſſum in uterum efformant nocuum valde, in ulcus fiſtuloſum plerumque abiturum, quod febris lenta comitatur.

6. Etiamſi inſenſi videatur iidem vaginæ tumores, minus tamen periculi conjunctum habent, nam vel eroſione, vel amputatione facile tunc extirpantur.

§. VI.

Curatio.

In cyſticis illis tumoribus, qui externas partes aggrediuntur, interne adhibentur ſolventia, externe emplaſtra reſolventia applicantur; in hac methodo perſiſtendum donec illi humiles perſiſtant, neque infirmam partem deforment; tamen plerumque, iis fruſtra adhibitis auxiliis, neceſſum erit ferro, aut cauſtico tumores conſcindere.

Ex iis inferre poſſumus quantum ſpei ſuperſit uteri tumores ſanando, quos nefas eſt abradere, neve cujuſve generis emplaſtra apponere; tantum nonnulla minus efficacia ſolventia exhibere fas eſt, qua de cauſa facile patebit palliativam tantum methodum inire poſſe, quæ niſi morbum demat, progreſſus tamen retardat.

Duæ indicationes hic proponuntur, *altera* eſt ſanguinem attenuare, atque liberam in utero circulationem ſollicitare, ne tumoris infartus, quam maxime augeatur; hanc implebimus.

1. Frequenti uſu decoctionum, aut apozematum diluentium, & humectantium quales ſuperius propoſuimus in ulceris hujus viſceris curatione.

2. Verum uſu ſeri lactis depurati, cui addi poterunt unciæ aliquot ſucci depurati Chærophylli, aut Naſturtii fontani; poſſumus etiam ſi opus ſit decoctionibus, aut ſero aperientia nonnulla copulare, qualia ſunt Sal *de duobus*, Martis Riverii, Tartarum Martiale Solubile, Terra foliata Tartari, quæ diluentium virtutem augere potis erunt.

3. Uſuvenit etiam lac aſininum recens ubi ſanguinis acrimoniam adeſſe ſuſpicemur.

5. Aquæ ferrugineæ modica doſi, atque idonea tempeſtate ſumptæ proſunt aliquo præſertim ſale purganti remixtæ.

5. Brachii venæ ſectio interdum repetita admodum utilis evadit, continenter pulſuum ratione habita; verum neceſſariiſſima videtur quando dolor, aut calor uteri ægras infeſtet.

6. Balnea, & ſemibalnea tepentia uſuveniunt, in quibus decoctiones, apozemata, aut ſerum exhiberi poteſt.

7. Tandem ægras leviter purgare identidem ecoprotica repetendo, quæ non ſolum primas vias expient, verum ſanguinem repurgent.

Altera indicatio erit uterum luere, atque mundare a ſordibus eo affluentibus, quas ii tumores devehunt, & ſub effluvii lymphatici, aut purulenti ſpecie erumpunt; ea de cauſa injectiones tantum adhibere fas erit ex decoctionibus Hordei, Abſinthii, & Artemiſiæ peractas, quibus Mel Narbonenſis addi poterit; Aquas Thermales etiam ſulphureas injectare oportebit, guttas aliquas ſuperaffundendo Balſami *Commendatoris de Perne*; ſuffumigia denique, quæ aquæ illæ exhalant, utilia experta ſunt modo uterum tubuli auxilio intrent.

Ii tumores, qui vaginam, aut vulvam lædunt, facilius, tutiuſque ſanantur, quia eis emplaſtra apponi poſſunt; imo, ſi opus requirat, cauſtico deſtrui, aut ferro reſcindi; verum earum operationum fuſiorem explicationem Articulo ſequenti exponam, ubi de vaginæ Sarcomate vulgo Steatomate locucuturi erimus.

ARTICULUS II.

De uteri Sarcomate.

§. I.

Deſcriptio.

UTerus æque, vagina, aut vulva rotundis tumoribus citra ullam cavitatem indoleſcentibus, mollibus, cedentibus corripi poſſunt; tamen neque color, neve calor partium affectarum immutatur, hujuſmodi tumores primum exigui ſunt, atque inſenſibiles, at in diem increſcendo infantis caput interdum adæquant; ſed eorum progreſſus, etiamſi certiſſimi ſint, inæquali velocitate procedunt:

Illi omnibus corporis partibus communes ſunt, omnem corporis ambitum deformare poſſunt, omneſque cavitates lædere, nares videlicet, œſophagum, aut inteſtina, idcirco nil mirum ſi ſimili morbo uterus laboret, aut vagina.

Dum hujuſmodi tumores a morte, aut amputatione ſcinduntur nullam cavitatem ipſos referre obſervamus, quinimo interſecatione coagmentantur tendinearum, aut membranacearum aponeuroſium, quarum intervalla pinguidinoſa materie

terie vulgari ſebo magis ſpiſſa, atque fibroſa replentur, ibique nervi & vaſa ſanguinea arterioſa, & venoſa valde tamen diſtincta diſtribuuntur.

Iidem tumores ſarcomata nuncupantur, quod carneam excreſcentiam ſignificat, etiamſi ſebacei tumoris nomen rationabilius mereantur, cum ipſos oriri cognoſcamus ab expanſione, atque intumeſcentia partis alicujus membranæ cellularis aut adipoſæ.

Etiamſi indoleſcentes plerumque, & molles ii tumores exiſtant, nihilo tamen minus quandoque in quibuſdam circumſtantiis inflammari poſſunt, exulcerari, aut in abſceſſum, ſcirrhum, aut carcinoma degenerare, totidem diverſos morbos producendo.

Quæ de ſarcomate in genere dicta ſunt, perbelle uteri ſarcomati conveniunt, quod a ceteris poſitu tantum differt.

§. II.

Cauſæ.

Modo nobis ſuadeamus ſarcoma concreſcere a nulla humoris congeſtione ſed ab exuberanti nutritione cellularis uteri internæ, ejuſque nimia craſſitudine, ut excreſcentiam referat internam faciem uteri deturpantem; reliquum erit cauſas detegere, quæ hanc in utero nimiam nutritionem ſuppeditant.

Hanc tres cauſæ potiſſimæ ſunt inducere tantum.

Prior. Prominentia eſt portiunculæ alicujus internæ faciei uteri, vel id ab ictu unguium obſtetricum eveniat, quæ leviter uterum excorient, vel ab eroſione guttarum nonnullarum rodentium albi fluoris, vel ab aliqua infecti ſeminis guttula; tunc emollita illa internæ uteri tunicæ parte ſubtus poſita, cellularis ab intima membrana minus preſſa nutrientem lympham uberius recipiet, quæ ſarcomati occaſionem præbebit in diem augendo.

Secunda. Criſpatio videtur, aut erethiſmus, partis alicujus illius cellularis membranæ ab irritatione orta guttarum nonnullarum ſpiſſi, atque acerrimi laticis albi fluoris veterrimi, vel ab aliqua venerei vi ſuperfuſa guttula, aut ab injectionibus ſtipticis, aut irritantibus; illa criſpatio lymphatica vaſa conſtringendo lympham ſiſtit, atque ſarcoma tali pacto efformat.

Tertia. Ab imminutione procedit elaterii parti alicujus ejuſdem membranæ, quod oriri poterit, vel a diſtenſione nimia hujus partis, quam in difficili, & laborioſo partu paſſæ fuerint ægræ; vel a laxitudine ab albo ſtagnanti fluore inducta; in hoc caſu lympha a vaſis, aut tunicis imbecillibus minus impulſa in ea labefactata parte perſiſtet, eamque confertim nutriendo ſarcoma pariet.

Sarcomatum reſpectu, quæ vaginam, aut vulvam gravant, eaſdem prorſus ipſa cauſas agnoſcunt; harum partium tamen ſpeciales ſunt titillationes, quæ ipſæ, vel ab aliis fieri ſinunt.

§. III.

Symptomata.

I. Morbi aggreſſu hujuſmodi tumores exigui ſunt, neque piſum craſſitudine ſuperant, continuatione tamen agentium earum cauſarum ſenſim, ſenſimque augentur.

II. Eorum incrementum plus minuſve promptum videtur prout arteriæ, quæ ad ſarcoma humorem devehunt ampliores, plus, minuſve ſunt turgentes, quæ

videlicet majorem, vel minorem lymphæ nutrientis copiam ſuppeditant ibi ſtagnaturam.

III. Ea ſarcomata plus, minuſve dura apparent, prout nutriens lympha plus, minuſve ſpiſſa eſt; aut matricem aggreditur calentem plus, minuſve humidam.

IV. Hi tumores indoleſcentes fiunt, vel adipis ſenſum tantum retinent; ſebacei enim tumores pauciſſimis nerveis ſtaminibus ſcatent.

V. Sarcomata quandoque craſſo, ſed brevi pedicino matrici adhærent, quandoque longiori, & graciliori appendice cum ea cohærent; quod a majori, vel minori portione illius membranæ cellularis extenſæ procedit.

VI. Dum ſarcoma lato, ſed brevi pedicino adhæret, difficilius divellitur; facilius tamen, ſi longiori, & graciliori appendice cohæreat; tunc hujuſmodi ſarcoma expellunt ægræ cum majori molæ moleſtia; verum interdum ideam pervertunt veræ molæ cognoſcendæ.

VII. Quando uteri ſarcomata ampliora facta ſunt pondus ægræ perſentiunt, atque moleſtiam, quam poſtremis geſtationis menſibus ſolent perſentire.

VIII. Tunc pari ratione ac in gravidis, mulieres magno ſarcomate graves pedum œdemate laborent atque vulvæ compreſſionis ergo cruralium venarum, quæ ſanguinem revehunt.

IX. Quando ſarcomata exigua ſunt, catamenia plerumque periodice reſtituuntur, cum pars maxima faciei uteri internæ libera ſit verum vaſa ſanguinea, & venoſæ appendices tumefieri, produci, atque reſerari poſſint, quantum meſtruatio poſtulaverit; contra vero amplificato nimis tumore, utriuſque utero compreſſo vaſa minime reſerantur, atque menſes deſiſtunt.

X. Nihilominus tunc temporis ab utero erumpit lymphaticum effluvium plus, minuſve uberrimum; vel ab interna uteri facie procedat, vel a tumore ipſo ſegni lympha turgenti.

XI. Quando hujuſmodi tumor ictui, contuſioni, vel caſui fit obnoxius, aut manu imperiti obſtetricantis, vel ſolventibus nimis emplaſtris laceſſitur; inflammatur ille facile, dolet tunc, aut in abſceſſum vergit, vel in durum ſcirrhum & carcinomatoſum degenerat.

§. IV.

Diagnoſis.

SArcoma cum ceteris hujus partis tumoribus confundi poteſt cum ſcirrho; videlicet, cyſtico tumore, ſteatomate, hydrope, timpanitide, aut geſtatione.

I. Diſtinguitur a ſcirrho majori æqualitate, atque rotunditate, minori vero duritie, atque reſiſtentia; verum ſarcoma eo minus ſanitatem pervertit.

II. Haud facile tamen a cyſtico tumore ſteatomatoſo præſertim diſtingui quit, cum extrinſecus eadem ſigna ambo præſeferant; at ea diſtinctio parvi facienda videtur, cum una ſit tum prognoſis, cum medendi ratio.

III. Hydropis vero reſpectu, tympanitidis, aut geſtationis eo mittimus lectorem, ubi ſpeciatim de iis morbis pertractabimus.

IV. Sarcomata vero vulvæ, aut vaginæ ſpeculi uteri auxilio facile conſpiciuntur; a vaginæ tamen deſcenſu interdum decipimur.

§. V.

§. V.

Prognoſis.

I. Hujuſmodi morbus incurabilis ſane eſt, idcirco neque ſperanda, neque tentanda erit reſolutio, cum tumor non a ſpiſſo congeſto humore ſolubile derivet, at a nimia partium nutritione, atque aucta craſſitudine, quam in partibus internis nefas erit amputare.

II. Etiamſi ſarcomata incurabilia ſint, ea tamen diu citra gravem noxam ægræ ferunt, cum neque dolorem, calorem, febrem, aliamve functionum læſionem afferant.

III. Temporis diuturnitate tamen nonnulla ſuperveniunt incommodà, pondus videlicet, quod in hypogaſtrio perſentiunt, properandi difficultas, quam tumoris volumen parit; lymphaticum effluvium acre interdum, quod diſtractio uteri gignit.

IV. Cum ſarcomata pinguedinis mollitiem ſervent, diu in hoc ſtatu ſine mutatione perſiſtunt, eoque magis tum ab externis læſionibus tuta ſint, ut raro grave damnum ipſa inferant.

V. Vidimus jam illas interdum inflammari, exulcerari, atque in ſcirrhum, vel cancrum degenerare, ideoque ea tunc aderunt pericula iis morbis propria, raro tamen hujuſmodi mutationes ſuccedunt.

VI. Si vagina, aut vulva, hoc corripiatur incommodo una cum affecto utero prognoſis eſt, in hoc caſu tamen ſupereſt ferro aut cauſtico tumorem reſcindi poſſe.

§. VI.

Curatio.

In incurabili morbo palliativa tantum methodus reliqua eſt; duplex tamen, *quæ* incrementum tumoris retardat, & *quæ* ſubſecutura levat incommoda.

I. Priorem indicationem implebimus ſanguinis circulum promovendo, ejus fluiditatem conſervando, ne copioſius tumorem, quam par eſt, cruor irrumpat, lymphæ vero nutrientis ſtatim a tumore removendo.

1. Hac de cauſa adhibentur ea circiter remedia, quæ in ſcirrhi palliativa curatione propoſuimus, videlicet decoctiones, & apozemat humectantia, atque diluentia, ſerum lactis depuratum vel ſucco imbutum, plantarum aperientium, aquæ mitiores ferrugineæ, idonea tempeſtate propinatæ, modo pedum œdema hydropem non prænunciet; verum lac aſininum recens dum ſanguis acer videtur.

2. Poſſunt etiam iis remediis aperientia nonnulla mitiora copulari, videlicet opiata aperientia, & leviter ſolventia, modo nimiam ſanguinis ſpiſſitudinem ſuſpicemur.

3. Tandem venæ ſectiones reiterare, & alvum ciere interdum convenit; ſi menſium ſuppreſſio præſens ſit, & ægræ juvenes ſint, brachium incidere ter, quaterve intra annum fas erit, totidemque purgare; verum tranſacto quinquageſimo quinto ætatis anno minus ſanguinis extrahere debemus in purgatione perſiſtendo.

II. Duo potiſſima hujus ſarcomatis incommoda ſunt. 1. Pondus, quod ægras infeſtat hypogaſtrium verſus. 2. Fœdum, atque continens acre quandoque profluvium.

Priori moleſtiæ medemur tenellis ventrem ſubcingendo fibulis ſi opus ſit connexis. Secundum vero implemus indicationem ægras hortando, ut ſæpe leviori de-

coctione Chærophyli cum aceto Lithargyrii ope dulcificato &c. partem abluant; verum injectiones non inutiles ſunt Althææ, modo nondum patulum ſit ulteri oſtium; identidem ſemibalnea conducunt tepentia.

III. Si diſrupto pedicino fluctuans ſacroma uteri orificio ſe præbeat, eam methodum adhibere neceſſe erit, quam in mole extractione infra proponemus; id tamen raro evenit.

IV. Sarcoma vaginæ, aut vulvæ ferro, modo tumor magnus appareat, vel cauſtico, deſtrui debet dummodo exiguus ſit, & feminas obeſas lædat.

V. In primo caſu valde olim implicabantur, dum vinci iniquo loco tumorem tentabant, at nuper tutiora inſtrumenta inventa ſunt, quibus facile id peragitur; etiamſi vinculum fruſtraneum videatur. nam vaſa ſanguinea eo confluentia vel pauca ſunt, vel exigua, ut amputationem abſque hæmorrhagiæ metu inſtitui ſinant; vel ſi levis ſanguinis jactura ſuperveniat, facile pulvinis aqua aluminoſa imbutis ſiſtenda; amputatione vero confecta ſuperſtes ulcus vulgari methodo pertractatur.

Si vero cauſtica amplectamur antequam uſuveniant vaginæ, atque vulvæ circumpoſitas partes emplaſtro mucilagineo, aut pulvinis aqua Biſmalvæ ſaturatis defendere oportebit, orificium præſertim uteri tuendo; his cautelis adhibitis cauſtica applicantur, qualia ſunt lapis cauſticus, trochiſci minii, aut ſublimati corroſivi in Codice Pariſienſi deſcripti, aut filamenta *de Vigo* jugiter ſumma cautione atque cunctatione incedendo.

CAPUT VII.

De uteri Cancro.

§. I.

Deſcriptio.

CAncer generice, ut in Tractatu *Tumorum*, & *Ulcerum* demonſtravimus, Tumor eſt durus, reſiſtens, dolens, atque lancinans; vel ut melius dicam, Cancer ſcirrhus eſt dolore abreptus, quare facile erit cancri uterini naturam cognoſcere, cum a ceteris ſolo poſitu differat. Ut cauſas cognoſcamus, per quas ſcirrhus in cancrum degenerat, ſedulo mutationes examinare oportebit, quæ in ſcirrho eveniunt.

1. Scirrhus facile dolore, & lancinationibus plus, minuſve moleſtis corripitur, præſertim cum ruditer contrectetur.

2. Tumet ille, atque celerius creſcit, ingrandeſcit, formam immutat; & inæqualiter acuminatus, & anguloſus fit.

3. Eorum angulorum nonnulli in diem acutiores fiunt, & membrana, quæ illos obtegit, tenditur magis, magiſque levigata apparet, atque rubra.

4. Hujuſmodi mutationes in externis ſcirrhis facile oculis ſubjiciuntur; innoteſcunt pariter in uteri cancro manum hypogaſtrio apponendo, aut digitum in vaginam intromittendo, cujus ope colli uteri ſtatum, atque continuos ſcirrhi progreſſus diſtingui quimus.

5. Sunt hi anguli, qui majori dolore perciti, atque lancinationibus ibi centrum morbi exiſtere oſtendunt.

In hoc caſu uteri cancer, æque ii ac ceterarum partium cancri *confirmati* dicuntur, & *occulti*.

6. Tandem hujuſmodi membrana poſtquam maximam tenſionem paſſa erit, diſrumpitur, ut ulcus hinc ortum centrum uſque cancri verſus pervadat, a quo ichoroſa ſeroſa erit continenter fluxura.

7. Tunc

7. Tunc cancri margines ſine cauſa manifeſta aperiuntur magnopere, ut cancer *apertus* apelletur.

8. Dolores, atque lancinationes quotidie augentur, ulcuſque magis panditur, ut cancer pro vero pure fœdiſſimam ſaniem effundat.

9. Ex cancri limine carunculæ molles ſpongioſæ continenter germinant, quæ cito putreſcunt, atque in dies regenerantur.

10. Partes utero adhærentes, aut propinquæ cancri phœnomenis participes fiunt; vagina enim, per quam latex ille defluit, laceſſitur, inflammatur, aut ulcere deturpatur; pro diverſo cancri poſitu dolores renibus inteſtinis, aut lateribus reſpondent; interdum dejectiones, aut mictus difficulter, & dolenter fiunt, modo inflammatio recto, aut veſicæ communicetur.

11. Tandem iis morbis omnibus febris lenta ſuperadditur, cujus exacerbationes plus, minuſve crebræ fiunt, aut diutinæ pro diverſa cancri magnitudine, humoris effluentis acrimonia, aut dolore plus, minuſve intenſo, vel ſanguinis vitio plus, minuſve deleterio.

Ut ſuperius *Capite* V. obſervavimus, vaginam, atque vulvam ſimilibus morbis fœdari poſſe, neminem latebit.

§. II.

Differentiæ.

1. Cancer *incipiens* eſt quando ſcirrhus obtuſum dolorem afferre, atque lancinantem incipit citra tumoris augmentum; *confirmatus* dicitur quando crebrius laniat, aut in dies deformis fit.

2. Uterque *occultus* appellatur, antequam diſrumpatur, *patulus* vero, ſeu *ulceroſus*, modo reſerari incipiat.

8. *Malignus* tumor eſt dum acerbiſſimis doloribus, ſæviſque copulatur, phœnomenis; *benignus* cum ea mitiora appareant.

4. Tandem cancer, aut a cauſa *interna* procedit, a vitio nempe ſanguinis abſque ulla vel leviori tantum externa labe; aut ab *eſterna cauſa* derivat, modo pulſus compreſſus, aut contuſus fuerit tumor.

§. III.

Cauſæ.

Communis eſt ſententia cancrum, generari ab acri humore, & corrodente, qui ſcirrhum exulcerat, & in hoc morbo obvia inducit ſymptomata; verum haud facile eſt tali pacto originem hujus laticis explicare in tumore duro, compacto, indoleſcente, eoque difficilius eſt explanare, etiam conceſſo illo latitante humore, qua ratione intumeſcat, aut formam variet ſcirrhus dum in cancrum degenerat; tandem perdifficillimum erit in ea ſententia obverſionem labiorum cancri, & citiſſimam, citra cauſam manifeſtam, exulcerationem demonſtrare.

Propoſui circa hanc rem in Tractatu *Tumorum*, & *Ulcerum* cogitatum meum; verum, ut clarius incedamus, animadvertere oportet:

1. Scirrhum uteri tumorem eſſe ſenſim, ſenſimque genitum a congeſtione lymphæ, aut lactis uterini ſpiſſi, quaſſati & indurati, qui valent durum reſiſtentem tumorem gignere.

2. Hunc ita coagmentatum inæqualiter tumefieri, extendi, rareſcere prout plus, minuſve premitur, quod intumeſcentia, & inæqualitas tumoris confirmant.

3. Membranam cancrum obtegentem, corpuſque ſcirrhi, niſi a ſumma diſtractione, atque expanſione diſrumpi ubi præſertim maxima ſit diſtenſio.

4. Cancrum ſemel apertum a ſola rareſcentiæ, & diſtractionis continuatione magis magiſque reſerari.

His perpenſis facile innoteſcet materiam ſcirrhoſam ſummum gradum rareſcentiæ ſuſcipere potis eſſe, huic enim tribui debere intumeſcentiam, quæ interdum in ſcirrho conſpicitur, per quam in cancrum immutatur.

Hæc facultas ſcirrhoſæ materiei tributa pluribus exemplis confirmatur; hac de cauſa Gypſum tumet una, & indureſcit, dum aqua emollitur; limatura chalybis urina & Albio remixta duram maſſam efformat tumentem; verum metallorum atque ſalium ſolutiones vegetantium more arbores luculentiſſimas efformant.

Hoc principio ſancito ſupereſt tantum pro metamorphoſeos explicatione cauſam in ſcirrho detegere illius rareſcentiæ, quæ cancrum inducit.

Hujuſmodi cauſa niſi caloris in ſcirrho lactitantis augmentum eſſe poteſt, quod ſcirrhoſam materiam expandit; id triplici ratione oriri poteſt, dum ſcirrhus cunctanter in cancrum degenerat.

Primo id evenit quando naturalis ſanguinis calor augetur febris cauſa, vel ciborum acrium ſalſugineorum, aut calefacientium abuſu, vel pervigilii, exercitii nimii, aut animi pathematum ratiune.

Secundo quando calor in ſcirrhum intenditur a ſpecialiori cauſa; videlicet uteri inflammatione, abuſu ſolventium remediorum, coitu nimio, geſtatione, laborioſo partu, aut abortu.

Tertio tandem irruptio nimia in ſcirrho ſanguinis univerſalis plethoræ & febris ergo, vel crebra nimis contrectatione tumoris, balneorum calefacientium abuſu, irritatione albi fluoris, compreſſione tandem, aut ictu.

§. IV.

Symptomata.

I. Scirrhus in cancrum degenerans, quam maxime ingrandeſcit rareſcentiæ ergo quam alterutra cauſarum propoſitarum producit.

II. Hujuſmodi expanſio non una eſt in omni ſcirrhi ambitu, vel quod materia undique haud diſpoſita ſit, vel inæqualiter rareſcenti cauſæ obnoxia, qua de cauſa protuberantiæ, & anguli producuntur, qui ſcirrhum deformant.

III. Eadem ſcirrhoſæ maſſæ rareſcentia nervorum ibi reptantium doloroſam diſtractionem inducere valet, quæ lancinantes cruciatus gignit in incipienti, aut confirmato cancro obvios, qui totidem ſigna ſunt cancri pathognomonica.

IV. Ii vero dolores, qui affectam partem laniant, propinquis partibus nerveorum propagatione communicantur.

V. Demum a maxima materiei illius expanſione membrana cancrum obtegens, & cancer ipſe diſcerpuntur, eam partem verſus, quæ magis tumet.

VI. Eadem de cauſa os cancri, quod initio exiguum erat labiorum intumeſcentiæ ergo ampliatur valde, atque in dies extrorſum obvertitur.

VII. Simili ratione caro fungoſa continenter ab ulceris ore germinat, vegetabilium more increſcens, quæ cito decidit a novis ejuſdem cenſus carunculis reſtituta.

VIII. Margines cancri tument, dilatantur, conſcinduntur, itemque ibi reptantia ſanguinea vaſa arterioſa, aut venoſa, diſrumpunt, ut hæmorrhagias inducant plus, minuſve uberrimas pro conciſi vaſis magnitudine, aut genere diverſo, arterioſo, aut venoſo.

IX. A cancro humor erumpens primum lymphaticus eſt, verum ichoroſus fit, tan-

tandem ſanioſus, & purulentus evadit, male olet plerumque carnis ſpongioſæ ergo ipſo remixtæ.

X. Cancro vero progrediente febris lenta adoritur cum pervigilio, depravato guſtu atque maraſmo ſuperventuro; tandem modo ægræ dolore non deficiant anaſarca plerumque, aut hydrope abdominis pereunt:

XI. Partes omnes propinquæ labefactantur plus, minuſve pro diverſo morbi in utero poſitu, interdum enim dolor recto communicatus, aut veſicæ intumeſcentiam inducit.

§. V.

Diagnoſis.

I. Cancri exiſtentia experientiis comprobatur innumeris.

1. Succedit quotidie cancer manifeſto ſcirrho, eumque dolores prænunciant lancinantes, qui comitantur intumeſcentiam cancrum ſpecifice indicantem.

2. Dignoſcitur vero a mutationibus ſcirrhoſo cancro ſupervenientibus, quæ tunc eveniunt quando tumor ille in cancrum erit deſiturus.

3. Certiores magis fieri poſſumus modo cancer, ut crebrius accidit, collum uteri deturpet, nam tactu cancri inæqualitatem, & variationes inſpici poſſunt.

II. Facile pariter erit, modo cancri exiſtentia innoteſcat, ſtatus diverſos morbi detegere; etenim cum omne deſit effluvium, cancrum occultum eſſe fateberis; verum ſi dolores lancinantes vehementiores ſint, atque pertinaciores illum confirmatum eſſe credes; & contra, ſi ii mitiores appareant, tandem illum diſruptum eſſe cognoveris, modo latex ſucceſſive erumpat, lymphaticus, ichoroſus, ſanioſus, purulentus, atque male olens.

III. Valde intererit ad prognoſim inſtituendam benignum cancrum a maligno diſtinguere, quod facile tamen obtinebitur, cancer enim benignus erit, quando mitis dolor parum, vel raro ſaniet, fluens materies ſeroſa, & inodora exiſtat, quod indicat nondum vel ſegniter rareſcere, verum parum, aut nihil ſpongioſæ carnis germinare, quæ ſeroſitatem illam valeant deturpare.

Cancer vero malignus graviſſimo dolore vix tolerabile, viviſque, & crebris lancinationibus corripitur, materies vero ex utero erumpens fœdiſſimo odore pollet, quod indicat tumoris volumen diſtendi, atque deformari continuo, verum latitantem fomitem a fungoſa carne in cancro uberius germinanti valde corrumpi.

IV. Tandem perſpectis iis, quæ cancri generationem, aut antecedentem ægræ conditionem, aut ſanguinis conſtitutionem reſpiciunt, facile judicare poterimus, an accidentali cauſæ, & externæ, viro præſertim celtico, an ſanguinis labi ſit tribuendus.

§. VI.

Prognoſis.

Generice omnis cancer incurabilis eſt, modo reſcindi nequeat; nam minime vulgares rationes impendi poſſunt, quæ ceteros tumores ſanant, reſolutionem nempe, aut curationem excitando, ex quibus conſequitur uteri cancrum prorſus inſanabilem eſſe, quia amputari nefas eſt.

Verum iis ſini deteriores fiunt valde celerius, nam in parte locati ſunt calida

lida magis, & vaſis ſanguinis repleta, quæ cancri materiam calefaciendo tumorem cito tumefaciunt, atque expandunt, morbumque magnopere intendunt.

Non deſunt tamen exempla cancri a venerea cauſa nati frictionibus hydrargyri ſanati, at hæc rara ſunt, neque magni facienda, modo cancer exiguus, incipiens, atque benignus, de cetero bene conſtitutam mulierem non aggrediatur.

Noſtrum erit igitur uteri cancro palliativa medela tantum conſulere; ideoque prognoſis eo collineat, ut cognoſcamus circumſtantias, in quibus facilius morbi progreſſus retardare atque mitigare poterimus.

Sperare enim licebit eas indicationes impleri poſſe, modo cancer adhuc integer ſit, parum doleat, parumque figura mutatus ſit, atque benignam naturam præſeferat, verum ægram de cetero bene conſtitutam, & menſibus donatam adoriatur.

Contra vero merito deſperabimus, ſi cancer ulceroſus valde ſit, ut ægræ mortem minetur, quod pertimeſcendum videtur, quando dolor affectam partem valee laniat, cancer deformior fiat, hæmorrhagias inducat, malignum ſe præferat, tandem infirmas, aut menſibus orbatas mulieres invadat.

§. VII.

Curatio.

CUratio cancri palliativa, quam ſolummodo amplecti licebit quatuor potiſſimum indicationes complectitur, videlicet

I. Imminuere, & retardare internis remediis morbi progreſſus.

II. Huic externis pariter remediis conſulere.

III. Dolorum ſedare vehementiam.

IV. Hæmorrhagias tandem ſiſtere ſuperventuras.

I. Primæ enim indicationi ſatisfaciemus ſubſequentium internorum remediorum uſu.

1. Regimen exactum præſcribendo juſculis tantum, farinaceis præſertim ægras nutriendo; uſum carnium, vini intercidendo, vel exiguam copiam ipſis permittendo, omne corporis exercitium prohibendo; iterum ut diu lectulo, aut biſellio decumbant curando, neve nutrientes nimis cibos, qui multum ſanguinis gignunt, ipſæ comedant.

2. Præter ea auxilia ſollicitos eſſe debemus, ut ægræ identidem alternis menſibus, aut tertio menſe brachium incidere ſinant, præſertim ſi imperfecte menſtruis gaudeant, aut orbatæ ſint; hujuſmodi auxilium in hoc caſu inter efficaciora recenſetur.

3. Ægras pariter purgare neceſſe erit lenientibus tamen, quæ neque calefaciant, aut laceſſant: id præſtant Polipodius, Tamarindus, Caſſia, Rheum, aut Sal vegetabile.

4. Neque prætereundum erit, decoctiones temperantes, & refrigerantes exhibere, ſerum depuratum, & chalybeatum, lac aſininum, aut caprinum; vel vaccinum etiam idonea tempeſtate propinatum ſemel, vel bis in die; aut pro integro nutrimento, ſi ſtomachus ferat.

5. Necerum erit æſtivo tempore aquas ferrugineas mitiores exhibere quales ſunt ille *de Forges* modica doſi, ſed continuo ſumptæ.

II. Utilitet ſecundam indicationem implemus ſequentibus externis remediis, videlicet

1. Balnea, & ſemibalnea ex aqua fluviatili tepenti, vel ex decoctione Malvæ, Althææ, Brancæ urcinæ &c., in iis ægras integram ſaltem horam detinendo. His

His auxiliis addi poterit ſeri lactis, aut aquarum mineralium portatio; in primo caſu balnea, atque ſemibalnea mane jejuno ſtomacho uſuveniunt; ex lavacro exeuntibus ſerum aut lac exhibeatur, in altero caſu aquæ minerales mane propinantur, balnea vero ante prandium præſcribuntur.

2. Uteri injectiones ex ſucco, aut decoctione *Solani Morellæ dicti* patrantur aut *Sedi;* Conteruntur hujuſmodi ſucci, aut decoctiones in plumbeo mortario, uſque dum liquor denſus, ſpiſſuſque evadat; imo additur interdum parum Saturni combuſti, modo dolores vividiores ſint, vel ſaccharum Saturni exigua doſi iis remiſcetur,

3. Injectari pariter poſſunt decoctiones ranarum viridium, cancrorum fluviatilium, aut marinorum, limacum, vel lumbricorum terreſtrium in plumbeo mortario contritorum, iis copulando nonnihil pulveris eorum animalium, vel etiam buffonum exſiccatorum, modo vero dolor ſæviſſimus fiat: trochiſci addi poterunt albi Rhaſis, aut ſyrupus Papaveris albi, vel Diacodii.

III. Unica via dolores efficaciter compeſcendi videtur narcotica exhibere, quæ numquam ægris interdicere debemus, modo ipſæ non abutantur; tutiora igitur hujus ſenſus remedia, atque in noſtro caſu magis idonca ea ſunt, quæ opium ſuppeditat; videlicet Laudanum ſolidum, aut aqua ſolutum, Tinctura Anodyna Sydenhamii juxta Codicem Pariſinum, vel Italicum Bononienſem parata; ea non ſolum intrinſecus exhibentur, verum injectionibus ſuperius allatis permiſcentur; doſis vero eorum remediorum pro cruciatuum vehementia, aut ægrotantium viribus variare ſolet; ſalubrius tamen eſt crebro ea remedia exigua doſi exhibere, quam raro largiori propinare.

IV. In uteri cancro hæmorrhagias ſiſtimus frequenter ſuperventuras pro potu quotidiano ptiſanam exhibendo ex decoctione confecta radicis Conſolidæ majoris guttis 57. aqua Rhabelli ad gratam aciditatem remixta, quæ vero dulcificatur cum uncia ſyrupi Capillarium, aut Ribeſiorum; at cum hujuſmodi remedium ſegniter agat, ſtatim uterum injectare fas erit ſucco Plantaginis, aut Burſæ paſtoris almen, vel thus addendo; vel ſalubrius ptiſanam adhibendo ſupra deſcriptam.

Animadvertendum eſt, cancrum uteri orificium, vaginam, aut vulvam lædentem temperare, ejuſque phœnomena compeſcere externis poſſe remediis in externo cancro uſitatioribus; hujuſmodi ſunt pulvini illa decoctione imbuti, & vulgaribus abſorbentibus, conſperſi; videlicet plumbo Mercurio copulato, pulvis enim uſuvenit anatina parte remixtus pulveris Antimonii crudi, aut antiethico Poterii vel utilius fomenta ex foliis Cicutæ ſacculo incluſis, & aqua fortis proſunt, quæ affectæ parti applicantur, ut infra ſpeciali capite oſtendemus.

Interdum ſpongioſas carnes rodere neceſſe erit pulvinos balſamo chalybis ſaturatos applicando in Tractato *Tumorum, & Ulcerum,* (*a*) indicato, quod ſæpius abducendo quantum opus requirat edulcorari poterit, identidem vitulinæ carnis fruſtula applicantur, quæ dolorem, atque inflammationem leniant; animadvertendum tamen eſt, hujuſmodi topica filo necti cera inducto, ut facile extrahi poſſint.

Tandem ſi indicia, aut validæ conjecturæ habeantur quæ cancrum uteri venereum prænuncient, ſtatim ægras mercurialibus frictionibus aggredi debemus, poſtquam vulgari methodo diſpoſitæ fuerint; hic tamen cautelas reiterare fas erit, quas in venereis uteri ulceribus enunciavimus, videlicet exigua doſi & longis interpoſitis intervallis frictiones inſtituere, ne ſanguinem nimis commo-

(*a*) *Tomo II. p.* 163. 164.

moveant, aut materiæ carcinomatoſæ intumeſcentiam, atque expanſionem augeant, neve morbi progreſſu intendant.

Remedia propoſita adverſus uteri Cancrum.

I. In cancro æque ac in uteri ſcirrho, atque ulcere mercuriales frictiones adhibitæ fuerunt æquo tamen fruſtraneo eventu; modo cancer a celtica lue dependeat, ſæpe hujuſmodi remedia levamen afferunt etiamſi neque conſtantem, neve completam valetudinem inducant; at ſi nullum optimum effectum præſtent dum cancer celtica lue expers, a vulgari cauſa procedit, ſuperius Caput IV. & V. pervolvere oportebit ubi de *Ulcere & Scirrho uteri* diſſeruimus.

Dominus Andreas Elias Buchnerus cum perperam perſcrutatus ſit indolem, & cauſas cancri, ideo deceptus eſt in ſuis theſibus *De Medicamentorum Mercurialium uſu in cancro*, quas *Halæ* defendit 1755. in quibus jactat ſpecificam virtutem *Mercurialium præparationum, & Mercurii dulcis*; præſertim adverſus fœdum Cancrum.

Suſpicor ſimul ſe valde decepiſſe Dominum Philippum Fridericum Gmelin Tubingæ Medicinæ Profeſſorem, qui hanc ſententiam amplexus eſt, atque nimis obſervationem extollit Antonii Ribeirii Sanchez, a generali propoſitione decerptam ejuſdem Diſſertationis, quæ ſub Titulo legitur: *Specifica methodus recentior cancrum curandi* Tubingæ impreſſa Anno 1757., & ab Hallero inſerta in collectione theſium medicinalium Tom. VI.

D. Sanchez magni nominis Medicus, qui ſumma cum laude in Moſcovia medicinam exercuit, communicavit Fratri D. Gmelini cancrum narium ulceratum ad os uſque penetrantem medicum quemdam ſuaſu ſuo curaſſe ea methodo, quam ipſe impendere ſolebat; hujuſmodi medendi ratio eſt grana quatuor ſublimati corroſivi in unciis 48. ſolvere ſpiritus vini; verum ejuſdem ſolutionis mane, & veſpere unciam ægris exhibendo; omitto remedia nonnulla, externa fomenta videlicet, atque linimenta, quibus uſus eſt, ſed morbum moderari, non tollere ipſa potis ſunt.

Eam obſervationem non contendo, verum autumo cancrum ſublimato corroſivo ſanatum venereum fuiſſe; Sanchez ipſe animadvertit ſublimatum corroſivum ita adhibitum luem veneream ſubigere; immo aſſerit ſæpiſſime idem expertum eſſe; nil mirum ergo ſi cancrum ſubjiciat a celtica lue derivatum; at Dominus Gmelinus falſo deduxit ſublimatum corroſivum in omni cancro ſpecificum remedium præſtare; obſervationes enim Domini Storck, de quibus infra locuturi erimus, plane oſtenderunt caſu 1., & 9. hujus remedii inefficaciam in cancro a vulgari cauſa orto.

Ceterum Domini Sanchez remedium idem eſt, quod Boerrhaavius (*a*) in Chemiæ ſuis elementis deſcripſit, atque Celeberrimus Vanſvieten Publici Juris fecit.

Hoc remedium Pariſienſes jamdudum cognoverant, ut in animadverſionibus enunciavi, quæ in tertia Editione Tractatus *Morborum* (*b*) *Venereorum* reperiuntur: verum, quod mirum eſt, illud jampridem Siberii cognoſcebant; extat enim in Bibliotheca Germanica, Hiſtoria morum Oſtiakorum, quam tradidit Joannes Bernardus Muller Navarchus Svecus, qui dum per longum tempus in iis regionibus apud Oſtiackes Syberiæ populos captivus fuit, obſervavit adverſus luem veneream Oſtiackis moris eſſe comedere ſublimatum corroſivum in brodio avenæ poſtquam quotidie aceti poculum hauſerant.

Concludimus igitur, Mercurium, ejuſdemque præparationes mederi interdum vene-

(*a*) Chem. *Part. III. Proceſſu* CXCVIII. (*b*) *Pag.* CXXVI.

venereo cancro, non vero ceteros ab aliis cauſis ortos; verum etſi hujuſmodi remedium adhibere conveniat, frictiones potius, quam per os aſſumptionem commendarem, *vid. Lib. II. Cap. IV. §. IV.* ubi ſublimatum corroſivum exhibere valde periculoſum eſſe, & futile plerumque demonſtravi.

II. Hactenus expoſita ſatis confirmant nos ſpecificis adverſum cancrum remediis carere, niſi hujus ſenſus ſit cancri amputatio, quæ in uteri cancro inſtitui nefas eſt; nihilominus magnopere medicos commendabo, qui omne ſtudium impendunt, & neceſſaria experimenta inſtituunt ad hujuſmodi auxilia inveſtiganda; ſane quæ ipſi propoſuerunt ex plantis valde ſuſpectis, aut nocuis decerpta ſunt; at modo veri ſint optimi effectus, quos experti ſunt, eorum obſervationes perſcrutari non inutile cenſeo.

Inter has plantas, quæ primum noſtræ indagini ſeſe offert eſt *Bella-donna*, alias *ſolanum furioſum*, aut *ſolanum melanoſeraſos*; quem Lineus *atropa* appellat.

Uſque adhuc pro venenoſa habuerunt hujuſmodi plantam, cujus nocuos effectus teſtantur Joannes (*c*) Schenkius, qui plurium medicorum circa eam opiniones congeſſit; verum Simon de (*d*) Paullis, Jannis Jacobus (*e*) VVepſferus, Amatus (*f*) Luſitanus, & nuper Joannes Sebaſtianus, atque Albretius (*g*) Profeſſor Coburgi qui de ea pertractarunt.

Nihilo tamen minus D. Michael Albertus Medicinæ Profeſſor contrarium defendere curavit Halæ ann. 1739. in Thæſibus *De Bella-donna tamquam ſpecifica in cancro præſertim occulto*; nondum eæ ad manus pervenerunt meas, quare me latet quibus rationibus ſententiam ſuſtineat; honorem tamen primus ſibi promeritus eſt oſtendiſſe *Bella-donnam* intus ſumptam adverſus cancrum, utilem evadere: nam jamdudum (*h*) extrinſecus ad dolorem mitigandum tum foliis, cum ſucco depurato utebantur.

Dominus Tiberius Lambergenus Groningæ Profeſſor ſecundus fuit, qui *Bella-donnam* illuſtravit; feminam enim anno 1745. præ omnibus habuit, quam vulgari ratione curandi incaſſum tentata amicorum (*i*) conſilio *Bella-donnam* experiri auſus eſt, cum a pluribus medicis ejus virtutem prædicari audiret ad ſcirrhos ſubjiciendos; verum cum de remedii nocua facultate valde dubitaret, primum in ſe ipſo periculum facere maluit, poſtquam de ejuſdem innocua virtute certior factus ægrotanti exhibuit; hujus rei veram hiſtoriam tradidit in Prælectione inaugurali habita, & impreſſa Groningæ anno 1754. ſub titulo *Lectio inaugurabilis ſiſtens Ephemeridem perſanati Carcinomatis*, quam D. Hallerus inſeruit in ſua collectione Theſium Medicinalium *Tomo II.* ejuſdem ſpecimen vobis oſtendam.

Infundit ipſe per integram noctem lenioris ignis auxilio ſcrupulum foliorum exſiccatorum *Bella-donnæ* in ea aquæ quantitate, quæ decem æquet cyathos, unum quotidie exhibuit atque doſim augendo ad unum & ſemis, vel duplex poculum hujuſmodi infuſionis dimidiatim mane, & veſpere propinabat; diu tamen in hujus remedii uſu non perſtitit phœnomenis ergo ſupervenientibus perterritus.

Eam methodum quinque menſes perſecutus eſt, videlicet a die 24. Januarii 1745. uſque ad diem 11. Junii ejuſdem anni, quo tempore ægra ſumpſerat infuſum ſex drachmarum Solani allata ratione paratum.

Plu-

(*c*) Lib. VII. *De Venenis ex plantis Obſerv.* 164.
(*d*) *In quadripartito Botanico.*
(*e*) In Tractatu *de Cicuta aquatica.*
(*f*) *Cent. IV. Curat.* 98.
(*g*) In Commerc. Noribergico. *An.* 1731. *p.* 332. & *An.* 1752. *p.* 121.
(*h*) Vid. Gendron, *Reckerches ſur la Cancre p.* 137.
(*i*) Frideric. VVinter, profeſſor Medicinæ Leidenſis.

Plures tamen variationes obſervarunt, ſæpe enim morbus in deterius vergit, antequam ægra perfecte convaleſceret; uſus hujus remedii nullum detrimentum attulit præter levem vertiginem, aliqualem temulentiam, atque oris, & gutturis ſiccitatem, quæ niſi theiformis potum ſinebat, at ea phœnomena tandem deſiſtebant, etiamſi paullo poſt a nova remedii aſſumptione reverterentur, ut numquam perfecte aſſueſceret, quod Medico obſtitit quin doſim augeret.

Quamquam facultas ſanandi cancrum a D. Lambergenio *Bella-donnæ* tributa unica videatur experientia ſuffulta, attamen plures noſtratum excitavit, ut periculum facerent; me vero effectus latet, at eorum ſilentium ſuadet illuſos fuiſſe, fortaſſis non decepti eſſent ſi Buchenerii ſuperius recenſitam theſim perſcrutati fuiſſent, ubi ille, qui anno a Lambergenio ſcripſit, oſtendit Solanum ab aliis laudatum nondum perfecte, aut tuto adverſus cancrum facere, ait enim (*k*) *Neque a multis ad hos uſus eximie laudatum Solanum furioſum ſecure, atque certo furioſum Carcinoma ſemper refrænavit.*

In iis circumſtantiis prudentia docet a ſimili remedio abſtinendum, uſque dum experientia optimos confirmet effectus, eoque magis cum Lambergenius ipſe obſervaſſet moleſta incommoda, etiamſi leviora eveniſſe, quæ tamen viſum interdum delebant.

Autumo idem judicari debere de *Phytolaca* Turneforti *Solanum magnum Virginianum Parkinſoni* dicta, quam non (*l*) inutiliter experti ſunt in nova provincia Eboracenſi Americæ, & quam defendit Trillerus etiam anno 1752. Vitembergæ in ſuis theſibus, *De nociva cancri inveterati extirpatione demonſtrata.*

III. Aliam nuperrime plantam propoſuerunt adverſus eumdem morbum, *Cicutam* (*m*) nempe terreſtrem ab aquatica prorſus diverſam.

Hanc pariter pro veneno olim Medici omnes habuerunt, ut de *Bella-donnæ* animadvertimus; nihiloſecius (*n*) Hippocrates eam intus exhibebat in uteri morbis, Galenus (*o*) vero ejuſdem ſemina, atque folia decoctionibus, & compoſitionibus permiſcebat, quas laudare, atque præſcribere pluries conſuevit.

Præ (*p*) aliis quamdam compoſitionem extollunt Apollodoro tributam, quam Heraclides Tarentinus ad dolores, & vapores hyſtericos mitigandos commendabat, eam non exigua doſi intrabat ſuccus Cicutæ, cujus formulam hic oſtendam.

R. *Succi Cicutæ, Hyoſcyami ana.* ℥ *iv.*
Caſtorei, Piperis albi. Coſti, Myrrhæ, Opii, ana. ℥ *j.*
Hæc levigata, additis duobus paſſi Cyathis in Sole commiſcebis, donec inſpiſſentur, & inde confinges.
Paſtillos ad Fabæ Græcæ magnitudinem. Dato cum Vini Cyathis duobus.

Rajus vero ſuo tempore aſſerit Medicum quemdam (*q*) Anglum nomine *Bovvle* in febribus malignis, & quartanis Cicutæ radicem ad ſcrupulum ſub pulveris ſpecie exhibuiſſe, dein Paulus Reneamus Medicus Bleſenſis in ſuis (*r*) Obſervationibus tradidit in jecoris obſtructione infuſum vinoſum exhibuiſſe,

(*k*) §. XXXIII. (*l*) Rudolph. Auguſtin. Vogel, *in der Mediciniſchen Bibliotheck, Eſterbande p.* 849.

(*m*) Celſus *De re medica Lib. VI. Cap.* 27. Dioſcorides *De re medica Lib. IV. Cap.* 79. & *Alexiphar. Cap.* 11. Galenus, *De ſimplic. Medicam. Faculta. Lib. III. Cap.* 18. Aetius, *Tetrab. IV. Serm. I. Cap.* 63. Paulus Ægineta, Lib. V. Cap. 41. Et caterva recentiorum Medicorum.

(*n*) *De natura Muliebri.*

(*o*) De compoſit. medicamentor. ſecundum locos *Lib. VII. Cap.* 2. 3. 5. *Lib. IX. Cap.* 4. & *Lib. X. Cap. I.* (*p*) De antidotis, *Lib. II. Cap.* 13.

(*q*) Hiſtor. Plantar. *Lib. IX. Cap.* 8. (*r*) *Obſervat.* 3. & 4.

ſe, primum cum duplici ſcrupulo Cicutæ radicis exſiccatæ, verum drachma duplici ſummo cum fructu.

At hujuſmodi auctoritates pauci pendebant; adhuc enim ſubſiſtebat Cicutæ contemptus; niſi celeberrimus Storck Vindobonæ Medicus animoſe primum in ſeipſo, verum in ægrotantibus Cicutam (ſ) expertus eſſet, ut in ſua prima diſſertatione oſtendit ſub Titulo *Libellus, quo demonſtratur Cicutam, non ſolum uſu interno tutiſſime exhiberi, ſed & eſſe remedium valde utile in multis morbis, qui hucuſque curatu impoſſibiles dicebantur*.

At quod ei ſummam laudem præſtitit prudens regimen fuit, quo in difficillimis circumſtantiis eam caute ſubminiſtravit; diligentia, qua experimentorum effectus clariſſimis medicis communicavit; ſed in primis candor, quo compoſitionem, atque ejuſdem eventus publici juris fecit.

Nihil eſt ea compoſitione ſimplicius; Cicuta enim recenter collecta ſuccum exprimit, & perbalneum arenæ lenſim, ſenſimque inſpiſſat, ne comburatur cavendo; modo extracti conſiſtentiam æquaverit ſuccus, ab igne removetur, & eo copulando pulverem foliorum exſiccatorum ejuſdem ſtirpis pilulas efformat, quæ duplicem granum pendeant.

Idem auctor primum unicam earum pilularum mane jejuno ſtomacho exhibere, alteram veſpere tentavit; verum doſim auxit: in die pilularum numerum augendo, initio effectus vix ſenſibiles obtinuit, in progreſſu vero magis patebant; interdum a duplici menſe convaluerunt ægræ, interdum poſt majus temporis ſpatium pro diverſo morbi gradu, & ægrotantium conſtitutione.

Ejuſdem ſententia publico communicata non unica fulcitur obſervatione, ſed pluribus, quas ipſe reiteravit, experientiis in diverſis ægrorum circumſtantiis; in illis videlicet, qui cancro occulto, aut aperto laborabant ſinum, aut vultum aggrediente, iis, qui glandulis, aut ſtrumis ſcirrhoſis, vel Epatis ſcirrhis cruciabantur, & quod mirum eſt, effuſione correpti erant hoc remedium valetudinem donavit, leniter reſolvendo, vel in cancro laudabilem ſuppurationem excitando; tentamina fecit coram medicis celeberrimis, qui eventus teſtes candidi fuerunt; tandem medicis pluribus, & Chirurgis idem communicavit, ut experientias in propriis ægrotantibus renovarent, quarum optimos effectus plane recognoverunt; hæc omnia in ſuperius allata diſſertatione extant, quæ animoſe, libenterque fatetur; quot enim myſterium facerent de hoc præſtantiſſimo remedio neve publici juris facere reſpuerent nulla ratione habita ægrotantium utilitati, qui eorum ſilentio ſanitatem recuperare impedirentur.

Quare nil mirum ſi candidæ D. Storcki obſervationes multum ſpei induxerant iis, qui primum ipſius libellum pervolverunt; ſtatim ac hujus remedii ſpecimen apparuit, ipſum tentare plures ſategerunt; uſque adhuc tamen eventus conceptæ ſpei perfecte non reſpondit, dolores tamen cancri valde mitigabantur, & volumen tumoris imminuebatur, quod majoris utilitatis ſpem ſuſtinebat; magni faciendum enim eſt, neminem gravi ullo incommodo correptum fuiſſe ab ejuſdem remedii ad triginta uſque grana quotidie propinati uſu.

Quamobrem nedum Cicutæ exhibitionem contemno Storcki methodo propinatæ, putarem enim prudentis medici eſſe in propoſitis caſibus poſſe, atque debere remedium experiri; ſimili enim ratione recentioribus remediis, ac novis conſuetudinibus frui debemus; videlicet neque primi amplecti, neque poſtremos eſſe, qui eorum confirmatis utilitatibus gaudere velimus.

Præ-

(ſ) Suaſu fortaſſe D. Gmelini, qui in Præfatione theſium, quas an. 1757. de cancro defendere curavit, ut ſupra enunciavimus, indicavit fructuoſe cum intrinſecus tum extrinſecus Cicutam exhibuiſſe; Sic ait ille, *Cicuta Atropa . . . interne & externe applicata multum levaminis attulerunt*.

Præter eas enunciatas pilulas alia nonnulla Auctor remedia a Cicuta deſumpſit intuſque exhibuit 1. videlicet pulverem radicis ejuſdem plantæ Gummi Tragachanta in pilulas ſubactas, ejuſdem tamen uſus majorem poſtulat diligentiam, cum radix foliis efficacior experiatur. 2. Extractum ex ſaturatiori decoctione confectum foliorum Cicutæ, quod minus agit, quam ſuccus ille, at largiori doſi exhiberi quit; adhibentur etiam folia extrinſecus partem ſavendo in cancro præſertim aperto, aut dolente; ſacculus itaque iis repletur foliis conciſis cancro tepidus apponendus poſtquam leviter expreſſus fuerit; alvum etiam purgantibus ciet, modo opus requirat.

Reliquum vero eſt Cicutæ virtutem in omni regione non unam eſſe; certum enim eſt majori virtute pollere in calidis regionibus, ut in Occitania, & Provincia, quam apud nos; in Italia vero, & Hiſpania, quam in Gallia, quod animadvertere debent ii, qui in iis Regionibus eam præſcribere vellent, at cum Lutetiæ clima parum diſtet a Viennenſi, putarem eadem tentamina hic inſtitui poſſe, ſimili doſi remedium propinando; revera enim qui primum apud nos remedium tentarunt eamdem prorſus rationem, atque doſim proſecuti ſunt, citra ullum funeſtum effectum. (*)

CAPUT VIII.

De uteri Hydrope.

§. I.

Deſcriptio, & Differentiæ.

UTeri hydrops eſt aquæ, aut ſeroſitatis lymphaticæ congeſtio in cavitate matricis, quæ tamen non una ratione ſemper colligitur; interdum enim ubertim aquæ in uterum irrumpunt, & *Aſcitis* gignitur, quæ uterum æmulatur apud Græcos Αʼσυτός; interdum exiguas veſiculas implent communi, vel multiplici pedicino uteri internæ faciei adhærente, & *hydrops hydatodes* dicitur a Græco vocabulo Υδατίδες.

In hac duplici hydropis ſpecie ſimilia phœnomena apparent; initio enim vix morbus perſentitur; ſenſim vero, ſenſimque uterus inflatur, rotundus fit, gravis, & ponderoſus, preſſioni tamen cedit, & aliquale robur ſervat neceſſarium elaterium reſtituendi pote, tandem in ſummo morbi ſtatu ægræ neque incedere, neque decumbere facile poſſunt.

Quantumvis ſimiles hæ duæ ſpecies inter ſe videantur, cauſæ tamen producentes diverſæ ſunt, quas ſingillatim explicare intererit.

§. II.

Cauſæ hydropis cum aſcite.

CUm Aſcitica hydrops matricis lymphæ congeriei potiſſimum tribuatur, evidens eſt, eam ab ambobus ſubſequentibus phœnomenis produci; *alterum* eſt in uteri cavitate ſeroſitatis illius ſtillicidium ſupra ſtatum naturalem uberrimum; *alterum* uteri orificii occluſio, quæ affluentis lymphæ per vaginam eruptionem impedit.

I. Pri-

(*) Apud nos D. Storck experientiæ ſex ab hinc menſibus inſtitutæ ſunt in iiſdem morbis atque eadem methodo, quam ipſe oſtendit; verum etiamſi nondum triſtes effectus a Cicutæ aſſumptione conſecuti ſint, tamen uſque adhuc ſpei conceptæ eventus non reſpondit.

I. *Primum* duplici ratione evenire poteſt:

Vel dum lympha per hyatus tunicarum ſanguineorum vaſorum, aut lymphaticorum, quibus uterus ſcaret, ſibi pandit viam:

Vel dum veſiculas lacteas pervadit per intimam uteri faciem reptantes.

Etenim 1. Theoretice ſatis demonſtratum eſt, nunquam in aliqua cavitate lympham ſtillare, niſi aliquod obſtaculum ſanguinis, aut lymphæ circulationi officiat, quod cogat illos humores in propria vaſa irrumpere, eorumque tunicas extendere, atque poros dilatare, ut ſibi, quoad tenuiorem ſaltem partem, ſternat viam.

Conſequitur enim in hoc caſu, adeſſe debere in uteri cavo obſtacula quædam quæ hoſce effectus pariant; hujuſmodi ſunt ſcirrhi, aut ſcirrhoſa tubercula, ſteatomata, ſarcomata, molæ &c.

Obſtructiones veterrimæ cellularum lactearum ab amiſſione, vel ſuppreſſione menſtruorum, ſatis indicatæ.

Intumeſcentia repentina earum cellularum a ſpiſſitudine lactis uterini orta; quam gignit externum frigus, ſubitus terror, aut gravis mæror, quibus menſtruo tempore obnoxiæ fuerunt ægræ.

2. Verum ſeroſam lympham trans lacteas veſiculas effundi nequire, niſi in triplici caſu.

Quando orificia veſicularum earum laxa valde ſint, aut aperta, ut in diutino albo fluore.

Quando lacteus ſecretus liquor fluidior ſit, quod in iis evenit, quæ pituitoſo donantur temperamento.

Quando utraque cauſa ſimul agat, quod in albo vetuſtiori fluore accidit.

II. *Alterum* occluſionis uteri orificii reſpectu, niſi ab alterutra ſubſequentium cauſarum obturari poteſt:

Vel a cumulata ſegni mucilaginoſa materie, quæ oſtium illud obtegit;

Vel a compreſſione, ſcirrhi, aut calloſitatis ergo, in laborioſo partu nata, quæ orificium matricis premit.

Tandem a conſtrictione hujus clauſtri, convulſivæ criſpationis ergo, ut ſæpe in hyſterico morbo evenire ſolet.

Quæ adhuc dicta ſunt confirmantur cadaverum inſpectione mulierum emortuarum; quare ſtatuere licebit, modo in iis caſibus hydrops non ſuperveniat, neque citra hos evenire poſſe.

His explicitis concluditur,

1. Hydropem aſciticam mulieres frequenter aggredi, quæ matricem ſcirrhoſam, calloſam, obſtructionibus infartam habent, quæ menſibus ſuppreſſis laborant, vel illos jamdudum amiſerunt.

2. Illas vero lædere, quæ albo lymphatico, aut lacteo fluore uberrimo valde, & vetuſto corripiuntur.

Illas denique infeſtare, quæ de repente menſibus, aut lochiis orbatæ fuerunt frigoris, mœroris, aut lætitiæ inopinatæ cauſa.

4. Neceſſum enim eſſe plerumque aliquam ex indicatis cauſis concurrere, quæ orificium uteri obtegunt, quod etiamſi crebro, non ſemper tamen evenit.

5. Aquas in utero collectas, quas effundunt vaſa ſanguinea, aut lymphatica per tunicarum hyatus, claras, & translucidas apparere plus, minuſve, luteas, aut acres pro diverſa acrimoniæ, aut bilis copia, quibus ſanguis ſaturatur.

6. Verum, ſi hujuſmodi aquæ a lacteis veſiculis procedant, quaſi per cribrum erumperent albæ, lacticinoſæ, ſerum non depuratum æmulantes apparebunt, ut (*a*) Zacutus obſervaſſe aſſerit, quæ qualitates plus, minuſve conſpicuæ erunt pro majori, vel minori tenuitate lactis uterini.

(*x*) Prax. admirab. *Lib. III. Obſerv.* 152.

7. In hoc poſtremo caſu hujuſmodi aquæ calori uteri obnoxiæ facile putreſcent, & turbidæ, ſanioſæ, atque fœtidæ evadent, præſertim ſi vaſa nonnulla ſanguinea guttas aliquot ſanguinis effundant, quod ſæpe evenire ſcimus Schenkii (*b*) obſervatione.

8. Menſes ſuppirimi debent tum in hydrope aſcitica, quæ a ſcirrho, ſteatomate, ſarcomate, mola, aut vetuſtiori obſtructione, cum in ea, quæ a laxitudine procedit lactearum cellularum, quæ inflari impeditæ nequeunt venoſas appendices tumefacere, ut catamenia producant.

Nihilo ſecius (*c*) Medicus quidam in ſuis obſervationibus, tradidit mulierem hydrope uteri laborantem menſtruis perfecte donatam fuiſſe; at ille obſervationis ſuæ rationem præbuit, animadvertendo in hoc caſu menſes non ab utero, ſed a vaginæ fundo derivaſſe.

9. Facile enim declaratur Fernelii (*d*) obſervatio, qui teſtatur mulierem hujuſmodi morbo correptam ſingulis menſibus menſtruo tempore aquas per uterum evacuaſſe, ut ſeptem, aut octo pelves impleret, poſtquam menſes apparebant, & deſiſtebant ut in naturali ſtatu, hydrope revertente prope menſium effluvium, eadem conſtanti methodo; quare ſuſpicari licebit in hac muliere nondum totum uteri ambitum hydrope affectum fuiſſe, verum ſupervenientibus menſibus, uterum illam ſollicitaſſe, ut obſtacula ad orificium locata ſuis contractionibus ſuperaret, catameniis vero deſinentibus orificium denuo ſeſe conſtrixiſſe, atque hydropem ſeſe reſtituiſſe, uſque dum menſium eruptio reverteretur.

10. Tandem in geſtatione quando ſanguinis circulus in interna uteri facie magnopere implicatur (voluminis ergo, aut ponderis fœtus) effuſio facile fieri poteſt feroſæ lymphæ intra parietes uteri, & membranas, ut experientia confirmat; hujuſmodi aquæ enim in partu primæ erumpunt ſtatim ac uterus reſeratur; eaſque facile obſtetrices cognoſcunt, & *Aquas Silveſtres* vocant; interdum ibi maxima copia hujuſmodi colliguntur aquæ ut veram hydropem in male affectis mulieribus præſertim inducant, quæ ægras, & aſſidentes perterret, at feliciter evaneſcit partus initio, imo ipſum fovent, modo parturientes non ſint valde imbecilles.

§. III.

Cauſæ Hydropis cum hydatidibus.

IN hac hydropis ſpecie uteri cavitas undique innumeris veſiculis, aut hydatidibus repletur ex graciliori tunica contextis, & lymphatica ſeroſitate turgidis; modo hydatides illæ racemi more communi pedicino plures ſimul utero adhærent; modo ſejunctim propriis pedicinis cum utero nectuntur; modo invicem connexæ per uterum fluctuant. Earum magnitudo intra granum miliaceum, & ovum Columbinum, aut Gallinaceum perſiſtit: contenta lympha limpida eſt, & diaphana, quæ leni calore modo inſpiſſatur, modo in auras avolat; interdum tamen liquore turgent denſo, ſanioſo, aut purulento, qui hydatides ipſas plerumque rodit.

Aetius (*a*) obſervationem hujus hydropis poſteris communicavit, quam Medici diu perſcrutari neglexerunt; tandem cadaverum ſectiones in hac re ſatis eos docuerunt merito hujuſmodi hydropem recenſeri inter uteri hydropes &c.

Omnis difficultas reducitur ad explicandam veſicularum earum generationem, circa

(*b*) Obſervat. Medicinal. Lib. IV. Obſerv. 222.
(*c*) Marcellus Donatus, *Medic. hiſtor. mirabil. Lib. IV. Cap.* 25.
(*d*) Pathoſog. *Lib. VI. Cap.* 15.
(*a*) Medicinæ contractæ *Tetrabibl IV. Cap.* 70.

circa quod Tractatum (*b*) noſtrum *De Tumoribus*, *&* *Ulceribus* pervolvere neceſſe erit, ubi animadvertimus valde implicitos fuiſſe, qui olim lymphæ exiſtentiam, & uteri ſtructuram, atque vaſorum diſtributionem haud cognoſcebant, quod *Actii*, & *Fernelii* exemplis confirmatur; at nuperrimæ Anatomicorum diſquiſitiones magnopere rem declararunt.

Demonſtravi enim in eo Tractatu has hydatides gigni a dilatatis areolis intra vaſa lymphatica, & valvulas Sigmoideas, aut ſemilunares locatis, cum hujuſmodi exigua ſpatia circa vaſorum lymphaticorum longitudinem innumera ſint, & multiſſima vaſa lymphatica; ideoque nil mirum, ſi in hac tunica maxima copia hydatidum naſcatur, ut omnis cavitas uteri quandoque repleatur.

Hujuſmodi hydatides racemi more communi pedicello coacervantur cum ab eadem parte inflari ceperint, ſejunctim vero intumeſcunt, quando a diverſis uteri partibus originem duxerint.

Pedicelli, qui hujuſmodi racemos utero nectunt, exuvia ſunt internæ tunicæ hydatidum conciſæ, dum intumeſcebant; ii vero, qui invicem veſiculas jungunt, reliquiæ ſunt ipſorum lymphaticorum vaſorum; quare interdum veſiculæ fluctuantes reperiuntur, quæ increſcendo laniarunt pedicellos, qui ipſas utero, aut ceteris hydatibus jungebant.

Hydatidum magnitudo variare ſolet pro diverſo earum incremento; earumdem cavitas modo liquore limpido repletur, qui vera lympha eſt; ignis vi, dum ſponte ſpiſſior eſt, indureſcens; verum in auras avolans, modo liquidior exiſtat.

Tandem calor uteri illum liquorem pervertit, atque corrumpit; præſertim cum heterogenis moleculis ſaturetur, ut turbidus, purulentus, fœtidus evadat, & veſiculas ipſas patefaciat.

Supereſt cauſas determinare, quæ potis ſint, in lymphatica vaſa ſtagnantem lympham congerere, quæ interſtitia illa nodorum vaſorum dilatando hydatides producat.

Evidens enim erit hujuſmodi cauſas eaſdem eſſe, quæ Articulo præcedenti in hydrope aſcitica ſanguinis congeſtionem induxerunt; hoc ſolummodo diſcrimine; quod in eo caſu ad ſiſtendam ſanguinis circulationem validiores cauſæ requirebantur; verum ad lymphæ ſegnem curſum intercipiendum, ejuſque vaſa comprimenda leviores ſufficiunt.

Itaque ea, quæ dicta ſunt ſuperiori Articulo circa cauſas ſanguinem ſiſtentes, de lympha hic ſtagnali dicenda videntur, videlicet

1. Scirrhos, ulcera, ſteatomata, & ſarcomata, molæ &c. hujus morbi cauſas plerumque eſſe, quare illos affectus plerumque hydatides comitari etiamſi crebrius ab iis aſcitis procedat.

2. Verum repentina cellularum lactearum turgentia, quæ phœnomenis ſuccedit ſuperius indicatis, quæquæ dum modica ſit ſolam intumeſcentiam inducit, quæ tantum lymphæ curſum intercipit, atque hujuſmodi hydropem gignit, cum impar ſit aſcitim inducere.

De cetero in hac hydropis ſpecie uteri orificium plerumque obturatur, ut in aſciti iiſdem de cauſis evenit, interdum tamen reſerari debet, ſi hydatides erumpant, quæ neque utero, neque vaginæ adhærebant.

(*b*) *Liv. III. Chap. 2. p. 459.*

§. IV.

Symptomata.

1. IN utraque hydropis ſpecie uterus tumet, atque in dies in ratione augmenti gravior fit, continenter tamen ſphæricus perſiſtit, & compreſſioni facile cedit.

2. Quando uteri volumen maximum fit, ægræ difficillime incedunt, neque decumbere facile poſſunt diſtenſionis ergo, quam uterus ad utramque partem patitur.

3. Ambæ ſpecies menſium ſuppreſſionem comitem habent, quæ vel a cauſis obviis procedere poterit, quæ menſes ſiſtere ſolent, vel a diſtenſione uteri, quæ productionem appendicum venoſarum impediat; quæ menſtruationem gignere deberet; tandem a continenti infartu cellularum lactearum, quæ vaſa venoſa periodice comprimere impedit, quod in menſtruationis negotio neceſſariiſſimum eſt.

4. Sterilitas conſequens eſt neceſſarium hujus morbi, tum quia uteri os obductum ſperma neutiquam intromitti poteſt, cum etiamſi per uteri orificium intromitteretur, minime potis eſſet contextum ſubſtantiæ uteri valde compactæ penetrare.

5. Volumen uteri valde auctum comprimit reduces internas venas a vulva, aut venis iliacis prodeuntes, quæ ab extremitatibus inferioribus ſanguinem revehunt; quare conſiſtens in iis partibus cruor ſeroſitatem deponit, & œdema producit.

6. In hydrope aſcitica dum ab una parte uteri pulſatur ad oppoſitam partem manui applicatæ pulſus reſpondet; quod phœnomenon improprie fluctuatio dicitur, quod melius Gallice ſonat *contre-coup*, & Græco idiomate Ἀντίτυμία; hujuſmodi reactio a continuatione dependet aqueæ columnæ, quæ ad alteram partem uteri protenditur; deeſt hujuſmodi effectus in hydatidibus, quia aquea columna a veſicularum, aut hydatidum interpoſitione motus communicationem ad alteram partem intercludit.

§. V.

Diagnoſis.

FAcile eſt diſtinguere eas uteri ſpecies a ceteris abdominis intumeſcentiis.

1. Ab inflammatione ubi dolor, calor, & febris ipſa adſunt, quibus hydrops expers eſt.

2. A ſcirrho, in quo uterus inæqualis durus reſiſtens apparet; in hydrope vero rotundus, æqualis, & uniformis conſpicitur, & facile compreſſioni cedit.

3. A ſteatomate, & ſarcomate; nam in omnibus uteri tumoribus uterus preſſioni magis reſiſtit, quam in hydrope, verum in hac pulſando ad alterutram partem reactio minime perſentitur.

4. A tympanitide, cum neque reactio illa in tympanitide innoteſcat, verum ſonus audiatur pathognomonicum tympanitidis tantum indicium.

5. Ab hydrope imi ventris, quia dum hujuſmodi morbus uterum lædit, facile circumſcribitur; non vero in totali imi ventris hydrope, quæ undique ventrem tumefacit.

6. Tandem aſcitica hydrops ab ea, quæ hydatidibus ſcatet, reactione pulſationis diſtinguitur, quæ in poſtrema ſpecie abeſt.

7. Dia-

7. Diagnoſis phœnomenorum quæ hydropem a mola, aut geſtatione diſtinguunt, optimum cenſemus eo mittere lectorem, ubi de iis morbis ſpeciatim acturi erimus.

§. VI.

Prognoſis.

I. UTeri hydrops curatu difficilis eſt, nam aquæ ſpiſſis atque compactis membranis includuntur, quæ refluxum valde implicant. Neminem latet eam imi ventris hydropis ſpeciem, quam *ſaccatam* appellant, ubi aquæ intra peritonei duplicaturam congeruntur haud facile curari poſſe; ex iis de uteri hydrope facile judicium afferre quimus.

II. Hujuſmodi morbus valde periculoſus experitur cauſarum reſpectu, quæ illum inducunt; hujuſmodi enim ſunt plerumque vitia in uteri ſubſtantia locata, quæ vix deſtrui, aut corrigi poſſunt, eaque continenter morbi reſtaurationem minantur, modo paullulum ægræ convaleſcant.

III. Eadem hydropis ſpecies maximum detrimentum affert conſecutionum ergo, quæ plus minuſve uteri ſubſtantiam lædunt, aut œdema artuum inferiorum inducunt, vel febrem tandem ipſam, aut maraſmum producunt.

IV. Experientia enim didicimus uteri hydropem morbum difficilem, periculoſum, & letalem plerumque experiri.

V. Tandem quæ hydatidibus ſcatet aſcitica periculoſior evadit, tum quia ſeroſitas in veſiculis detenta difficilius refluit, cum etiam curationis ergo, quia pauciora adverſus hydatides auxilia medicina præſtat, quam ad aſcitim ſubjiciendam, ut infra videbimus.

§. VII.

Curatio.

IN uteri hydropis curatione duo præſertim veniunt perpendenda; alterum aquas tutiori via evacuare; alterum robur reſtituere ſubſtantiæ uteri, atque vitia corrigere, quæ effuſioni ſeroſitatis occaſionem præbent, ideoque morbi regreſſum præoccupare.

Triplici ratione prima abſolvitur indicatio.

I. Urinarias vias aperiendo. II. Alvum ciendo. III. Aut aquis per vaginam ipſam ſemitam parando.

I. Ad urinas provocandas eadem diuretica uſuveniunt, quæ in abdominis hydrope obvia ſunt, videlicet,

1. Decoctiones, & apozemata ex plantis diureticis, quas concinno ordine proponemus; quales ſunt;

Radices

Eryngium Aſparagus Bruſcus Anonis Ariſtolochia Rubia Tinctorum Apium Petroſelinum Vincetoxicum	ad ℥j.

TUM

Radices

Enula Campana Aſarum Ebulus Iris noſtras	ad ℥ß.

Folia

Calamintha Apium Marrubium Hyſſopus Angelica Naſturtium Aquaticum Chærephyllum Fœniculum	a m.j. ad m.j.ß.

Fructus

Solanum veſicarium Alkekengi	in decoct. a. ʒj. ad ʒj.ß.

Baccæ

Rhamnus catharticus	a baccis vj. ad x. vel xij. pro decoct.
Juniperus	ad m. ß. pro decoct.

Cortices

Caparis Fraxinus Sambucus Tamariſcus	ad ℥ß.

Flo-

Flores

Geniſta Sambucus Ebulus	} aliquot pugilli.

Ex quatuor, vel quinque earum plantarum pro libitu ſelectis eæ decoctiones aut apozemata conficiuntur, quæ viginti quinque tritis aſellis ſuperaffunduntur, Salia aperientia nonnulla addendo, qualia ſunt

Tartarum Martiale Solubile
Sal Tartari
- - de duobus
- - Martis Riverii
Terra foliata Tartari &c.

eaque idonea doſi per plures conſecutivos dies ſemel vel bis propinando.

2. Secundo ſucci depurati prodeſſe ſolent, ex quibus eſt Succus Chærophylli ad quatuor unciarum doſim, cui additur drachma Salis de Duobus, aut ſemis Terræ foliatæ Tartari.

Verum Succus radicis Gladioli ad duplicem unciam cum uncia & ſemis mannæ dulcificatus prodeſt.

3. Lixivia ex cineribus parata.

Corticum fabarum
Surculorum Geniſtæ
Ligni Juniperi
Sarmentorum Vitis viniferæ

Tres, vel quatuor drachmæ hujuſmodi cineris cribratæ aquæ cyatho, aut decoctione Millepedum diluuntur, verum omnia perfecte commiſcendo; poſtquam cineres fundum petierint, liquor verſetur, cujus tres, aut quatuor vices, tres unciæ, quatuorve quotidie cum anatina parte Mellis, aut Vini albi propinantur.

4. Bolis conficiendis cedunt

Æthiops Martialis, aut Flores Martiales ad gr. x. vel xv.
Pulvis Aſellorum ad gr. xv. aut xx.
Sal Tartari ad gr. viij.
Gummi Ammoniacum ad gr. vj. vel vij. ſyrupo quinque radicum omnia commiſcendo.

Præſcribitur pariter ſub forma bolari pulvis Bufonum exſiccatorum ad gr. xiv. aut xv. cum ſufficienti quantitate confectionis Hyacinthinæ ſubactus.

Magnifaciunt etiam Boracem pulveriſatum ad drachmam ſemis, duodecim granis Croci Orientalis remixtum, & ſucco Sabinæ ſubactum, at de eo experientiam me latet.

II. Si hujuſmodi medendi methodus fruſtranea videatur, hydragoga pur-

gantia adhibentur, quæ per alvum aquas expellant, inter quæ tutiora atque magis commendata ſunt

1. Jalapa ſ. p. a gr. xxx. ad L.
Reſina Jalapæ a gr. x. ad xviiij.
Diagridium a gr. x. ad xv. aut xx.

quæ idoneo ſyrupo ſub pilularum forma ſubiguntur.

Doſis horum remediorum pro ægrotantium viribus, effectu quem præſtant, aut numero exhibitionum dirigitur.

2. Pilulæ ſequentes ab Hoffmano proponuntur præſtantiſſimæ, atque tutiſſimæ.

R. *Rad. Vincetox. pulveratæ. gr.* viij.
Scillæ exſiccatæ, & pulveratæ gr. v.
Nitri purificati, vel Chryſt. miner. pulver. gr. x.
M. cum ſ. q. Syrupi de Rhamno cathartico. f. Bolus pro una doſi.

3. Pilulæ hydragogæ Bontii ſecundum codicem Pariſienſem confectæ a gr. xij. ad xv. aut xviij. optimum effectum præſtant.

4. Vinum ſcilliticum a ℥ß. ad ℥j. ſæpe propinatum prodeſt.

5. Syrupus Rhamni Cathartici pariter multum levaminis præſtat ab ℥ß. ad ℥j. vel ℥j. ß. hauſtus, & quodam alio purgante remixtum.

6. Tandem Gummi Gutta utiliter adhibetur a gr. x. ad xv. aut xvj. in mortario marmoreo cum viginti quatuor granis Cryſtalli mineralis contrita, & in pinguedinoſo jure tepenti diluta.

Eorum remediorum nonnulla ſtomachum laceſſunt, & vomitum excitant, qui compeſcitur facile ſuperbibendo poculum pinguedinoſi juris vituli ebulliti.

III. Incaſſum denique hujuſmodi auxiliis tentatis, reliquum eſt orificium uteri relaxare, ut facile aquæ per hanc viam exitum inveniant, vel in extremo caſu intromitti poterit pertuſus canaliculus, qui certam lymphæ exeunti ſemitam paret.

Hac de cauſa uſuveniunt:

1. Injectiones in vaginam ex decoctionibus emollientibus Malvæ, Althææ, Brancæ urcinæ additis mucilaginibus ſeminum Lini, Pſylli, admonendo ægras, ut idoneo poſitu decumbant, quo diu valeant illas in utero retinere.

2. Suffumigia per ſellam familiaricam recepta, modo tubuli ope ad uterum pertingant, utiliſſima evadunt.

3. Intromiſſio ſpongiæ, aut pulvini filo nex, & mucilaginibus imbuti ſeminum Lini, aut Pſyllii ad uteri uſque orificium protruſi, bis in die reſtituti non parum juvat.

4. Cum ſuſpicemur orificium uteri ſatis laxatum fuiſſe, paullatim uterus ſuccutitur, ut aquæ proprio pondere adjutæ valeant ſibi pandere viam, qua de cauſa vomitum, aut ſternutationem excitare fas erit, ægras admonendo, ut crebro ſaliant, vel ſaltem ſcalæ gradus junctis pedibus deſcendant; verum clyſteria ſtimulantia intromitti debent, aut acria peſſaria, quæ inteſtina, atque vaginam laceſſant, tandem obſtetricem jubere, ut digito intromiſſo, ſi liceat, uteri oſtium aperiat, quod interdum evenit.

5. Inutiliter his omnibus artis ſubſidiis adhibitis, potiſſimum erit cavum ſpecillum perforatum in extrema parte globulo inſtructum intromittere, quod

quod cum facile obtineatur in uretra vitri valde reflexa, facilius in uteri orificio obtinebitur, quod directe pergit.

6. Hac inſtrumenti introductione peracta aquæ penitus evacuabuntur; quando translucidæ appareant, tubulum removere poterimus; at ſi turbidæ, ſanioſæ, aut fœtidæ erumpant inſtrumenti illius auxilio, injectiones impellentur ex decoctione hordei, melle roſato, aut decoctione radicis Ariſtolochiæ confectæ, uſque dum interna uteri facies perbelle deterſa videatur.

7. Cujuſvis generis ſint erumpentes aquæ, per aliquot dies injectiones patrari debebunt, de aquis thermalibus, quæ uteri elaterium ſuſtineant, atque orificium patulum conſervent. Aquæ illæ *de Barege* præſtantiores videntur, at earum defectu ſubſtitui poterunt illæ *de Bourbon*; *Balaruc*, aut *Plombieres*.

8. Tandem uno, eodemque tempore cauſis conſulere debemus, quæ hydropem produxerunt, videlicet obſtructiones tollere aperientibus remediis, quæ priori hydropis curationis Articulo propoſuimus; verum cetera vitia compeſcere idoneis remediis, iis præſertim, quæ menſes revocare potis ſint ſuppreſſos, emmenagoga ſeligendo *Cap. IV. Lib. I.* indicata.

IV. Hydropis reſpectu, quam hydatides faciunt; parum vel nihil juvat in ea morbi ſpecie ſpecillum uteri orificio apponere, cum aquæ in ſpecialibus veſiculis detineantur; verum ſi earum nonnullæ diſrumpantur, parum utilitatis afferunt ratione habita innumeris, quæ clauſæ ſuperſunt; itaque cum me lateat ratio expellendi, aut conſcindendi hydatides, pro incurabili hujuſmodi ſpecies habenda eſt; rariſſimo tamen mulieres aggreditur, vel ſi umquam, experientia docuit eam diu perferre poſſe ægras citra gravem noxam.

CAPUT IX.

De uteri Tympanitide.

§. I.

Deſcriptio.

EVenit quandoque uterum inflari, tumefieri, atque reſilire, ut in vulgari hydrope citra pondus, aut dolorem; in hoc caſu minime a pulſu reactio perſentitur, quam *Antitypiam* dicunt, vel fluctuationem appellant in aſcite obviam, tamen pulſando tympani ſonitus oritur, qui nomen huic morbo *tympanitidis* præbuit.

Tunc menſes deficiunt, quorum ſuppreſſio tumori uteri conjuncta ægras frequenter decepit, ut fœtu eſſe graves ſibi ſuaderent, & obſtetrices ipſas in auxilium vocarent; at a magno flatu ſicco quandoque, quandoque a ſeroſo, aut a ſanioſo effluvio profecuto omnis geſtationis ſuſpicio evanuit.

Hujuſmodi eſt *vera tympanitis*, quæ *continens* etiam appellatur; aeris retenti congeries in uteri cavitate interdum humoribus non remixta, interdum latice quodam copulata in exploſione pariter fluxuro; rarus eſt morbus, neque multæ obſervationes illum confirmant.

Ei affinis videtur, & magis obvia affectio illa, quæ nonnullas mulieres de cetero bene conſtitutas aggreditur, quæ dum truncum anterius inclinant, aut uterum comprimunt flatus expellunt; at ii minori cum impetu exeunt; neve ullum comitem habent fluorem, quare tympanitis *vaga* appellatur.

Cum tympanitidis hujuſmodi ſpecies inter ſe non parum differant, eas ſejunctim

ctim examinabimus ; impoſterum diſtincto articulo locuturi erimus de uteri intumeſcentia, quæ plerumque partum conſequitur male curatum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Tympanitide vera ſeu perſiſtenti.

§. I.

Cauſæ.

PErlongum foret omnia referre, quæ medici veteres excogitarunt ad hanc flatuum collectionem explicandam, quæ uterum in tympanitide replet; verum inutile evaderet ea enunciare, cum prorſus futilia videantur ; ſatis erit animadveretere continentem tympanitidem numquam aggredi, niſi in confluentia ambarum ſubſequentium cauſarum.

1. Quando poſt partum matricis parietes imperfecte coarctantur, neque uteri cavitatem imminuunt tenſæ, & compactæ perſiſtendo etiam, utero evacuato, quem externus aer cito replet.

2. Quando in eodem ſtatu orificium uteri perfecte obturatur, ut exitum aeris in uteri cavitate detenti penitus intercludat.

Primum parvi faciunt ægræ hujuſmodi expanſionem, quam pro neceſſaria geſtationis conſecutione habent, & quam uterus nonnihil tumens relinquat ; verum medici, & obſtetrices a prima menſium eruptione ipſam evaneſcere ſibi ſuadent.

At aliquot menſibus tranſactis citra ullam catameniorum eruptionem ; dum ſedulo magis morbum perſcrutantur, & regionem hypogaſtricam conſpiciunt rotundam, tumidam, atque tenſam, facile ſibi ſuadeant mulieres fœtum gerere, quod præſertim facile credunt, quæ infantes parere maxime cupiunt.

Quam ob rem pro morbi explicatione reliquum eſt duplicem conditionem ſancire, quæ una illum producit.

Quare I. Certum eſt uteri parietes niſi ſubſequenti duplici de cauſa compactos, ac tenſos perſiſtere, ut vacuam cavitatem efforment ; *primum* enim dum parietes ii phlogoſi laborant, quæ turgentiæ vaſorum ergo impedit, quominus coarctari poſſint ; *alterum* dum ipſi convulſione imperfecta, aut erethiſmo corripiuntur, ut eumdem pene effectum inducant ; duplex hujuſmodi uteri ſtatus conſequitur plerumque difficilem, & laborioſum partum, in quo uterus multum paſſus ſit, atque diu vehementioribus ſucceſſionibus obnoxius fuit.

II. Evidens pariter eſt uteri orificium minime ſub lochiorum fine coarctati in eo duplici ſtatu parietum indicato phlogoſis ergo, quæ ei communicatur.

III. Tandem certiſſimæ obſervationes oſtendunt veram tympanitidem mulieres plerumque aggredi, quæ dum menſibus gaudebant, externo frigori, & inopinato ſe expoſuerunt ; facile enim eſt in hoc caſu perſpicere aerem in dilatato utero inſinuari, ejuſdemque cavum replere, poſt de repente obturato uteri orificio, aerem ibi commorari, modo oſtium non reſeretur, quod raro evenit,

Ex iis conſequitur : 1. Veram uteri tympanitidem plerumque partum, aut abortum conſequi.

2. Ipſamque niſi poſt laborioſum, difficilem, doloroſum partum apparere, quando uterus valde labefactatus, atque laceſſitus fuerit.

3. In-

3. Interdum etiam modo ægræ ſubito frigori ſe exponant, aut menſtruo tempore, ubertoſis catameniis fluentiqus, pedes aqua frigida luant, eodem corripi incommodo; at in hoc caſu rara vel levis ſi unquam tympanitis apparet; ea omnia experientia, atque obſervationes confirmant.

§. II.

Symptomata.

I. Vera tympanitis, ut hydropem facere obſervavimus, corporis inceſſui officit, impeditque quominus ægræ anterius truncum valeant inclinare, morbus tamen cum abſque retento aere tantum procedat, dolore, calore, atque pondere expers evadit.

2. Ægræ itaque ad utramque partem libere decumbere poterunt citra ullam a pondere noxam.

3. Dum aer in utero retentus internos parietes comprimit, lacteæ verſiculæ, & appendices venoſæ inflari, aut dilatari renuunt, ut in menſtruationis negotio neceſſum eſſe *Lib. I. Cap. II.* vidimus, qua de cauſa menſes abire debebunt.

4. Interdum in hoc morbi ſtadio nihil ex utero erumpit, neque ulla feroſitas effluit, nondum ſanguinis, aut lymphæ circulo intercepto; neque ex lacteis veſiculis obductis ullus ſtillat liquor, quare tunc tympanitidem *ſiccam* appellant a ſolo aere in utero congeſto derivatam; hujuſmodi tympanitides plures auctores infra indicati (*a*) obſervarunt.

5. Interdum vaſa ſanguinea, & lymphatica ſanguine, & lympha affluenti turgida nimis ſeroſitatem aliquam effundunt, aut lacteæ cellulæ imperfecte obturatæ uterinum lac ſuppeditant: in hoc caſu tympanitis *humida* appellatur, eaque non a ſolo aere, ſed a lymphaticis, & lacticinoſis humoribus originem ducit, qui modo translucidi, modo turbidi cum aere ſimul ab utero exeunt; hujus tympanitidis ſpeciem infra alii nonnulli Auctores (*b*) præſeferunt.

6. Ægræ impares evadunt fœtum concipiendo, nam perſiſtente tympanitide uteri orificium perbelle obturatur; interdum etiam jam ſanato morbo diu ſteriles perſiſtunt, cum non exiguum temporis ſpatium requiratur antequam interna uteri facies a *ſicca* tympanitide areſcens emolliatur: tantumdemque temporis antequam areſcat poſtquam ab humida tympanitide nimis laxata fuerit.

7. In utraque tympanitidis ſpecie ſuppreſſi menſtrui ergo ægræ quamplurimis palloris, atque geſtationis phœnomenis fiunt obnoxiæ, quod non parum auget in iis conceptionis ſuſpicionem.

8. In vera tympanitide uterus perbelle rotundus fit, quam configurationem ſane ſuſcipere debet, modo quaquaverſus ab incluſo aere prematur; pulſibus vero tympani inſtar perfecte reſpondet; tandem volumen augetur, aut imminuitur prout ægræ plus minuſve calefiunt, aut frigeſcant; calor enim detentum aerem rarefacit, frigus ipſum condenſat.

Uſque adhuc expoſitæ tympanitidis deſcriptionis unum tantum objicitur, videlicet tympanitidem interdum maximum volumen adipiſci, quod a modico aere poſt partum intromiſſio minime oriri poſſe arbitror.

De

(*a*) Valeſcus de Taranta, *Philonii Lib. VI. Cap.* 15. Matthæus de Gradibus, *Comment. in Nonum Rhaſis* Cap. *De Mola*. Thadæus Dunus, *Lib. Miſcellaneorum Cap.* 8. Rembertus Dodonæus, *Obſerv. Medicinal.* 49. Mauritius Cordæus, *Comment.* 3. *in Lib. I. De Mulieribus Hippocratis*, Philippus Hœchtetterus, *Decad. V. Obſervat.* 4. Ambroiſe Parè, *Liv. XXV. Cap.* 34. Philippus Salmuthus, *Cent. II. Obſerv.* 57. Reinerus Solenander, *in Conſil. Medicinal.*

(*b*) Alexander Benedictus, *De curandis morbis*, *Lib. XXV.* Chriſtophorus a Vega, *Arſ. Medend. Lib. III. Sect.* 10. *Cap.* 31. Laurentius Joubertus: *Cap.* 13. *De urinis.*

De eo taem: 1. Incertum exemplum afferunt; unicam enim veram tympanitidem mihi licuit obſervare, ubi uterus magnitudinem ſuperabat a tertio, vel quarto menſe geſtantis uteri; volumen ſane interdum variat, verum niſi a rareſcentia, aut denſitate aeris id procedit prout calori, aut frigori ſe ſubjiciunt ægræ.

2. Si unquam enim hujuſmodi tympanitides appareant, id humidam potius reſpicit cum hydrope aſcite copulatam, tuncque maximum uteri volumen aquarum copiæ tribuitur, non aeris quantitati, quæ in ea cavitate minime augeri quit.

§. III.

Diagnoſis.

I. VEra tympanitis, atque perſiſtens uteri voluminis ergo ceteras hujus partis intumeſcentias æmulatur, ſcirrhum nempe, ſteatoma, ſarcoma, hydropem, geſtationem, molam &c. ab iis tamen differt multiplici ratione, ut infra facile cognoſcemus.

1. A ſcirrho differt, qui tumor inæqualis eſt, angulofus, durus, reſiſtens; ipſa vero rotunda, æqualis, mollis apparet, atque preſſioni facile cedit.

2. Steatoma vero, atque ſarcoma etiamſi ſcirrho molliora ſint, tympanitide tamen compactiora ſunt; verum pondere ſuo hypogaſtrum gravant, non vero tympanitis.

3. Hydrops aſcitica diſtinguitur fluctuatione, quæ pulſando cognoſcitur, & in tympanitide deeſt; tympanitis vero ſonum edit, nullum tamen hydrops, quod poſtremum ſignum ſat erit, ut tympanitis a ſcirrho, ſteatomate, & ſarcomate facile diſtinguatur.

4. Signa vero diagnoſtica, quæ hujuſmodi morbum a geſtatione, aut mola diſtinguunt, ſpeciatim venient perpendenda, ubi de mola, aut geſtatione diſſerturi erimus.

II. Opportunum videretur ad perfectam diagnoſim inſtituendam, ſiccam ab humida tympanitide diſtinguere; at id neque facile eſt, neque valde neceſſarium videtur tum ad prognoſim, cum curationem rite inſtituendum.

§. IV.

Prognoſis.

I. CUm tympanitis conſtans obſtaculum ad uteri orificium locatum ſupponat, quod aeris regreſſum impediat; patet enim idem officere ſeminis introductioni, quare ſterilitas erit conſequtura.

2. In ſicca tympanitide aer, qui uterum inflat, parietes exſiccat, & calloſas reddit; in humida vero affluens ſeroſitas faciem uteri internam nimis humidat, ut interdum putrefaciat; quare veterrimæ tympanitides vel labefactant matricem, vel fœcunditati officiunt poſt valetudinem etiam obtentam.

3. Nihilo ſecius mulieres interdum procul graviori incommodo morbum diu perferre valent; vel ſaltem ipſam facilius, quam hydropem perferunt; quod præſertim de ſicca tympanitide intelligendum eſt.

4. Itaque valetudinem, quam citiſſime ſollicitare noſtrum erit, non jam reſolvendo, cum aer nequeat per hiatus vaſorum reſorberi; ſed orificium uteri reſerando, ut aer facile per hanc viam exeat.

5. Interdum caſu fortuito ventrem comprimendo, aut truncum inclinando obſtaculum citra uteri collum locatum ſuperatur, quandoque etiam obſtetrices

putati

putati partus ergo advocatæ oſtium digitis (*a*) aperuerunt; ac ea non ſunt magni facienda; morbo enim recognito ei efficaciter mederi oportebit.

§. V.

Curatio.

CUm certiſſimum ſit, aerem in utero detentum reſorberi non poſſe, aut diſſipari reſolutionis methodo, ideo futilia evadunt reſolventia, aperientia, diuretica, & carminativa, quæ veteribus mos erat exhibere; idcirco aeri exituro ſemitam per uteri orificium parare neceſſe erit, tres ſubſequentes indicationes implendo, poſtquam vitia uteri dempta fuerint, quæ morbum produxerant.

Prima enim indicatio erit relaxare, & emollire orificium uteri, quod obtinetur, ut in hydropis curatione oſtendimus, præſcribendo:

1. Semibalnea tepentia ex decoctione radicum, & foliorum Biſmalvæ, Malvæ, Brancæ urcinæ, verum ægras hortando, ut eas decoctiones ſpongiæ ſubtilioris auxilio intromittant vaginæ oſtio.

2. Injectiones tepentes ſecundum locum habent ex eadem decoctione patratæ, cui addi poterit mucilago ſeminum Lini, aut Pſylli idoneo poſitu decumbendo ægræ.

3. Suffumigia per ſellam familiaricam in vaginam recepta tubuli ope ex vapore tepenti ejuſdem decoctionis.

4. Tandem efficaciora experiuntur, atque minùs moleſta peſſaria ex vetuſtiori tela confecta arte involuta, cujus extremitas mollior ſit, & fimbris laciniata ne uteri orificium offendat; de illa decoctione imbibunt, vel ſi lubeat ſimplici mucilagine ſeminum Lini, aut Pſylii, peſſariorum loco uſuveniunt pulvini filamentorum filo connexi, qui eodem liquore imbuti vaginæ fundo, aut uteri collo applicantur.

II. Secunda, quæ nobis ſe præbet indicatio eſt orificium uteri dilatare modo ſatis emollitus videatur, id obtinetur valde ægras ſuccutiendo.

1. Neceſſe enim erit eas ad vomitum, aut ſternutationem excitare; irritantibus clyſteribus inteſtina laceſſere, aut vaginam peſſariis acrioribus ſtimulare, quæ uteri etiam contractiones ſollicitent, ſaltuſque jubere; tandem obſtetrici præcipere, ut digito intra vaginam intromiſſo leniter collum uteri agitent, aut ſuccutiant; quantum neceſſarium videtur ad ejuſdem aperitionem.

2. Modo prima vice effectum non obtineamus, emollientium uſum reiteare ter quaterve fas erit; at hujuſmodi methodus, quæ in uteri hydrope utilis plerumque evadit, in uteri tympanitide fruſtranea experitur, quia aer minus commovetur ſuccutionum impulſu, quam aqua in hydropico utero detenta.

III. In-

(*a*) Valeſcus de Taranta, *Philonii Lib. VI. Cap.* 15. Matthæus de Gradibus, in *Comment. ad Caput de Mola* idem refert de uxere ſua.

Cui addi poterunt ſequentia Carmina a Jaſone Pratenſi compoſita *Libell. de Parienti, & Partu Cap.* 2.

Venter cum tumuiſſet Acciellæ
Septem menſibus & novem diebus,
Cæpiſſetque lien parum dolere,
Acciri jubet illico obſtetricem,
Quæri faſciolas & apparari,
Sperato puerum editura partu,
Mox inter medias manus miniſtræ,
Laxo poplite, cruribus levatis,
Lucinam ingeminans quater pepedit.

III. Incaſſum iis auxiliis adhibitis tertiam indicationem implere oportebit, aeri ſemitam parando, ſpecillum cavum introducendo; iis conſtanter cautelis adhibitis, quas præcedenti articulo animadvertimus.

IV. Poſtquam ſolus aer exploſus fuerit, tubuli illius auxilio uterum injectabimus, cum decoctione Radicis Althææ ad emolliendam intus matricem aeris mora arefactam; ſi vero ſanioſus liquor turbidus, ſpiſſuſque cum aere ſimul exierit, injectiones parabuntur ex aqua hordei, & melle roſato ad uterum detergendum; verum cum decoctione radicis Ariſtolochiæ ſi aquæ fœtidæ fuerint.

Hac ratione ægræ valetudinem recuperabunt; ſi lubeat regreſſum præoccupare morbi, & uteri morboſam diſpoſitionem corrigere, ſerum lactis depuratum, apozemata, aut decoctiones amaras; aquas ferrugineas, balnea, & ſemibalnea exhibere oportebit in peſſariorum emollientium uſu perſiſtendo, quæ flexibilitatem conſervent, atque occluſionem orificii impediant.

ARTICULUS II.

De Tympanitide vaga.

§. I.

Cauſæ.

TYmpanitis, quæ vaga appellatur, communis eſt morbus, quem tamen nonnullæ mulieres interdum fateri verentur, adoritur ipſa in confluentia ambarum ſubſequentium cauſarum.

1. A tenſione nempe, & rigiditate parietum uteri, qui invicem remoti amplius ſpatium relinquunt.

2. A tenſione, ſeu rigiditate marginis orificii matricis, quæ impedit quominus complete occludi queat.

Ambas hujuſmodi cauſas neminem latebit valde affines eſſe, ipſæ plerumque procedunt a naturali calore, aut ſiccitate, crebrius tamen a ſuppreſſione, aut laborioſa menſtruatione, quam confirmat vaſorum plethora, quæ tenſionem, & rigiditatem parietum, aut orificii illius inducit.

In hoc caſu uteri orificium oſcitans externum aerem in ſua cavitate facile recipit, qui ibi moratur uſque dum parietes appropinquent ſibi corporis contorſionis, aut ventris compreſſionis ergo, quæ valeant protinus, aut per vices illum expellere, aut, deſiſtente corporis ſuccuſſione uterus denuo aere repleatur, niſi in ſimilibus circumſtantiis erupturo; idcirco uterus tunc perbelle æmulatur follem, quem aerem una expellere, & recuperare facile ſcimus.

§. II.

Diagnoſis, Prognoſis, & Curatio.

DIagnoſis. Hujuſmodi morbum haud facile erit cum ceteris uteri morbis confundere, enim ſedulo percontando cito innoteſcet.

Prognoſis. Plures mulieres patienter hanc ægritudinem ſuſtinent, cum nullum plerumque grave incommodum perſentiant quod remedia poſcat; mihi videtur tamen generationi hujuſmodi morbum officere, tum quia uterus areſcens

ſcens pervertit ſpermatis virtutem; cum etiam quia ſemen per uteri orificium refluit antequam mulier concipiat;

Curatio. Quotieſcumque de hoc morbo agatur, alterutram ſubſequentium medendi rationum proſequi debebimus.

I. Si ille enim a menſium ſuppreſſione procedat, eos revocare neceſſe erit aperientium, & emmenagogorum exhibitione, quæ Lib. I. Caput IV. expoſuimus.

II. Contra vero ſi a tenſione, calore, aut ſiccitate uteri ſpontanea originem agnoſcat, remedia humectantia, & refrigerantia tum intrinſecus, cum extrinſecus adhiberi poterunt pluries ſane recenſita.

ARTICULUS III.

De uteri expanſione ex parietum.

DAntur nonnullæ mulieres, in quibus uterus inflatur a tunicarum craſſitudine etiamſi tumore uterus expers ſit, aut alio externo corpore in ſua cavitate detento.

Hujuſmodi phœnomenon partus plerumque conſequens eſt; ſcimus enim in geſtatione membranas uteri valde a viſorum intumeſcentia inſpiſſari, at ea craſſitudo poſt partum evaneſcit cum lochia ſubſecutura vaſa depleant, & membranæ proinde proprii elaterii auxilio paullatim ad naturalem craſſitudinem revertantur.

Nihilominus ſolæ naturæ non eſt opus relinquendum, puerperarum enim abdomen obſtetrices & aſſidentes ſolent preſſione coarctare.

Ex iis enim concluditur, facile poſſe uteri membranas craſſiores, quam par eſt, perſiſtere, uterumque tumentem.

1. Quando menrſtua, vel cito deſiſtant, vel per intervalla, aut exigua copia erumpant.

2. Quando juvenes parturientes, & inexpertæ pati nequeant poſt partum tænias, quæ ventrem vinciant.

3. Quando mulieres delicatiori donatæ contextu neceſſario membranæ illo careant robore, atque difficilius exuberans ſanguis exprimatur.

4. Tandem quando ætate conſtitutæ erunt, ut membranæ flexibilitate deficiant, ad uteri occluſionem neceſſariam.

In omnibus iis caſibus ſuadendum eſt, facile poſſe a partu membranas illas inflari, ut experientia confirmat.

Quandoque evenit menſium ubertatem, quæ partui ſuccedit, novos partus, aut lochia hujuſmodi intumeſcentiæ mederi; at ſi fruſtraneum hoc evadat auxilium, amplum abdomen patienter ferre neceſſe erit, modo aperientia emmenagoga, balnea, aut ſemibalnea, vel aquæ thermales levamen non afferant, quod raro ſperandum erit.

CA-

CAPUT X.

De uteri deſcenſu.

§. I.

Deſcriptio, & Differentiæ.

IN naturali ſtatu uterus centrum pelvis occupat, fundus paullum oſſa ilei ſuperat, colon circa oſſa pubis inferius nonnihil locatur; in hoc caſu colon poſterius rectum reſpicit, anterius vero veſicæ adhæret, reliquum uteri corpus lateraliter propinquis partibus a ſimplici cellulari contextu nectitur; tandem cum vaginæ fundo continuatur, imo ejuſdem colon ab ipſa vagina circumcingitur ita, ut nonnihil porrigatur.

Hujuſmodi poſitus tamen citra morbum in diverſis ſubjectis variare poteſt, at hujuſmodi varietates in ſanitatis ſtatu leviſſimæ ſunt, eæque niſi in triplici ſubſequenti caſu, crebrius præſertim in duobus poſterioribus eveniunt, ut ægrotantium, & medicorum attentionem poſcant.

Primo. Id accidit quando uterus nonnihil labitur; ut prope vulvam conſpiciatur; hujuſmodi ſtatus *incipiens deſcenſus* dicitur, quem nulla phœnomena conſequuntur graviora, & plures mulieres infeſtat, quæ multos infantes pepererunt; eumque reſpiciemus quaſi vulgarem uteri ſtatum, ubi a ſtatu naturali nonnihil deflectit.

Secundo. Quando uterus in medio vaginæ ſe profert ad ejuſdem uſque orificium, cum tunc dolor aggrediatur; pluresque lædantur functiones, ideoque verus morbus gignitur, qui *incompletus* uteri *deſcenſus* appellabitur.

Tandem *tertio* venit perpendendus ulterior deſcenſus, qui vaginæ orificium aperit, ut uterus extra vulvam interdum ſe prodat circa femora; tunc ſane uteri *deſcenſus completus* exiſtit: ſinguli hi caſus gravem ſane morbum conſtituunt, tunc ægræ pondus, atque tumorem in affecta parte perſentiunt, difficilius incedunt, vel pedibus ſtant; in poſterioribus duobus crebro mingunt, moleſte tamen; difficulter fæces excernunt; tandem penitus tum matrimonii uſus, cum conceptio impeditur.

§. II.

Cauſæ.

VEteres medici autumabant uterum quatuor ligamentis ſuſtineri, duo lata cum lumbis connexa, terretia vero ligamenta, quæ a lateribus deſtrorſum, & ſiniſtrorſum originem habent, alterum nexum facere; ipſa enim poſtquam per anulos muſculorum abdominis tranſierunt, inferi in utrumque inguen.

Autumabant ſimul lata ligamenta fulcra eſſe matricis, quæ deſcenſum impedirent; terretia vero in hypogaſtri centro uterum detinere ne ad alterutram partem deflecteret.

Quare ſanciebant nunquam uterum prolabi niſi lata diſrumperentur ligamenta, aut relaxarentur valde, & terretia valde labefactarentur.

At nova anatomicorum inventa ſatis oſtendunt hujus theoriæ futilitatem; lata enim ligamenta ab expanſione procedunt Peritonæi, quæ extrinſecus obtegit uteri fundum, & lumbis nectitur, ubi meſenterium ipſum adhæret; idcirco mem-

membranam laxam ipſam æmulantur, quæ minus valet matricem ſuſtentare; ligamentorum vero terretium reſpectu præter poſitum, qui rei noſtræ minime favet, potius ipſa matricem deprimerent; denique ex laxiori contextu arteriarum, & venarum ſimul coalitarum coagmentantur, ut, hac etiam de cauſa, minus foveant uteri firmitatem ne alterutram partem verſus deflectat, mediumque hypogaſtri teneat, quod tamen raro evenit.

Ex iis enim deducitur uterum a vaginæ fundo ſuſtineri, & intra ipſam porrigi digiti tranſverſi dimidium; corpus vero uteri pro magnitudine impediri longius incedere; conſequitur enim niſi a majori vaginæ diſtenſione, vel facili dilatabilitate matricem prolabi propriæ gravitatis etiam auxilio, vel alia accidentali de cauſa; idcirco ad ſanciendam veram deſcenſus uteri theoriam duo veniunt perpendenda, *alterum* eſt cauſas pandere, quæ vaginæ fundum dilatare valent, ut uteri corpus facile recipiat; *alterum* accidentales determinare cauſas, quæ potis ſint uterum in vaginam impellere, ejuſque reſiſtentiam ſuperare.

I. Ad primum quod attinet, certum eſt vaginam niſi tribus ſubſequentibus de cauſis dilatari.

1. Vel a naturali conformatione, quæ in diverſis ſubjectis diverſa eſt, ut diverſam magnitudinem membra referunt.

2. Grandioris fœtus hydropici, hydrocephali, deformis ergo, qui duplicatus erumpit &c. atque vaginam magnopere diſtrahit.

3. A laborioſo partu in quo obſtetrix imperita plerumque manu, aut ungue, in extrahendo fœtu, aut placenta vaginam dilatavit.

At vaginæ fundus citra ullam diſtractionem ſponte laxus, aut emollitus interdum reperiri poteſt, ut uteri deſcenſum promoveat, quod in duplici caſu contingit.

1. Quando ægræ graciliori temperamento donatæ ſunt, aut partium elaterium amiſerunt, eadèmque pollent natura vaginæ tunicæ, facile dilatabiles, & fibris muſcularibus laxioribus ſcatentes.

2. Quando fundus vaginæ jamdiu lymphatica ſeroſitate fœdatur, quæ ab utero ſtillat, ut in albo fluore continenti, & veterrimo oriri ſolet.

II. Quæ adhuc dicta ſunt circa cauſas uteri deſcenſus rationibus non ſolum, verum obſervationibus fulciuntur ſectionum cadaverum earum, quæ ab hoc morbo deceſſerunt; at facile cognoſcitur, eas rationes nondum potis eſſe ad hujuſmodi deſcenſum producendum, modo alia de cauſa uterus inferius non impellatur; ſane ejuſdem pondus conſtans cauſa eſt ejus depreſſionis, imo citra maximam vaginæ diſtenſionem ſatis erit, ut uterus inferius, quam par eſt decidat, nunquam tamen niſi efficaciores ſuperaddantur cauſæ, quæ obſtacula ſuperent, verum deſcenſum parere poterit.

Innumeræ ſunt hujuſmodi cauſæ ſancitæ experientiis, & exemplis inteſtinorum confirmatæ, ut de Epiploo prolapſo in homine evenit, hujuſmodi ſunt.

1. Tuſſis crebra, atque vehemens in pertinaciori rheumatiſmo, aut aſmatico affectu.

2. Sternutatio nimia, quæ conſequatur cerebri rheuma, aut ab uſu nimio Nicotianæ excitetur.

3. Vomendi conatus, qui neceſſario poſt epulas concitatur.

4. Ponderis ſublevandi niſus.

5. Diſſenteriæ, & teneſmi diuturnioris pruritus.

6. Caſus interdum, præſertim dum venter labefactatur, aut ictibus læditur.

7. Magna vocis elatio, atque ululatus doloris, aut ſævioris animi pathematis ergo concitatus.

Animadvertendum eſt cauſarum enunciatarum reſpectu, quod cum ſuperallatæ

vaginæ conditiones non ſufficerent ad deſcenſum uteri producendum, niſi altera de cauſa uterus prolaberetur, tamen neque hujuſmodi poſteriores cauſæ pares eſſent, niſi vaginæ dilatabilitas ſimul concurreret, quare duplici cauſarum genere deſcenſum oriri conſtat.

§. III.

Symptomata.

I. IN uteri deſcenſu poſitus ſine figuræ mutatione immutatur; collum primo vaginam intrat, inde uteri corpus, quod ab obverſa vagina circumcingitur.

II. Ægræ morbi initio parum moleſtiæ perſentiunt cum modica ſit diſtractio tum uteri, cum vaginæ; utrumque augetur in ratione depreſſioris deſcenſus, & tunc in eadem ratione pondus, atque dolor aggrediuntur ſæviores.

III. Quo magis uterus deprimitur, eo difficilius ægræ incedunt, etiamſi properando caveant ne coxis uterum lædant.

IV. Quamvis deſcenſus incompletus fiat, quando uterus ad orificium vaginę tantum pertingit; veſica tamen comprimitur a propinquo uteri collo, ut ægræ crebrius, & moleſte mingant, compreſſæ uretræ cauſa.

V. Faces pariter difficulter excernunt, quando collum tranſverſum locatum rectum comprimat.

VI. In hoc ſtatu menſes perſiſtunt, cum nulla ratione intus uterus lædatur; at cum ſanguis compreſſionis ergo difficulter evehatur, atque revehatur, ideoque menſes plerumque in continentes degenerant, aut hæmorrhagiam letalem interdum inducunt.

VII. Hujuſmodi morbum comitantur albi fluores ſeroſi, quia ſanguis, dum uteri vaſa replet, ſinit lymphæ eruptionem, quæ plus minuſve uberrima apparet in ratione majoris, vel minoris deſcenſus.

VIII. In completo deſcenſu veſica crebro labitur & ipſa, quod confirmat unica (*a*) Ruyſchii obſervatio; imo collum interdum cum utero decidi poſſe oſtendit Enricus de Heers (*b*).

IX. Obſervavimus jam ſanguinem difficulter a prolapſo utero devehi in completo præſertim deſcenſu, quod de lympha pariter intelligendum erit: nil mirum ergo ſi in hoc ſtatu uteri volumen augeatur: hujuſmodi intumeſcentia de repente fit, & inflammationem interdum gignit in gangrænam deſituram; modo ſerius intumeſcat, ſcirrhus pertimeſcendus eſt, & cancer quandoque.

X. Tandem in uteri completo deſcenſu lotium ab uretra erumpens per totum uteri ambitum diſperditur, ut ſuperficialem ulceroſam excoriationem inducat, & ulcera ipſa in gangrænam ſæpiſſime deſinunt.

§. IV.

(a) Theſaurus Anatom. VIII. num. 102.
(b) Obſervat. Medic. *Obſerv.* 22.

§. IV.

Diagnoſis.

HAud facile eſt uteri deſcenſum, ut jam admonuimus, cum ceteris vaginæ excreſcentiis, aut productionibus confundere, vel cum uteri obverſione, quæ ſatis extra orificium intra vaginam conſpicua fit.

Patebunt ſigna, quæ excreſcentias, & productiones vaginæ oſtendunt *Capite ſequenti*, ubi hujuſmodi ſpecies explicabuntur; ibique obverſionis cauſæ apparebunt, & rationes diſtinguendi uteri deſcenſum, qui eos comitatur morbos, a legitimo deſcenſu.

In præſentiarum poſteriorem deſcenſus ſpeciem determinare ſufficiet; ſigna ejuſdem præcipua ſunt uterum anterius graciliorem eſſe, quam poſterius; levigatum, firmum, & vaſis ſanguineis magis interſperſum; rima tranſverſum inſtructum, ubi menſtruus ſtillat ſanguis, modo mulieres adhuc menſtruis donentur; tandem corpus uteri circumveſtiri, ut digito facile cognoſcitur, a propinqua vagina.

§. V.

Prognoſis.

UT rite prognoſim inſtituamus, diverſos uteri ſtatus animadvertere neceſſe erit.

1. Modo deſcenſus incipiens videatur, videlicet, dum uterus parum prolapſus ſit, levis morbus eſt & periculo vacat, ut nullo adhibito peſſario uteri reſtitutionem facile ſperare liceat.

2. Quando deſcenſus jam confirmatus ſit, ſed incompletus, modo uterus trans vaginæ orificium non decidat, facile reduci poterit, at peſſarium utero apponere neceſſum erit, modo ægræ non malint diu decumbere, interdum tamen & decumbentibus ægris orbiculus locum habet.

3. At ſi completus fiat deſcenſus, videlicet uterus penitus intra vulvam decidat, vel quod deterius eſt, extra vulvam prolabatur, dummodo cito medici auxilium ægræ poſcant, facile reſtituitur; neque intereſt tunc, quod ægræ diu lectulo detineantur; apponere ſat erit orbiculum, qui novum prolapſum impediat.

4. Tandem ſi ægræ valde deſides ſint, neque prolapſo utero ullum remedium ferant, inflatur; indureſcit, ut reduci amplius nequeat; tunc facile uteri ſuperficies exulceratur ab acre ſuperaffuſo lotio; hujuſmodi exulcerationem conſequitur gangræna, quæ celerrimos progreſſus oſtendit, cui ſola uteri amputatione reliquum eſt mederi.

5. Idem patrare neceſſum erit ſi quando prolapſus uterus in ſcirrhum, aut cancrum degeneret, quod tamen raro contingit: non deſunt tamen exempla a medicis tradita; hujuſmodi operationes valde periculoſæ experiuntur, atque plerumque funeſtum habent eventum ideoque niſi in evidenti mortis periculo ſunt amplectendæ, imo conveniunt modo nulla ſuperſit medendi ratio, verum (a) auctores fide digniſſimi amputationem uteri commendant.

R 2 6. Con-

(a) Aetius *Tetrabibl. IV. Serm. IV. Cap. 76.* Paulus Ægineta, *Lib. III. Cap. 72. & Lib. V. Cap. 2.* Berengarius Carpus, *in iſagoge anatomica.* Marcus Gatinaria. *Pract. Cap. de exitu matricis.* Anton. Benivenius, *Obſerv. Medicinal. Obſervat. IX.* Chriſtophorus a Vega, *Comment. ad Aphoriſm. 18. Lib. VIII.* Ambroiſe Parè, *Livre Chap. 48.*

6. Conſequitur, uteri deſcenſum nedum letalem morbum eſſe, ſi uterus reduci poſſit; non deſunt enim innumeræ mulieres, quæ diu abſque gravi periculo illum perferunt.

7. Certum tamen eſt, moleſtum evadere uteri deſcenſum, atque menſes ſiſtere, fluores albos gignere, conceptionem implicare, & deſides mulieres reddere.

8. Generice facilius convaleſcunt ægræ ſi forte, recenti, & incompleto uteri deſcenſu laborent, quam ſi veterrimo, & completo; facilius vero juvenes quam ætate conſtitutæ, aut cachecticæ.

9. Completus deſcenſus quando uterus reſtitui nequeat, plerumque ſucceſſive in inflammationem, exulcerationem, gangrænam, ſcirrhum, & cancrum degenerat, multum periculi conjunctum habet, & mortem ipſam frequenter inducit.

§. VI.

Curatio.

RAtio medendi uteri deſcenſui una conſtanter eſt, variat tamen pro diverſo morbi gradu.

I. Si uterus nondum prolapſus ſit, & ſolummodo inferius nonnihil porrigatur, magis quam in ſtatu naturali, adſtringentium uſu, quæ valeant fundum vaginæ conſtipare, ut magis deſcendenti matrici reſiſtant, non parum morbi progreſſus intercludit.

Ea diverſimode adhibentur.

1. Vel injectiones vaginæ ter quaterve in die reiterantur ex decoctione confectæ

Radicum Tormentillæ
Biſtortæ
Conſolidæ majoris

Florum Burſæ Paſtoris
Verbenæ
Equiſeti
Mille-Folii

Roſarum Rubrarum
Damaſcenarum

Vel ſi decoctionem quis velit efficaciorem, conſletur ipſa ex

Corticibus Malicorii
Balauſti
Nucibus Cupreſſi
Capſulis Glandium

Ex tribus vel quatuor eorum ſimplicium ſelectis cum aqua communi, vel vino albo, aut aqua de *Mareſchal* decoctio illa conficitur, quæ tepida intromittitur, modo ægræ idoneo poſitu decumbant.

2. Fomenta impendi poſſunt, quæ applicantur ſpongiæ auxilio eadem decoctione imbutæ, eaque tutior eſt, & efficacior methodus, nam remedia diu perſiſtunt in affecta parte.

3. Suf-

3. Suffumigia methodo pluries deſcripta in utero recepta valde proſunt, verum quæ efficaciora experta ſunt conficiuntur ex

Thure
Myrrha
Maſtice
Sandaraca
Roſis rubris

ſubtiliter friatis & ſuper prunas affuſis per horæ quadrantem.

Valde pariter commendant pro eodem ſcopo cutim anguillarum fumo exſiccatarum, at ſuſpicior hujuſmodi remedium parvi pendendum.

4. Uno, eodemque tempore intus exhibentur aliquot cyathi infuſionis florum Salviæ, & foliorum Argentinæ, vel decotionis Terræ Japonicæ, vel, quod utilius experitur, decoctionis Chinæ, & Salſæ-parillæ radicis.

Boli etiam præſcribi poſſunt ex Catechu, Maſtice, Sanguine Draconis, Caſcarilla ſyrupo ſubacta roſarum exſiccatarum, aut ſtecadis; etiamſi interna remedia in hoc morbo parum levaminis afferant:

5. Modo tempeſtas idonea ſit, aquæ thermales uſuveniunt, quæ elaterium vaginæ ſuſtineant; per injectionem, ipſæ embrocatiorem, aut balneum extrinſecus, adhibentur; intrinſecus etiam exhibentur; vel per ſellam familiaricam earumdem vapores in uterum recipiuntur.

6. Hypogaſtro vero, & renibus applicatur emplaſtrum contra rupturam, vel emplaſtrum Mad. *Fouquet*; non quia valide agant; verum, ne ægras exanimemus iis remediis indulgendum videtur.

7. Tandem ſi uteri deſcenſus progrediatur, & ægræ magis deſides fiant, doloremque in utero perſentiant, uteri orbiculum ſtatim applicare oportebit, qui tutius eſt remedium adverſus morbi progreſſum; ſequenti articulo methodum oſtendemus, qua impendi debet.

II. Si uterus intra vaginam ad orificium uſque deſcendat incuriæ patientis, aut niſus præcipitis ergo, deſcenſus incompletus ſit; noſtrumque videtur ſtatim uterum ad naturalem ſtatum reducere.

1. Hac de cauſa inverſa ratione decumbant ægræ, ut venter coxis inferius locetur; verum digitis pinguedine oblinitis leviter uterus reponitur; vel peſſarii ope filo nexi, & althææ decoctione imbuti uterus reducitur.

2. Plerumque facilis eſt hujuſmodi operatio, quam interdum ægræ ipſæ patrant; poſtquam crura denuo jungi fas erit, in eodem poſitu diu perſiſtendo donec omne novi prolapſus periculum abſit.

3. Interea orbiculus paratur ovalis ex ſubero confectus, lato foramine pertuſus, ut menſes erumpere valeant, ex una parte connexus, ex altera leviter concavus.

4. Hujus inſtrumenti amplitudo reſpondere debet vaginæ largitudini, & divaricationi fœmorum; ſecus enim inutile evaderet pro exiguitate, vel nocuum pro longitudine.

5. Quando aptiorem formam adeptus ſit hujuſmodi orbiculus cera alba, terebinthina Veneta, & Maſtice oblinitur, ut levigatus fiat, neve pudenda lædat.

6. Orbiculus ita paratus oleo, aut butyro recenti inungitur, ut facilius per longum vaginæ introducatur uſque dum uterum pertingat; obvertitur tunc, ut oryzontali poſitu perſiſtat; ea ratione, ut convexa pars uterum reſpiciat.

7. Hac ratione inſtrumentum nunquam prolabi poterit, neque uterus eo quod ipſum ſuſtentat; neque veſicam, aut rectum comprimere, quia in ſua latitudine majori anguſtia donatur; at foraminis ergo in medio locati menſes

fluere poterunt, atque jugatæ viro uti, imo concipere perſiſtente orbiculo qui partus tantum occaſione removeri debet.

8. Si uterinus orbiculus rite fabrefactus ſit, ei facile ægræ aſſueſcunt, at valde moleſtus evadit ſi imperfecte elaboratus fuerit; ſi brevior ſit, quam par eſt, fundo vaginæ fluctuans tandem decidit, ſi longior vaginam nimis diſtendit; ſi latior premit rectum, aut veſicam.

9. Cum ille idoneo loco appoſitus ſit, ægræ tuto, & facile incedere poterunt citra aliud quodvis remedium; itaque ſat erit exigpa ſpongia decoctione adſtringenti imbuta interdum partem humectare, etiamſi difficillime coarctari poſſit vagina continenter ab orbiculo illo diſtenſa.

III. Si uteri deſcenſus completus ſit extra vaginæ orificium protenſus, ut prope pudenda conſpiciatur, ſtatim reductionem tentare debemus antequam intumeſcat.

Ut id facilius obtineatur, urinas ciere, vel ſyringa evacuare, tum inteſtina clyſteribus expiare primum oportebit; verum uterum fovere tepenti decoctione Althææ, aut mucilagine ſeminum lini; poſtea methodo ſuperius allata reponitur, quod plerumque obtinetur, modo cito occurramus.

At ſi ſero medicus ſuperveniat, atque uterus grandior, & compactior reperiatur in caſſum reductione prudenter tentata, ſequentia auxilia præſcribi neceſſum erit; & primum.

1. Bis brachium incidere, decem, aut duodecim uncias extrahendo ſanguinis.

2. Uterum fovere decoctione emollienti radicis Althææ, Cepæ, Liliorum, & foliorum Malvæ, Althææ, Brancæ Urſinæ &c. eaque linteum imbuere utero pluries apponendum.

3. Cataplaſmata etiam applicantur ex mica panis, & lacte confecta, vel emollientia cataplaſmata pulpa parata earumdem plantarum, & oleo liliorum, vel agmidalorum dulcium.

4. Semibalnea tepentia interdum uſuveniunt ex iidem decoctionibus, in quibus unicam, vel duplicem horam ægræ detineri debebunt.

5. Tandem, dum ægræ remediis hujuſmodi ſubjiciuntur, lectulo quieſcere debent ſupra dorſum decumbendo elevatis clunibus, ut facilius ſanguis ab utero revehatur.

Quando iis remediis voluminis imminutionem obtineamus, vel majorem ſaltem mollitiem, denuo reductionem tentare prudenter fas erit.

Si id contingat, ægræ jam convaleſcent; at cum in ea operatione multum uterum paſſurus ſit, adhuc plures dies decumbere ægræ debebunt idoneo poſitu in lectulo perſiſtendo; venæ ſectio tunc convenit ſemel, vel bis inſtituta; tum emollientia fomenta *hypogaſtrio* applicita; & rectum vitæ regimen.

Tandem, ſi dolor, & calor uteri, aut vaginæ abierit, orbiculum tutius erit intromittere primum exiguum, ſed idoneum, ut paullatim aſſueſcant.

IV. Si uterus inflatus valde, atque durus appareat, ut reduci nequeat, ægram ſane commiſerari debemus in hoc teterrimo caſu; verum cum morbus incurabilis evadat, palliativa medendi ratio inſtitui neceſſe erit, quæ moleſtas conſecutiones levet & uterum tueatur ab urinæ acrimonia, aut ſuperventuro ulcere.

Id obtinebitur uterum crebro abluendo decoctione radicis Biſmalvæ, aut Hordei, vel ipſum obtegendo cerato Galeni, aut tela ceruſa oblinita; leviores ſciſſuræ foventur decoctione radicis ariſtolochiæ, aut unguento Stiracis induuntur, frequentibus etiam fomentis quantum fieri poteſt impeditur compactio uteri, aut ſcirrhus, at plerumque incaſſum iis adhibitis cautelis ulcere & gangræna fœdatur, aut ſcirrho, vel carcinomate; tunc enim jam ægræ in faucibus Orci videntur, ideoque uterum amputare licebit, quod tamen plerumque infelicem habet eventum; ſufficit tamen, quod interdum amputatio utilis experta

perta ſit ad hoc, ut in extremo caſu præſertim in juvene, veluti bene conſtituto ſubjecto, tentari queat.

Cum raro id patrari contingat, ſupervacaneum cenſeo fuſius operationem explicare, fas erit animadvertere.

1. Debere vinculo prope vulvam uterum circumcingi matricem extra producendo nonnihil, modo ſcirrhoſa appareat.

2. Cavere ne veſicam tunc ſimul vinciamus, quod obtinebitur veſicam tepenti aqua injectando.

3. Verum uterum ſupra vinculum falcato cultro ſecare.

4. Omni diligentia, atque artis majori ſcrutinio pro diverſis morbi circumſtantiis ulceri mederi noſtrum erit; modo vero vinculum deciſum fuerit, & ulcus cicatriſationi proximum, reponere interius debebimus vaginæ reliquias in vulva ſuperſtites.

CAPUT XI.

De morbis, qui uteri deſcenſum reſpiciunt.

HUjuſmodi ſunt ſarcomata, aut carneæ vaginæ excreſcentiæ, ſive productiones portionis alicujus internæ ejuſdem tunicæ; atque uteri obverſio, quæ ut fuſius explicentur, plures diſtincti Articuli inſtitui debent.

ARTICULUS PRIMUS.

De ſarcomate, aut carnea vaginæ excreſcentia, ac de productione, aut prolapſu partis alicujus intimæ vaginæ membranæ.

QUæ adhuc dicta ſunt in poſtremo capite circa uteri deſcenſum obſervationibus perbelle confirmantur.

Mirum ſane eſt medicos plures, (*a*) infra recenſitos in dubium revocaſſe matricis deſcenſum, eumque pro ſarcomate, Vaginæ excreſcentia, aut productione habuiſſe.

Etiamſi hujuſmodi morbus raro eveniat, numquam vidiſſe credendum eſt, qui illum contendunt; facile enim eſt prolapſum uterum diſtinguere a firmitate, volumine, figura, atque collo, vel roſtro lævigato, paucis vaſculis ſcatente rima vero inſtructo, a qua menſes periodice prodeunt, modo ægræ ipſum reduci renuant, vel pro magnitudine reſtitui nequeat; demum ſi matricem amputare neceſſum fuerit, cruciatus, & inſtans Gangræna morbi naturam aperiet, ſectumque corpus uterum fuiſſe oſtendet.

Parens (*b*) circa hoc certior factus eſt, nam diſſecto mulieris cujuſdam utero, quæ ab amputatione etiam convaluit, cum audiret paucos poſt menſes a Pleuritide necatam fuiſſe, ipſam diſſecuit, obſervavitque matricis loco corpus calloſum adeſſe, quod oſtium vaginæ obturabat.

Interdum accidit vaginæ deſcenſus, aut morbi, qui hoc nomine inſigniuntur, totidemque ſpecies conſtituunt ab uteri deſcenſu diverſas, ut infra apparebit tum cauſarum, cum medelæ reſpectu.

(*a*) Joh. Meeckeren, *Obſervat. Chirurg. Cap.* 51. Henricus a Roonhuyſen, *Obſervat. Part. I. Obſervat.* 2. Theodorus Kerckringius, *Spicileg. anatom. Obſervat.* 20. Johannes Van-Horne, *Microtechn. Sect. II. Part.* 1. §. 18. (*b*) Lib. XXIV. *Cap.* 48.

ARTICULUS II.

De uteri obverſione in eo prolapſus ſtatu.

INterdum uteri fundus obverſus vaginæ orificio ſe præbet, videlicet reflectitur cucurbitam referens, exiitque ſecum uterum trahendo, ut tumorem rotundum grandiorem efformet, quem ſæpe pro vulgari uteri deſcenſu habent de quo ſuperiori Capitulo locuti ſumus.

Hæc calamitas plerumque partui ſuccedit imprudentiæ ergo obſtetricis, quæ placentam violenter nimis abraſerat; ſecum fundum uteri obvertendo; vel, quod crebrius accidit, convulſivæ conſtrictionis cauſa, quæ uterum ſuccutiendo in laborioſo partu fundum exterius propellit, ut in violentiori colica ſæpe evenit ubi alterum inteſtinum alterum intrare ſolet.

Hujuſmodi morbi ſtatus dolorem ſæviſſimum comitem habet, quem ſubſequuntur inflammatio, gangræna, & mors ipſa, ſi cito non occurramus uterum prolapſum reducendo; id ſufficeret ad diſtinguendum deſcenſum ab uteri obverſione; hæc in partu tantum evenit, ille interdum puerperii conſequens eſt, verum citra partum etiam ſuccedit; obverſio letalis plerumque eſt, quando cito ei non medeamur, deſcenſus minus periculoſus evadit, ſegniuſque agit, at hujuſmodi diverſæ ſpecies deſcenſus ſubſequentibus ſignis facilius deteguntur.

1. In uteri obverſione, quaſi cucurbita ſe præbet extrorſum, in deſcenſu vero naturalem poſitum plerumque reſpicit, atque nulla obverſio apparet.

2. In ea pariter rotundum corpus ſe offert, extrinſecus pulpoſum, involutum, in quo neque roſtrum conſpicitur, neque collum, aut orificium; in deſcenſu vero uteri roſtrum, collum, & orificium diſtinguuntur, verum prolapſum corpus levigatum firmum, & ovale apparet.

At ſatis eſt, quod adhuc dictum eſt, eoque mittimus lectorem ubi de partu locuturi erimus, ſi fuſiorem deſcriptionem poſtulaverit.

CAPUT XII.

De Morbis, qui Ovaria, & Tubas infeſtant.

ARTICULUS PRIMUS.

De Morbis, qui Ovaria lædunt.

§. I.

Deſcribuntur Ovaria, eorumque Morbi.

I. OVaria corpora duo ſunt modice extenſa, figura ovali donata, nonnihil depreſſa, dextrorſum, & ſiniſtrorſum tribus circiter digitis ab utero diſſita, & circa uteri fundum membranaceis utrinque ligamentis connexa, ea peritonæi expanſione ſuſpenſa, quæ lumbis peritonæum nectit, ut ligamenta lata uteri producat.

Ambo ovaria, ut & cetera viſcera, propria tunica involvuntur, ac propriis vaſis, arterioſis, venoſis, lymphaticis, & nervis valde referta ſunt, at fruſtraneum eſt fuſiorem hic eorum vaſorum deſcriptionem afferre, quæ parum, vel nihil ad morborum eorum originem faciunt.

Po-

beantur, quæ illas exſiccent; vel extra vulvam protenſæ aeris actionem diu paſſæ ſint, quod præſertim timendum eſt de ſarcomatoſis proceſſibus.

3. Sarcomata ſicca ſunt, nullamque humiditatem effundunt; aliquam vero ſeroſitatem effugere ſinunt productiones vaginæ; denique ex fungis ſanioſus, & cruentus ſtillabit latex.

4. Tandem hujuſmodi excreſcentiæ longiores, vel breviores erunt; craſſiores, vel graciliores, prout cauſæ validiores, aut diuturniores exiſtent.

§. III.

Symptomata.

1. Vaginæ deſcenſus dum exigui ſunt neque dolorem, neque pondus, neve diſtractionem pariunt; tum parum infeſtant, modo non extendantur, & vaginam, atque vicinas partes comprimant, quod in ſarcomate præſertim oriri ſolet.

2. Incommodi valde experiuntur ipſi pro moleſtiis, quas inferunt; vel quia ſerum, aut ſaniem effundunt; vel menſes, aut fluores albos intercipiunt, quamquam ægræ ſæpe abluantur.

3. Implicant, vel ſaltem moleſtum reddunt matrimonii uſum, ejuſque ſcopo officiunt.

4. Si utero graves fiant, quod facile evenit, difficulter pariunt.

5. Tandem hujuſmodi protuberantiæ temporis diuturnitate ſcirrhoſæ plerumque evadunt, ſed in cancrum degenerant, quod præſertim ſarcomata reſpicit.

§. IV.

Diagnoſis.

Vaginæ deſcenſus modo grandiores fiant, ut ſupra admonuimus, cum uteri deſcenſu facile confundi poſſunt, omnis tamen difficultas evaneſcet, modo animadvertere velimus:

1. Vaginæ deſcenſum longum, flexile corpus repræſentare, vel a fungis, vel a vaginæ productione ipſum dependeat; uteri vero prolapſum corpus præſeferre rotundum, craſſum, ovum referens lævigatum, & rima inſtructum.

2. Sarcomata denique plerumque ampliora eſſe, ut interdum volumen uteri referat, inæqualia, & anguloſa; uteri corpus verum acuminatum apparere, ut pirum perbelle repræſentet, quæ eſt vera uteri imago.

3. Digito intromiſſo facile productionum earum adhæſiones deteguntur, etiamſi fundum vaginæ deturparent; uterus vero prolapſus utrinque inſulatus apparet, & digito circumſcribitur.

4. Tandem uteri deſcenſus, modo reductionem obtineamus, ibidem perſiſtit, niſi a vehementiori niſu denuo prolabatur; vaginæ vero productiones, etiamſi digitis reſtituantur, iis remotis ſtatim decidunt.

§. V.

Prognoſis.

1. VAginæ excreſcentiæ, aut plicarum productiones moleſtæ plerumque evadunt, pluraque incommoda inducunt, quibus vexantur ægræ, ut difficilius munera connubii implere valeant.

2. Modicum tamen periculum conjunctum habent, eaſque diu ægræ perferunt, imo crebro ipſas non animadvertunt, niſi ſanguinis jacturam inducant.

3. Nihiloſecius illas neſas eſſet negligere neceſſaria remedia omittendo dum grandiores, calloſæ, ſcirrhoſæ, aut ſpongioſæ fiunt, vel cruentum effluvium, aut hæmorrhagiam inducunt.

4. Hujuſmodi ſollicitudo neceſſariſſima videtur, quando excreſcentiæ extra vulvam producuntur, nam aeris contactus, & induſii frictio cito illas ſcirrhoſas reddit; ſæpe etiam carcinomatoſæ evadunt.

5. Generice tutior methodus eſt hujuſmodi morbum ſtatim cum ægras ipſe adoritur, idoneis compeſcere remediis, nam ei tunc temporis facilius eſt, tutiuſque mederi.

§. VI.

Curatio.

IN hoc morbo medendi ratio pro natura ſpeciei morbi diverſa variare ſolet.

I. Si excreſcentiæ vaginam occupaverint, inutile eſt reſolutionem, aut exſiccationem tentare reſolventibus, aut adſtringentibus; nam eorum remediorum uſu durities intenditur; ſalubrius erit eſcharoticis excreſcentias abradere, aut forbice conſcindere.

1. Eſcharotica diuturniora evadunt modo excreſcentiæ grandiores ſint, aut calloſæ; verum interdum ſanæ propinquæ partes lædi poſſunt; tandem ea remedia dolorem, & inflammationem vaginæ plerumque inducunt.

2. Amplecti igitur potius debemus amputationem; olim difficillime pedicini vinciebantur antequam conſcinderentur, neque tamen ipſis facile erat perfecte protuberantias extirpare; nunc ſimpliciorem methodum inveniri, at in noſtro caſu vincula fruſtranea videntur, nam gravis hæmorrhagiæ periculum abeſt, ut rotundæ ſufficiant aqua aluminoſa imbutæ ad cruoris jacturam ſiſtendam.

3. Poteſt enim modo poſitum morbi cognoſcamus ipſum extirpari, hac de cauſa ſiniſtræ manus ad pedicellum uſque indice digito intromiſſo longiori forbice circa digitum introducitur, eo pedicello comprehenſo ſollicite omnis ſcinditur protuberantia,

4. Poſſumus leve ſanguinis jacturam permittere, at ſiccis filamentis, quibus vagina repletur, facile, citoque cruentum ſiſtitur effluvium; ſi id non ſufficiat, torundæ aqua aluminoſa, aut ſtiptica imbutæ intromittuntur, poſtero die decidunt filamenta, & ulcus vulgari digerenti pauco balſamo Arceu remixto pertractatur, ut hac methodo facile convaleſcat; neceſſum tamen erit perſcrutari an ulla calloſitas circa pedicellum ſuperſit, in quo caſu illa deſtrui debet pulvinos applicando unguento bruno oblinitos, aut ſolutione lapidis corroſivi imbutos tuendo ſanas partes ſiccis filamentis.

5. Donec hujuſmodi medendi ratio completa videatur dorſo tantum continuo ægræ decumbere debent, hoc regimen ſollicite obſervando; verum modo hanc operationem

tionem nulla febris conſequatur, majori nutritioni erit indulgendum; tandem jam convaleſcentibus ægris vaginam injectare fas erit decoctione hordei radicis Ariſtolochiæ, Melle Roſato, vel ſalubrius, Aquis Thermalibus de *Plumbier Bourbon*, & *Barege*.

6. De cetero cum ſuſpicemur a lue Gallica morbum derivare, frictiones mercuriales uſuveniunt idonea methodo inſtitutæ inunctionem protrahendo ad medium medelæ curſum.

II. Si ægritudo ſimplex laſſitudo, aut productio ſit plicæ cujuſdam, aut portionis internæ vaginæ tunicæ, noſtrum erit tunc laxatam partem exſiccare, atque ad naturalem ſtatum reducere.

Id implebimus exſiccantia adſtringentia, & ſtiptica remedia adhibendo, quæ duplici ratione præſcribi poſſunt exhibendo, vel

1. Decoctiones, quibus etiam imbuuntur peſſaria linteo involuta; aut graciliores ſpongiæ, quæ affectæ parti apponuntur; plantæ, quæ decoctionibus cedunt plerumque ſunt

Corriaria
Nux Cupreſſi
Gallæ
Cortices granatorum
Flores granatorum

Folia Myrthi
Equiſeti
Burſæ Paſtoris
Plantaginis
Piloſellæ &c.

ebulliendo earum ſtirpium tres, vel quatuor, in aqua de *Forge*, de *Mareſchal*, aut duplici drachma vini albi.

3. Suffumigia per ſellam familiaricam recepta locum habent parata ex ſequentibus pharmacis, quæ ſunt

Thus
Maſtix
Ladanum
Roſæ exſiccatæ
Sandaraca

eorum duo, vel tres ſeligendo quæ anatina doſi ſimul permiſcentur, & ſupra prunas inſperguntur, quorum vapores per aptum tubulum intra vaginam recipiuntur.

3. Animadvertendum eſt, hujuſmodi productiones evaneſcere in iis, quæ utero graves fiunt, modo in hoc ſtatu nonnihil progrediantur; nam uterus tunc in pelvi regrediens aucti voluminis ergo vaginam producit, omneſque plicas tollit; at morbus poſt partum cito, ſæviorque revertitur.

4. Si pro craſſitudine hujuſmodi productiones incommodæ magnopere evadant, vel in ſcirrhum, aut ulcus degenerent, ſtatim ipſas ſecare oportebit propoſitam methodum proſequendo, quam circa excreſcentiæ amputationem propoſuimus.

AR-

§. I.

Deſcriptio deſcenſus Vaginæ.

NEutiquam integra deſcendit vagina, quod impoſſibile eſt, ſed ejuſdem pars aliqua, ſeu melius tunicæ internæ portio, quare merito vaginæ *productio* potius dici debet.

Hujuſmodi productiones inter ſe multiplici de cauſa valde differunt.

1. Vel ratione indolis deſcenſus; nam modo ſarcomata ſunt, aut carneæ excreſcentiæ interius adhærentes; modo *fungi* in aliqua vaginæ parte locati; modo plicarum innumerarum tranſverſalium, quibus vagina ſcatet, proceſſus videntur.

2. Qualitatum reſpectu; quando molles ſunt illæ productiones, flacidæ, ſpongioſæ, varicibus interſperſæ, quæ lymphaticum, ſranioſum, aut cruentum effluvium ſinunt; quando compactæ, atque firmæ; quando calloſæ, & ſcirrhoſæ apparent.

3. Craſſitudinis, & longitudinis ergo; nam modo graciles ſunt, & fluctuantes; modo grandiores, ut vaginam repleant; aliæ longiores ſunt, ut extra vulvam quandoque porrigantur; modo breviores, ut vix ad orificium vaginæ pertingant.

4. Tandem adhæſionum reſpectu; etenim vel fundum, vel latera, vel orificium vaginæ lædunt lata, aut anguſta baſi.

§. II.

Cauſæ.

ERgo vaginæ deſcenſus tres complectitur claſſes pro diverſa, quam præſefert, natura, 1. Sarcoma nempe, 2. Fungum, 3. Vel ſimplicem productionem interioris vaginæ tunicæ, quæ totidem cauſas recognoſcere debent.

I. Ad ſarcomata quod attinet, ipſa eadem de cauſa increſcunt, ac in ceteris partibus nata ſunt, ut in Tractatu de *Tumoribus*, & *Ulceribus*, vidimus Lib. V. Cap. VI. ſat erit hic enunciare, in vagina hujuſmodi tumores a caruncularum myrtiformium nonnullis originem ducere acrimoniæ albi fluoris, aut luis venereæ ergo.

II. Fungi autem ab ulceribus incomplete deterſis, quæ ſpongioſam carnem producunt, naſcuntur; ulcera vero illa producunt plerumque albus fluor, lues venerea, aut titillamenta nimia facta, vel permiſſa.

III. Simplices vaginæ productiones nimiæ vaginæ diſtenſioni tribuuntur, quam graciliores præſertim paſſæ ſunt in laborioſo, difficili, aut crebro partu; poſt fœtus enim expulſionem tunica muſcularis facile conſtringitur, nervea tamen difficilius conſtipatur, pluresque plicas gignit, quarum alterutra a lymphæ nutrientis ubertate facile producitur; eademque cauſa internam recti tunicam in infantibus quandoque producendo putatum prolapſum inducit.

His explicitis facilius differentiæ earum productionum ſanciuntur.

1. Modo enim fundum, latera, aut orificium vaginæ ipſæ lædunt pro diverſa parte, quam cauſæ producentes aggreſſæ fuerint; adhæſiones ſimul latiores, vel anguſtiores apparebunt, prout ampliorem, vel arctiorem infeſtaverint partem.

2. Si illæ protuberantiæ ſarcomatoſæ ſint, compactiores obſervabuntur; molliores vero, ſi productiones ſimplices ſint vaginæ; at omnes duriores una fient tractu temporis, calloſæ, & ſcirrhoſæ etiam cum adſtringentia cito nimis adhibean-

Potiſſimum tamen eſt ovaria animadvertere duplici ſubſtantia conſlari; *altera* ſuperiorem partem, ſeu externam reſpicit, quæ ex fibrarum tendinearum contextu coagmentatur, minuſque compactam ſubſtantiam, ſeu ſpongioſum corpus conſtituit, *altera*, quæ inferior pars eſt, ſeu intimior, pluribus exiguis cellulis interſperſa videtur membranaceis, & diſtinctis, in quibus exigua ſphærica veſicula continetur limpidiori lympha repleta.

Singulæ veſiculæ proprio pedicello ſuis cellulis adhærent; eæ confertiſſimæ, & inter ſe valde ſimiles ſunt quoad figuram attinet; at magnitudine differunt, nam aliæ piſum non ſuperant, aliæ grano Miliaceo non exiguiores ſunt.

Plures obſervationes docuerunt, hujuſmodi cellulas rima inſtrui valde arcta, & in ſtatu naturali vix patenti, quæ tamen reſeratur dum veſicula pro conceptione inflatur, ut veſiculæ exitum ſinat quæ tubas intrat; animadverterunt etiam diu poſt veſiculæ deſcenſum ovarii ſemitam, per quam veſicula ſibi pandit viam, rubram perſiſtere, quam *cicatriculam* appellarunt; cicatricularum ergo numerus reſpondet in ovariis numero fœtuum in utero degentium.

Centum ab hinc annis & ultra, qui hanc materiam perſcrutati ſunt, & generationis myſteria intimius examinarunt, ſanxerunt, brutorum generationis analogia ducti inter Ovipara, & Vivipara animalia, hujuſmodi veſiculas totidem ovula præſtare generationi inſervientia, modo virili ſemine fœcundata ſint, qua de cauſa ea duo corpora ovaria appellarunt.

II. Hujuſmodi corpora præter morbos ceteris partibus communes, ſpecialiter corripi poſſunt.

1. Inflammatione, quæ in reſolutionem, abſceſſum, aut gangrænam degenerabit.

2. Scirrho interdum continuo, interdum in plures globulos diſtincto, quod præſertim attinet ad externam ſpongioſam ovarii ſubſtantiam; qui ſcirrhus quandoque in cancrum immutatur.

3. Inter ceteros morbos ovarii proprios recenſentur (*a*) hydatides, aut veſiculæ diverſa magnitudine præditæ, externæ ovariorum faciei adhærentes, & lympha granuloſa, & translucida repletæ.

4. Verum (*b*) Hydrops ſaccata in qua aquæ intra ſacculum membranaceum diverſo volumine, & craſſitudine pollentem detinentur.

5. Fœtus conceptio in ipſo ovario, ubi ille interdum creſcit, ſacculum referens, de quo plures ineluctabiles (*c*) obſervationes traduntur.

6. Tumores Cyſtici *ſteatomata* nempe, *atheromata*, aut *meliceritès* (*d*), qui plerumque cellularem, aut intimiorem ſubſtantiam ovarii pervertunt; eorum volumen variat pro circumſtantiarum diverſitate; contenta etiam materies *caſeoſa*, ſebacea, puriformis, plus minuſve ſpiſſa, aut diverſis coloribus referta fuſco, cinereo, aut luteo conſpicitur: at quod mirum eſt, intra hos tumores interdum capil-

(*a*) Memoires de l'Academie Royale des Sciences, An. 1711. Acta Berolinenſia Vol. VII. p. 76.

(*b*) J. Riolanus, Anthropogr. Lib. II. Cap. 35. Fridr. Ruyſchius Obſerv. anatomic. 27. J. B. Bianchi de Generatione p. 187. Hans Sloane; Tranſact. Philoſ. An. 1699. *num.* 252. *art.* 1. Henricus Sampſon *ibid.* An. 1678. *n.* 140. *art.* 1. Jacobus Douglas, Medicus *ibid.* An. 1706. *nu.* 308. *art.* 2. Joannes Belchier, *ibid.* An. 1732. *num.* 423. *art.* 3. Joannes Huldrieus Peyer. Im-off. in Theſibus defenſis Baſileæ, An. 1719.

(*c*) Obſervatio inſerta in Diario Medico Abbatis de la Roque menſe Januarii 1683. Latine verſa in Bibliotheca Anatomica Tom. I. pag. 623. Alexius Litreus Memoires de l'Academie des Sciences An. 1701.

(*d*) Fridericus Ruyſchius, Adverſ. Anatomic. Decad. I. p. 6.

capillorum glomos reperiri (*e*) a vulgaribus capillis haud abſimilium, ſed ſubtiliorum.

§. II.

Cauſæ.

POſtquam generaliores cauſas examinavimus plerorumque morborum, qui uterum reſpiciunt, ſupervacaneum videtur, fuſius eas reiterare; ſufficiet itaque eas breviter indicare.

1. Ovaria æque ac uterus eaſdem cauſas inflammationis cognoſcunt, imo ovariorum inflammatio uteri inflammationi neceſſario ſuccedit; ambo enim ovaria inflammabuntur, dum integer uterus phlogoſi laborabit; alterutrum ſi alterutra uteri pars corripietur.

Conſecutiones hujus inflammationis illæ ſunt, quæ uterum inflammatum conſequuntur; ſi hæc inflammatio per reſolutionem evanuerit, ea pariter deſiſtet; ſi in abſceſſum, aut gangrænam degeneraverit; idem pariter de ovariorum inflammatione futurum erit.

2. Scirrhi, qui ovaria deturpant, a lymphæ mora procedunt intra eorum ſpongioſam ſubſtantiam retentæ; ſi lympha omnem ovarii ſubſtantiam fœdaverit, unicum tumorem; ſi in diverſis diſtinctis cellulis induruerit, plures tumores ſegregatos efformabit.

Præter cauſas *Cap. V. Lib. II.* ſuperius indicatas, quæ valent tum in utero, cum in ovariis lympham ſiſtere, & ſcirrhos generare, ſpeciales nonnullas ovaria recognoſcunt. Inter ea recenſetur primum amoris voluptas, quæ cum ovaria tum ceteras propinquas partes in motum ciet convulſivum, qui lymphæ curſum intercipere, vel ſaltem retardare potis erit; præſertim ſi contraria pathemata mœroris, & verecundiæ ſuperaddantur; hac de cauſa filiæ magis, aut viduæ, quam mulieres, huic morbo ſunt obnoxiæ.

Poſt ea, quæ ſuperius *Cap. VIII.* dicta ſunt circa cancri uteri generationem, ſupervacaneum erit hic animadvertere, & in ovariis ſcirrhum indureſcere, perfici, & in cancrum converti poſſe iiſdem de cauſis, quæ in ceteris partibus hanc methamorphoſim producunt.

3. Etenim dum lympha ſpongioſam ſubſtantiam ovarii invadit, ſcirrhum gignit; at ſi lymphatica vaſa extrinſecus diſtributa infarciat, hydatides producit, quæ a dilatatione valvularum eorum vaſorum originem agnoſcit, ut in *Tractatu Tumorum Lib. III. Cap. II.* explicavimus; ideoque cauſæ omnes, quæ lymphæ refluxum impedient, modo debiliores ſint, hydatides tantum ovarii ſuperficiales plus minuſve uberrimas, aut expanſas producent in ratione majoris, vel minoris earum cauſarum actionis.

Haud impoſſibile eſt ambo ovaria hydatidis undique obtegi, at id raro evenit; plerumque enim vel alterutrum, vel eorum pars aliqua hoc morbo ſolet laborare.

Non

(*a*) J. Bauhinus apud Theoph. Bonetum Sepulcr. Lib. III. Sect. 33. Obſervat. IV. *n. 6.* Et apud J. Schenekium, Lib. IV. Obſervat. 126. C. Bauhinus Anatom. Lib. I. Cap. 31., & apud Hercul. Saxoniam de Plica C. 12. Guillelmus Fabricius Hildanus. Obſervat. Chirurg. Cent. V. Obſerv. 48. Gregorius Horſtius, Obſerv. Medic. Lib. IV. Obſerv. 53. Daniel Sennertus, Lib. IV. Par. I. Sect. 2. Cap. 20. Joannes Rhodius, Obſerv. Cent. III. Obſerv. 44. Acad. de Scienc. Ann. 1743. pag. 82. H. Cornelius Centur. II. Obſerv. 27. Auguſtinus Buddeus, Miſcellan. Berolin Contin. II. p. 16. Martinus Maboth. in Diſſertat. de Sterilitate Cap. 2. Jacques Yonge, Tranſ. Philoſoph. An. 1707. *n.* 309. *art.* 6. Polycarpius Cottlieb Schaeher. in Commerc. litterario Norimbergenſi, An. 1736. p. 103. & in Diſſertatione de Ovarii tumore piloſo, Lipſiæ 1735. quæ proſtat Tom. IV. Collect. Hallerianæ.

Non deſuerunt auctores, qui crediderunt hydatides conflari ex ovulis, aut veſiculis inflatis in cellulis ſuperius deſcriptis fluctuantibus; at haud facile hoc explicare poterimus, cum ovula illa tunica ovarii undique circumveſtiantur.

4. Si hydatis valde ingrandeſcat ſacculum præſefert ſeroſitate lymphatica repletum, ſeu melius hydropem ovarii, quam plures obſervationes confirmant; interdum hujuſmodi ſacculus inſulatus apparet, interdum pluribus aliis exiguioribus hydatidibus refertus, has differentias faciunt poſitus obſtaculi, quod lympham in unico, aut pluribus vaſculis retardat, vel dilatabilitas diverſa vaſorum lymphaticorum.

5. Merito ſane mirati ſunt, qui fœtum in ovario detexerunt, & conceptionem ibi longe ab utero perfici poſſe obſervarunt, id tamen certiſſimum eſt; vix enim percipitur qua ratione ſperma uſque illuc pertingat, at cum pluribus (*a*) obſervationibus id ſulciatur, ſtatuendum erit a denſitate obtegentis tunicæ, rimæ anguſtia, aut crebrius a convulſiva criſpatione partium oriri, quæ in iis circumſtantiis verecundiæ, diſplicentiæ, aut libidinis ergo mulieres vexat, quare hujuſmodi phœnomenon in filiarum emortuarum diſſectione plerumque apparuit.

6. Cyſtici tumores ovaria æque ac hydatides infeſtare poſſunt, docuimus jam in noſtro *Tractatu de Tumoribus* ab iiſdem cauſis ipſos derivare, quæ hydatides faciunt, & Ruyſchius (*b*) obſervavit eamdem naturam præſeferre.

Præter vulgares cyſticos tumores ſingulariſſimæ ſpecies in ovariis tumorum efformantur putreſcentiæ embryonis ergo ibi corrupti; ii ſteatomatoſam indolem præſeferunt, & purulentam magis materiem effundunt, quam in ſteatomate, aut atheromate, abſceſſuſque habitum æmulantur.

In iis tumorum ſpeciebus, ut jam admonuimus, pilorum glomi reperiuntur, quos uſque adhuc Anatomici præclariſſimi explicare neſcierunt; ſuſpicor enim non abs re glomos illos ex capillis conflari emortui fœtus; verum ſi (*c*) Ruyſchio fidendum ſit, repererunt racemum dentium, qui certo embrioni tribuuntur, qui augeri continuavit ut (*d*) Blancus putat, qui pariter credit majus dentes augmentum adeptos fuiſſe quindecim menſes poſt mortuum fœtum in utero ſuperſtitem.

§. III.

Symptomata.

Generice adhuc recenſitas calamitates haud facile eſt ſymptomatum apparitione determinare.

I. Tamen ovarii inflammatio calorem, atque dolorem hypogaſtri comitem habet, quæ phœnomena tamen, & febris ipſa uteri inflammationi tribuuntur, quæ plerumque læſa ovaria præcedit.

Ovarii abſceſſus morbi initio valde exiguus eſt, ut vix perſentiri queat, modo vero amplior fiat, alterutram partem tendit, obtuſo dolore afficit, febrilem commotionem inducit, ut in ceteris internis abſceſſibus.

Gangræna vero eodem tempore, ſerius tamen fortaſſe ac uterum, ovaria aggreditur, eademque ſimul phœnomena inducit, quæ ſuperius *Cap. II.* indicavimus.

II. Scirrhus hujus partis primum latitat, at volumine aucto inceſſum nonnihil impedit, ſenſumque tenſionis inducit, interdum etiam tactu diſtinguitur.

III. Non

(*a*) Ruyſch. *Theſaur. V. n.* 21. & *Adverſ. Decad. I.*
(*b*) Idem *de Valv.*, *Cap. IV. Obſerv.* 25.
(*c*) Adverſ. Anatom. *Decad. III. p.* 6. & 26. *Mem. Acad.* An. 1743. *p.* 88.
(*d*) *De generatione p.* 142. 143.

III. Non ita evenit de hydatidibus, aut hydrope ovarii inquiſitione; ſero enim hydatides cognoſcuntur, & hydropem tunc adeſſe fatemur quando ipſa maximum volumen adepta fuerit, quod circumſcriptum ad alterutram partem hypogaſtri apparebit.

IV. Conceptionis, quæ in oviariis fit, mulieres nullum indicium animadvertunt, imo fœtus perit antequam de eo certiores fieri poſſint.

V. Idem dicendum eſt de tumore cyſtico, qui emortuo, aut ſoluto embryoni ſuccedit, raro enim ita increſcit, ut dolorem ſenſibilem pariat, qui ſuam exiſtentiam prænunciet.

§. IV.

Diagnoſis, & Prognoſis.

I. EX iis conſequitur, ovaria inflammatione laborare ſuſpicari poſſe, quando calor, & dolor hypogaſtrum infeſtet, verum ipſa febris addatur; ſuppurationem vero aut gangrænam inſtantem fateri licebit, inflammationis progreſſus inveſtigando; verum haud facile eſt hujuſmoei morbos cognoſcere niſi cum maximum gradum adepti ſint, aut volumen ipſum aliquod præbeat indicium.

II. Prognoſis vero reſpectu omnes ovariorum ægritudines teterrimæ ſunt; ſi morbi initio recognoſci poſſent, facile nonnullis mederetur, at vix eas ſuſpicari incipimus, quando jam ad ſummam gradum pertigerunt, & pene incurabiles factæ ſunt; idcirco in noſtro caſu ſat erit morbi progreſſus retardare, & ſi fas erit, ſæviora phœnomena compeſcere.

§. V.

Curatio.

I. IN ovariorum inflemmatione, aut phœnomenis, quæ eam conſequüntur, remedia impendi debent ſuperius *Lib. II. Cap. I. & ſeq.* adverſus uteri inflammationem propoſita.

II. In ceteris vero morbis, qui ovaria deturpant, applicari debet emplaſtrum Diabotani, aut mucilaginum, vel emplaſtrum Cicutæ, poſtquam tentatæ fuerint embrocationes olei chamæmellorum, aut lumbricorum terreſtrium.

III. Circa interna remedia brachium incidere, & primas vias leviter expiare pluries neceſſum erit idoneum regimen præſcribendo, prout tempeſtas poſtulaverit, verum decoctiones amaras cum Tartaro Martiali ſolubili exhiberi poterit, tum lactis ſerum chalybeatum, aut aſininum lac, vel aquæ ferrugineæ, & ſemibalnea tepentia; boli denique uſuveniunt, decoctiones, & pthiſanæ diureticæ ad hydropem abdominis cavendam, quam ſæpe hujuſmodi morbi inducunt.

IV. Tandem in confirmata ovarii hydrope, periculoſa valde, cum acu triangulari paracenteſis inſtitui poterit, ut contenta aqua evacuetur; at ſequenti articulo cum de tubarum hydrope diſſerturi erimus, inquirere licebit quot incommoda conjuncta habeat hujuſmodi operatio, etiamſi potiſſima videatur.

AR-

ARTICULUS II.

De Morbis, qui Tubas lædunt.

§. I.

Deſcribuntur tubæ, earumque morbi.

I. TUbæ Fallopianæ canales referunt inteſtinulis haud abſimiles, quæ ab uteri fundo utrinque ad ovaria uſque protenduntur, non jam per rectam lineam, ſed huc illuc a recto tramite deflectendo, ut interdum grandiores evolutiones faciant.

Earum pars extrema, quæ in uterum inſeritur, omnes membranas perfodit, ut tubarum lumen utero per anguſtiſſimum tantum orificium communicet, hinc verſus ovaria reflectendo hujuſmodi cavitas paullatim dilatatur ad oppoſitum uſque foramen, ubi poſt novam levem tamen conſtrictionem canaliculus ampliatur valde, ut papilionis ſpeciem referat, cujus margines in plures lacinias diviſi fimbrias plures oſtendunt, a quibus *corpus fimbriatum* pars illa ſolet nuncupari.

Hujuſmodi tubæ peritonæi expanſione, quæ meſenterioli vices gerit, in naturali poſitu detinentur; at foramen ovariorum reſpiciens modo libere fluctuat, modo inferius nonnihil portione ſua aliformi ovario laxe adhæret.

In utraque tuba duæ tunicæ conſpiciuntur: altera externa, quæ membranacea eſt, altera interna membranacea ſane, ſed interius pulpoſa, villoſa, & viſcida oblinita lympha, quæ aliquam ſecretionem ibi patrari oſtendit; hæc poſtrema tunica multiplici ratione complicatur, ut rugas, aut cellulas gignit in tubarum cavitate obſervatas.

Intra illas tunicas oculis fere ſubjiciuntur fibræ muſculares longitudinales, circulares &c. quæ motum periſtalticum, aut vermicularem harum partium excitant, dum opus eſt fœcundatum ovum in utero devehere, quod ab ovariis alarum ſuarum auxilio receperunt; obſervatione id a tubis perfici ſtatuerunt: veriſimile enim eſt lacinias aliarum totidem muſculos eſſe exiliſſimos, qui inferiorem ovarii partem conceptionis tempore amplectuntur, uſque dum fœcundatum ovulum tubam intret.

II. Tubæ iiſdem plerumque ac ovaria morbis laborant.

1. Poſſunt enim inflammari, & in abſceſſum, aut gangrænam converti.

2. Scirrhoſæ fieri poſſunt, vel per integram longitudinem, vel ad alterum extremorum foramen.

3. Hydatidibus tum extrinſecus tum intrinſecus innumeris interdum ſcatent, quarum nonnullæ, ſi grandiores fiant, hydropem hujus ſpeciei inducere valebunt.

4. Quandoque ob maximam ſeroſæ lymphæ congeſtionem hydrope afficiuntur tubæ, ut plures (*a*) obſervationes confirmarunt.

5. Interdum fœcundatum ovum ibi detineri poteſt, fœtuſque augeri, ut tubas

(*a*) Nicolaus Tulpius, Obſerv. Medic. Lib. IV. Obſerv. 45. Acta Eruditorum Lipſienſia Ann. 1701. Menſ. Februario, Ephemeridum Germanicar. Decur. II. An. 2. Obſerv. 95. Jo: Baptiſta Bianchi de generatione p. 187. ubi agitur de hydrope tubarum, quæ libras 80. pendebat. Joannes Munnicks in Bibliotheca anatomica Tom. I. p. 624. Quæſtio habetur de ſimili hydrope, quæ 112. libras æquabat.

bas diſrumpat, & matrem necet; hujuſmodi geſtationis ſpecies haud raræ ſunt, enunciabimus (*b*) interea veriores, atque magis obvias.

6. Intra tubas efformari poterunt cyſtici tumores, ut in ceteris corporis partibus, tum abſceſſus, qui maximam affinitatem habent cum ovo fœcundato intra tubas, aut ovaria ſuppurato.

7. Crebrius obſervatum (*c*) eſt, fimbrias utriuſque tubæ interdum ovariis nexi, ut eæ impares evadant fœcundum recipiendo ovum, quod in abdominis cavitate decidet.

8. Tandem tubarum oſtium uterum reſpiciens, quandoque obturatur (*d*) ut vix ſetam aprinam capiat; idem ſed crebro minus altero tubæ (*e*) orificio evenit, ex eo tamen nulla conſequitur functionum læſio, modo unica ægrotet tuba, incurabilem vero ſterilitatem inducit ambarum tubarum obſtructio.

§. II.

Cauſæ.

POſt ea, quæ dicta ſunt circa cauſas, atque morbos ovariorum, pauca de tubis reliqua ſunt, tamen.

I. Tubarum inflammatio tum abſceſſus, aut gangræna ſubſecutura ab iiſdem cauſis inflammationis abſceſſus, aut gangrænæ uteri, vel ovariorum procedunt.

II. Scirrhum vero, Hydatides, aut hydropem, quibus tubæ corripi poſſunt ſatis in Tractatu Tumorum &c. explicavimus.

III. Si vero utrumque tubarum oſtium obſtruatur, lympha in iis ſecreta intra earum cavitatem cumulabitur, & hydropem generabit, quæ pro intumeſcentia vix tubas recognoſci ſinet; idem a ſola inferioris orificii obſtructione oriri poteſt, at in hoc caſu ſtagnans lympha parietes dilatando, tandem & ſupremum obturabit orificium, ut ſimilis hydrops producatur.

IV. Ovum fœcundatum pluribus de cauſis in iis detineri poteſt, modo ſerius quam par eſt ab ovario erumpit, aut pro magnitudine impar evadit, tubas intrando; modo tubæ pro inferioris oſtii anguſtia, aut obſtructione, vel debili earum periſtaltico motu ovi progreſſui officiunt; modo a rugis, aut cellulis tubarum ovi iter impeditur; in omnibus iis caſibus ovum augebitur magnopere, ut geſtationem inducat matri plerumque lethalem.

V. In iis tubis iiſdem de cauſis, ac in ceteris partibus tumores cyſtici gigni poſſunt, circa quod tractatum noſtrum *Tumorum &c. Lib. V. Cap. II.* conſulito, præterquamquod a ſuppurato ovo abſceſſus efformabitur ſteatomati, aut atheromati non abſimilis, ut in ovario accidere poſſe oſtendimus.

VI. Veriſimile eſt, adhæſionem tubarum cum ovario ab inflammatione oriri in præcedenti ovarii fœcundatione nata, quæ eorum externam lympham, tum eam

(*b*) Joannes Riolanus refert An. 1650. in ſua Anthropographia Lib. II. Cap. 35. plures Obſervationes geſtationum tubarum, unam præſertim; quam animadverterunt Medici Aulæ Regiæ Reginæ Annæ Auſtriacæ in ejuſdem Ancilla; at Bartolinus Anatom. Lib. I. Cap. 17. huic obſervationi parum fidei habendum eſſe oſtendit, nam Gui. Pavinus admonuit Riolanum ipſum de hac obſervatione parum feciſſe, verum indulſiſſe precibus cujuſdam Medici Aulæ Regiæ, Petri Seguini; attamen hujus rei veritas ſatis obſervationibus eluxit, qui plures tubarum geſtationes conſpexerunt, ex magno eorum numero duos potiſſimum indicabimus, omni dubio expertes, quarum alteram D. Lithrius affert, alteram D. Du Vernai in *Memoires des Sciences Annèe* 1702., quibus addi poteſt obſervatio Pauli Bucieri Medico-Chirurgi in Tranſaction. Philoſoph. indicata An. 1694. *n.* 207. *art.* 2.

(*c*) Regnerus da Graaf *Libro de genitalibus Mulierum Cap.* 1. Ruyſchius, *Adverſar. anatom. Dec. II.* Du Vernai, *Memoir. des l'Academ. des Sciences* An. 1702. p. 302.

(*d*) Ruyſchius, *Obſervat. anatomica p.* 83. *Adverſar. anatomicor. Decad. I. p.* 7.

(*e*) VVeitbrecht, *In Comment. Academ. Petropolitanæ Tom. IV. inter Phyſicas Diſſertationes art.* XIV.

eam tubæ fimbriarum exſiccaverat, ut hac de cauſa facile ſimul coaleſcant, ſimili ratione & pulmones cum pleura coeunt, ſi alterutrum inflammetur.

VII. Tandem tubarum oſtium occluditur, vel quando uterus ſcirrhoſus fit, vel phlogoſi corripitur in laborioſo partu, ubi eo tubæ junguntur; ſimiles cauſæ oppoſitum orificium, raro tamen, occludunt.

§. III.

Diagnoſis, & Prognoſis.

Diagnoſis. Excepta tubarum inflammatione, quæ propriis ſignis indicatur, ceteri tubarum morbi vix initio dignoſci poſſunt, verum ſigna illa, quæ in progreſſum illos prænunciare deberent, ita incerta ſunt, ut ex iis nihil inferri poſſit; quare in cadaverum ſectionibus crebro reperiuntur ea, quæ neutiquam excogitata ſunt.

Prognoſis. Ignorantia noſtra circa exiſtentiam plerorumque morborum tubarum, vexationem ægris tollit, infauſtæ prognoſis, & Medicis intimius morbum perſcrutari.

Theoretice tantum: 1. Noſcimus inflammationem plerumque ſalutariter reſolvi; abſceſſum vero, & gangrænam funeſtum finem præſeferre.

2. Scirrhum, hydatides, & hydropem tubarum ſegnius procedere, eaſque ægras, excepta hydrope, quæ pro ſummo incremento diſrupta aſcitim inducit, diu poſſe perferre.

3. Geſtatione tubarum plerumque mortem afferre, vel quod fœtus putreſcens letalem abſceſſum inducat, vel quod tubas diſrumpat, & in abdominis cavitatem decidat, ut vel a ſupervenienti hæmorrhagia, vel fœtus ſuppuratione ægra intereat; non deſunt tamen exempla earum, quæ ſenſim exſiccatum fœtum ibi diu geſtarunt citra gravem noxam; at hujuſmodi obſervationes rariſſimæ ſunt.

4. Tumores cyſticos cujuſque generis ſerius increſcere, atque diu ægras perferre citra gravem moleſtiam, iique in cadaverum diſſectionibus ſæpiſſime reperiri, etiamſi viventibus ægris numquam ſuſpicati ſint.

5. Adhæſionem fimbriarum ovariis, & obſtructionem utriuſque, vel alterutrius orificii tubarum generationi nocere, nullam tamen moleſtiam inferre, aut grave periculum minari.

§. IV.

Curatio.

Supervacaneum videtur ea repetere, quæ de ovariis ægrotantibus dicta ſunt, ſat erit animadvertere eadem remedia penitus hic convenire, etiamſi parum efficacia experiantur.

Duplex articulus habetur, qui ſpeciales animadverſiones poſtulat. *Primus* reſpicit dudum hydropem tubarum; tunc idoneum eſſe apparet antequam diſrumpantur, & aſcitem aquæ producant, trochanteris ope ipſas evacuare; conſtat enim utiliter hac methodo uſum fuiſſe medicum quemdam Danum (*a*) ut Thomas (*b*) Bartolinus refert, certum enim eſt hujuſmodi operationem valde utilem experiri poſſe, ſi ſacculus, ubi latex ille continetur, ſit peritonæo injunctus, ubi punctio

S 2 inſti-

(*a*) Joan. Henric. Brechfeld.
(*b*) In Actis Medicis *Hafnienſ. p.* 194.

inſtitui debet, quo in caſu Medicus Danus paracenteſim iniit; at ſi contra ſacculus minime peritonæo adhæreat, punctio funeſta evadet, & exitura aqua in abdominis cavitatem irrumpet, alteram hydropis ſpeciem inducet; idcirco cum abſint hujus neceſſariæ adhæſionis ſigna tutiora, de felici, aut funeſto paracenteſis eventu valde ancipites erimus, etiamſi interdum eam tentare liceat.

Secundus reſpicit tubarum geſtationem; modo enim illam adeſſe cognoſcamus, Cæſaream operationem convenire ſuadent, eam partem verſus, quæ fœtum gerit, eoque facilius, cum minus periculi adſit in tubæ ſectione, quam uteri; hujuſmodi praxis tot fulcitur rationibus, ut modo ægrotantium conditio non obſit, tutius inſtitui poſſit, præſertim cum ſubſequens celeberrimi viri exemplum (*c*) idem confirmet.

CAPUT XIII.

De Paſſione hyſterica, ſeu uteri ſuffocatione.

§. I.

Deſcriptio.

MOrbus, de quo nunc ſermonem inimus, *hyſteriſmus* vocatur, *ſuffocatio, epylepſia uterina* &c. verum non unicus eſt, ſed plures complectitur ſpecies diverſas, quare auctores pene omnes, qui de eo pertractarunt, ſpeciali capite hyſtericum morbum perſcrutati ſunt, at cum eæ diverſæ ſpecies potiſſimum ab una cauſa, aut œconomiæ animalis ſimili vitio dependeant, unamque poſtulent medelam, ſingulas eo uno articulo explicabimus.

Hyſtericus morbus per vices revertitur, quæ paroxiſmi dicuntur, plus minuſve crebri, diutini, aut vehementes, quos comitantur plura, aut pauciora phœnomena, quibus in diverſis morbi circumſtantiis ægre fiunt obnoxiæ.

Hujuſmodi regreſſus anomali ſunt, nullamque periodum ſervant, in morbi ſtatu periclitari videntur ægræ, at eo tranſacto perfectam tranquillitatem, & ſanitatem recuperant.

Eos prænunciant plerumque oſcitationes, pandiculationes, ſingultus ventris, borborygmi; repentinus faciei rubor, atque ſenſibilis calor, cui ſuccedit, pallor, atque frigus in eadem ratione.

Ii paroxiſmi in profundam, ſegnem, atque crebram reſpirationem deſinunt, verum flatuum expulſio ſuccedit, effluitque tunc humor ſeroſus lymphaticus, & cruentus ex vaginæ clauſtro.

In vehementiori paroxiſmo omnes pene œconomiæ animalis functiones plerumque pervertuntur.

Quare ſopore ægræ corripiuntur, ſui compotes interdum non perſiſtunt, ſenſus amittunt, inordinate audiunt, vident, neque de auditis, aut viſis rationem reddere valent, furioſæ fiunt, vaga paralyſi brachiorum, crurum, manuum, aut digitorum afficiuntur, artuum convulſionibus, oculorum etiam, capitis, aut trunci vexantur, ut interdum anterius, aut poſterius ſe flectant, aut directo poſitu convellantur, tandem involuntarias fundunt lacrymas, aut citra rationem rident. Vita-

(*c*) Abraam Cyprianus Anatom. & Chirurg. Profeſſor in Academ. Ferneckeriana illud refert in ſua diſſertatione, quæ ſic inſcribitur: *Epiſtola hiſtoriam exhibens fœtus humani poſt 21. menſes ex uteri tuba, matre ſalva ac ſuperſtite, exciſi, ad Thomam Millington, Equitem auratum, Medicum regium ordinarium, & Collegii Medicorum Londinenſium Præſidem*. Lugd. Batav. 1700. in 8.

Vitalium vero functionum reſpectu deliquiis, & lipothymiis tunc temporis laborant ægræ, inordinate cor, & pulſus contrahuntur, reſpiratio pariter variat; interdum vero tum reſpiratio, cum cordis, & arteriarum pulſus de repente abeunt.

Tandem quoad naturales functiones attinet, hujuſmodi paroxiſmos plerumque commitantur ſingultus, cardialgia, nauſea, vomitus, & imi ventris borborygmi præſertim.

Præterquamquod conqueruntur ægræ de exceſſivo æſtu, quo per omnem corporis ambitum cruciantur, ut culcitas, aut veſtes omnes removeant, huic tamen phœnomeno univerſalis horror plerumque ſuccedit; conqueruntur pariter de renum, coccygis, coxarum, aut lateris dolore, qui ſi caput aggrediatur, circumſcriptam præſertim partem, ipſe *ovum hyſtericum*, aut *clavus hyſtericus* ſolet nuncupari; hujuſmodi dolores pulſatiles ſunt, aut tenſiles, utrumque tamen ſimul plerumque; modo vero frontem, tempora, aut occiput; modo verticem capitis occupant.

Facile vero eſt ea ſymptomata quamvis innumera, non omnia uno eodemque tempore vexare ægrotam, ſed diverſo tempore, aut diverſis ſubjectis omnia interdum evenire, ut hujus morbi partem conſtituant.

Interea diverſa ſymptomata, quatuor præcipua ſunt, quæ in omni hyſtericæ paſſionis aggreſſu conſpici ſolent, etiamſi diverſo gradu, ut pathognomonica appellari mereantur; certum enim eſt.

1. Conſtanter morbum incipere ab aliqua obtuſa impreſſione, aut latitante uteri ſubſultu, quem ægræ ſatis perſentiunt.

2. Id conſequi præfocationem quamdam, a qua jugulari ſibi ſuadent ægrotantes.

3. Thoracem quaſi circulo ferreo verſus coſtulas ſpurias circumcingi.

4. Tandem ab abdomen quod attinet, ægras globulum fluctuantem, perſentire, quæ hinc illinc per imum ventrem ſe transfert; modo major, aut exiguus, modo durus, aut mollis apparet.

Tres diſtinguuntur hyſteriſmi ſtatus, *primus* quatuor indicata ſymptomata etiamſi leviora complectitur, at ratio, ſenſus, reſpiratio, & cordis pulſus perſiſtunt, vel parum perturbantur; hujuſmodi gradus magis obvius eſt.

Secundus ſtatus præter ea pathognomonica ſymptomata, quæ ſæviora fiunt, tum rationem, cum ſenſum ægræ amittunt, ac omnes corporis partes convulſivis ſubſultibus convelluntur; reſpiratio tamen, & pulſus etiamſi debiles ſubſiſtunt, inæquales tamen valde plerumque fiunt; hic eſt ſecundus morbi gradus, rarior tamen.

Tandem *tertius* morbi ſtatus adeſt, quando partium motus penitus abeunt, reſpiratio ipſa; & pulſus pene evaneſcunt, ægræ immobiles fiunt, frigeſcunt, ſenſum, & rationem amittunt, & reſpiratio, aut cordis contractio deficiunt, uno verbo perfecte cadaver æmulantur: hujuſmodi teterrimus ſtatus interdum diu perdurat, quandoque ad tertium diem protrahitur, & ita mortem æmulatur, ut interdum ægræ tumulatæ fuiſſent ante verum deceſſum; hujuſmodi poſtremus ſtatus ceteris pernicioſior eſt, ac ſecunda fortuna rariſſimo invadit.

§. II.

Cauſæ.

UT rite cauſas hyſtericæ paſſionis ſanciamus, neceſſum erit ſubſequentia principia oſtendere, quibus fulciuntur.

I. Hyſtericus morbus eſt convulſionis ſpecies, id evidens eſt motuum convulſivorum reſpectu trunci, aut membrorum; pateſcunt pariter colli præfocatio & thoracis coarctatio; idem indicat globuli ſenſus per abdomen fluctuantis, tan-

dem hujuſmodi prædicatum ceteris phænomenis convenit infra fuſius explicandis.

II. Hujuſmodi convulſiones, aut convulſivi motus, vel maſculos, & muſculares fibras totius corporis infeſtant, vel membranas, aut tendinas fibrillas. In primo caſu convulſiones ſunt, aut motus convulſivi proprie dicti; in ſecundo caſu hujuſmodi motus niſi criſpationis, aut erethiſmi nomen merentur.

III. Omnes hi motus vel ad muſculares fibras, vel ad tendineas pertinent, neque tamen ab uberrimo nimis, & repentino ſpirituum animalium *influxu* dependent.

IV. Hujuſmodi ubertoſus, aut celerrimus nimis influxus, vel ab *diopthica* cauſa oriri ſolet, quæ ſpecialiter in cerebro ſedem habet, quæque ſpiritus animales agitando huc illuc inordinate impellit; vel a *ſympathica* cauſa originem ducit, quæ etiamſi cerebrum non reſpiciat, tamen *per conſenſum* ipſum concitando ſympathico nempe mechaniſmo ſimilem ſpirituum influxum gignit. Igitur alterutram earum cauſarum amplecti debemus, cum nulla alterius generis ſuperſit ad morbi explicationem.

V. Certum enim eſt, in hyſterico morbo minime ſuſpicari poſſe diopathicas cauſas, quæ ea ſymptomata producere valeant; etenim dum quieſcere videntur ægræ, de repente convulſivi motus ſuperveniunt nulla precedente cauſa, quæ cerebrum agitare potis fuiſſet, iidem motus ſtatim quieſcunt, & in naturali ſtatu cerebrum relinquunt, quare minime ſuſpicari licebit tunc ullam adfuiſſe diopathicam cerebri perturbationem.

VI. Conſequitur enim cauſam earum commotionum, quæ in hyſtericis mulieribus obſervantur, ſympathicam eſſe, extra cerebrum videlicet locatam in aliqua corporis parte, ubi ſenſationes, aut impreſſiones excitantur, quæ ſympathiæ lege valeant illos inordinatos præternaturales motus ſuſcitare; hac de cauſa ſi quis digitum comburat, mechanice manum removet, quia uſtio involuntariam brachii, & radii contractionem excitat; ſimili ratione nicotianæ pugillus naribus appoſitus ſternutationem excitat, quia pulvis ille ſubito muſculos contrahendo thoracis repentinam reſpirationem producit, quæ ſternutatio appellatur.

VII. Nihil magis obvium eſt in humano corpore, quam hujuſmodi ſympathici ſubſultus tum infirmitatis, cum ſanitatis ſtatu. (*a*) Hippocrates ipſe idem cognovit cum animadvertat ſub iis verbis; *Confluxio una, conſpiratio una, conſentientia omnia;* agitur enim de cauſæ inquiſitione, at per longum foret epiſodium, cum ea ad alterum Tractatum pertineat: ſat erit enim phœnomena vera eſſe, totidemque morbi leges ſancire, quæ ad optimam Diagnoſim, Prognoſim, aut medelam inſtituendam conducant.

VIII. Reliquum enim eſt ſympathicam partem determinare, quæ ſemel excitata hyſtericum morbum inducat, & quaſi cauſa primaria conſiderari poſſit, ſeu ut clarius me explicem, *focus* appellari; eam enim uterum eſſe patet.

1. Ab utero igitur morbus incipit, nam ægræ matricem tunc dilatari, aperiri, produci, atque huc illuc per abdomen transferri perſentiunt, atque uno verbo certo quodam periſtaltico motu agitari.

2. Hyſteriſmus plerumque prope menſtrua, aut iis deſinentibus aggredi ſolet, tum in menſium, lochiorum, aut albi fluoris ſuppreſſione, quod uterum complectitur.

3. Cum hyſtericæ paſſionis paroxiſmi nunquam deſiſtant, niſi e vagina latex erumpat plus minuſve uberrimus, atque acer, evidens enim eſt hujuſmodi effluvium niſi cum utero relationem habere.

4. Verum matrimonii uſus, qui cum remedium tutiſſimum ſit adverſus hyſteri-

(*a*) Libr *De alimento.*

ſtericam affectionem, eamque frequenter ſanet, ideo cum utero rationem & ipſum habere conſtat.

5. Tandem obſervationibus ſancitum eſt, hanc ſympathicam partem uterum eſſe, nam cadavera diſſecando mulierum, quæ violentioribus hyſtericæ paſſionis inſultibus fuerunt obnoxiæ, ovarii, tubarum, aut uteri vitium aliquod conſtanter reperitur.

IX. Semel ſtatuta parte, quæ focus morbi appellari poterit, reliquum eſt naturam impreſſionum ſancire, quæ ſympathiæ legibus omnes ceteras corporis partes in paroxiſmo in motum ciet; ab effectibus judicando, illæ impreſſiones validiſſimæ erunt, at *ex una* parte experientia contrarium ſuadet, nam etſi ægræ alienam commotionem in utero perſentiant, ut ſupra admonuimus, minime tamen de vividiori dolore conqueruntur, quo neque in violentiori morbi ſtatu nedum cruciantur, *ex altera* vero parte crebro evenit, uterum maximo dolore, inflammatione, ulcere, aut cancro vexari citra ullum hyſtericæ paſſionis indicium; ſtatuendum enim erit, hujuſmodi impreſſionem, quæ hyſteriſmum producit, leviorem eſſe, ſpeciemque titillationis, aut criſpationis in utero excitare, aut propinquis partibus, quibus adhæret.

X. Non immerito autumabimus, levem hujuſmodi impreſſionem imparem eſſe tot phœnomena ſuſcitare, quæ in hyſtericis mulieribus obſervantur, contrarium tamen experientia evincit, nam unica aquæ guttula in tracheam irrumpens, violentiſſimam tuſſim movet; vinum emeticum, qui nullam impreſſionem linguæ, aut oculorum albugini affert, ſtomachum ita commovet, ut eam contractionem gignat, quæ vomitum excitare potis eſt; tandem lucis radii, qui minime retinam laceſſunt, pituitariam membranam convellunt, atque ſternutationem movent.

XI. Frequenter hujuſmodi etſi leviſſima commotio vividiores effectus præſtat, quam fortiores impreſſiones; hac de cauſa vomitus, qui ab aceto non ſuſcitatur, ab oleo, aut aqua tepenti inducitur; pariter leviora circa axillas titillamenta grandiores contorſiones movent, quam viviſſimus dolor; denique debilis nicotianæ ſtimulus ſternutationem facit, quam vehementior narium irritatio impar erat concitando.

XII. Iis explicitis ſanciendum erit, ſubſequentes impreſſiones potiſſimas eſſe hyſtericum morbum concitare, cum ſymptomatis omnibus concomitantibus, eoque animoſius cum ea confirmet conſtans experientia; inter cauſas enim hyſtericæ paſſionis recenſeri debent.

1. Pulſus arteriarum uteri vividiores, præſertim cum vaſa ſanguine turgeant ut in approximatione, ceſſatione, vel ſuppreſſione menſium, aut lochiorum.

2. Tenſio, atque intumeſcentia vaſorum lacteorum uteri, quando lochia, aut lactei albi fluores de repente ſupprimuntur, dum uberius fluebant.

3. Irritamentum acris humoris, qui in uterum irrumpens in ejuſdem cavitate colligitur, dum albi fluoris ſeroſi, aut acris effluvium perſiſtit, vel ulcere uterus fœdatur.

4. Intumeſcentia, quæ ovaria, aut tubas lædit in diverſis morbis, quibus ſunt hujuſmodi partes obnoxiæ in (*a*) abortu, nempe hydatidibus, hydrope, ſteatomate, ſcirrho, aut abſceſſu.

(*a*) Veteres Medici animadvertunt tumores ovarii hyſtericam paſſionem inducere, ac decepti ſunt nomine, quo hujuſmodi partes tunc inſignitæ erant, & uſu, quem iis tribuebant: autumabant enim hujuſmodi tumores collectiones eſſe ſpermatici humoris corrupti, quod complectitur in communi claſſe cautarum hujuſmodi morbi. Vid. circa hoc Joan: Nicolaus Binningerus *Obſervation. Cent. II. Obſerv.* 90. Iſbrandus Diemerbroeck. *Anatom. Lib. I. Cap.* 13. Andr. Veſal. *de human. corp. fabrica Lib. V. Cap.* 15. Lazar. River. *Obſerv. Cent. I. Obſerv.* 60. Otho Heurnius, Hiſtor. 16. in fine Operum Fernelii edition. *Utrech. in 4. an.* 1656.

5. Tandem titillatio, quam excitat ſpermaticus, uberrimus vel acer latex in mulieribus vividiori, atque luxurioſo temperamento donatis, quæ invitæ abſtinent.

XIII. Nihilo ſecius fateri debemus hujuſmodi explicationem maximam difficultatem contendere, videlicet omnes expoſitas cauſas, quibus hyſtericus morbus tribuitur, conſtantes eſſe, idcirco impares, involuntarios, & repentinos, atque variabiles motus excitare, qui in hujus morbi aggreſſu conſpici ſolent.

XIV. At modo paullisper cunctemur, duplicem ſubſequentem animadverſionem perſcrutando omnis evaneſcet difficultas.

Primo, indicatas cauſas nuper ſancitas in utero poſſe, atque debere poſitum immutare, ut diverſa puncta matricis peragrando ſympathicas affinitates cum ceteris partibus valeant mutare; idcirco unica cauſa dum ventriculi fundum infeſtat, vomitum excitat, deliquium vero inducit, modo ſuperiorem ventriculi orificium afficiat.

Secundo, animadvertendum eſt eas cauſas numquam unam vim præſeferre, ut minima gradus mutatio potis ſit ſympathicos conſenſus immutare, hac de cauſa certa quædam narium irritatio ſternutationem movet, quam validior impar erat ſuſcitando.

Infra apparebit ubi ſymptomata explicabimus, quæ caput reſpiciunt, diverſas alias adeſſe cauſas, quæ hanc varietatem motuum hyſtericorum inducere poterunt.

XX. Cauſæ, quas adhuc enunciavimus, non æque omnes mulieres una vi lædunt: experientia enim oſtendit magis periclitari.

1. Mulieres emaciatas, graciles, temperamento melancholico, aut atrabilari donatas, quia in illis nervi uteri; atque totius corporis tenſi magis vibratiles ſunt, ac magis diſpoſiti minima de cauſa ad vividiorem commotionem ſuſcipiendam.

2. Hinc illas, quæ graciliori temperamento, aut cachetica conſtitutione præditæ ſunt, nam in iis humores vitiantur, uterus parum ſui elaterii retinet, ut irrumpentes latices copioſius congerantur, & acriores fiant, tum ipſæ continenti albo fluore laborent.

3. Mulieres deinde, quæ vigiliis defatigantur, aut alimentorum ſapidorum aſſumptione uſu, Caffè, aut liquorum ſpirituoſorum calefiunt, in quibus uterus valde calet, & quaſi phlogoſi continuo laborat, quod nervorum maximam tenſionem, & ſenſibilitatem facit.

4. Tandem illas, quæ luxuria flagrant, eamque venuſtulorum conſuetudine, aut lecturis excitant, vel continua amati objecti cogitatione vexantur, quod ſecretionem, & virtutem ſpermatis auget.

XVI. Itaque reliquum erit tantum cauſas recognoſcere, quæ hyſtericos paroxiſmos ſuſcitant, vel ipſos ſiſtunt, quam ob rem ſat erit animadvertere duplicem hyſterici morbi ſpeciem; altera a congerie dependet vitiatorum humorum, qui in utero, aut vaſis ſpermatis coacervantur; altera a turgentia vaſorum ſanguineorum originem ducit per uterum, aut ovaria reptantium.

1. In priori enim morbi ſpecie hyſterici inſultus numquam ſuperveniunt niſi deturpati humores certa quadam copia congerantur, vel certum activitatis gradum adepti ſint; neque abeant hyſteriſmi ſymptomata, niſi hujuſmodi humores per uterum expellantur, quod ſæpiſſime evenit.

2. Ad alteram morbi ſpeciem quod attinet, paroxiſmi numquam aggrediuntur, niſi quando multiplici de cauſa vaſorum ſanguineorum infartus certum quemdam gradum adeptus ſit; numquam vero ipſi deſinunt, niſi violentiores uteri contractiones detentum ſanguinem reſpuerint, quo vaſa turgebant.

3. Conſequitur ex iis, quod in priori morbi ſpecie paroxiſmi ceſſatio celerius

rius, tutuiſque quam in altera ſpecie fieri debeat, ut & experientia oſtendit; in primo caſu enim hyſterici inſultus de repente abeunt, & ægræ naturalem ſtatum ſanitatis perfecte recuperant; in altero vero caſu ſerius paroxiſmi deſiſtunt, ut ægræ diu periclitari videantur.

4. In utraque vero hyſtericæ paſſionis ſpecie paroxiſmorum finem prænunciant oſcitationes plus minuſve crebro, aut grandiores pro diverſa morbi diuturnitate, aut vehementia, quæ perſiſtente paroxiſmo reſpiratio læſa fuerit, & pulmo ſanguine infartus; idcirco modo revertatur ſenſus, oſcitationes neceſſario excitabuntur, quæ veſiculas pulmonales explicando ſanguinem infarcientem exprimant, quod ſanguinis quantitati, & diuturnitati, aut paroxiſmi vehementiæ reſpondere debebit; hac de cauſa in aggreſſu febrium intermittentium ægræ pandiculationibus ſunt obnoxiæ, quibus exprimitur ſanguis, qui ſpiſſitudinis ergo in pluribus partibus cumulabatur, atque ita invitæ concitantur ægræ ab obtuſis impreſſionibus, quas ſanguis eas partes infarciendo induxerat.

§. III.

Symptomata.

VEteres medici in unum conveniebant, phœnomena omnia, quæ in hyſtericis mulieribus obſervabantur, a ſpermatico humore derivare in utero corrupto, qui in vapores ſublimatus diverſas corporis partes invadebat, & ſui deleteriæ indolis ergo ſymptomata illa in hoc morbo magis obvia ſuſcitabat: hodie tamen de hujuſmodi ſententiæ futilitate certiores facti ſunt, eamque prorſus contemnunt.

Huic opinioni ſubſtituimus ſympathicam uteri cum ceteris corporis partibus affinitatem, quæ neminem latet.

Neque aliam ſupereſſe viam ea phœnomena explicandi putamus, omnemque hac ratione difficultatem tolli poſſe cenſemus, ut infra pro viribus demonſtrare tentabimus.

Mirabuntur fortaſſe nonnulli de multiplici affinitate, quam utero tribuimus, at animadvertendum eſt, hanc partem ceteris ſenſibiliorem eſſe, ut omnes medici defendunt, eique nullam nos ſpeciatim relationem tribuere, quæ effectibus, atque obſervationibus non fulciatur.

Cum numeroſiſſima ſint phœnomena in hyſterica paſſione obvia, quæ hic explicationem poſtulant, ideoque ipſa in quinque diſtinctos Articulos explicabimus, ſunt enim.

I. Quatuor ſymptomata hyſtericæ paſſionis pathognomonica. II. Ea, quæ abdomen reſpiciunt. III. Quæ pulmonem afficiunt. IV. Quæ caput aggrediuntur. V. Tandem quæ corpus univerſaliter infeſtant.

I. *Quatuor ſymptomata hyſtericæ paſſionis pathognomonica.*

1. Primæ impreſſiones, quæ in utero fiunt, aut propinquis partibus debiles ſunt, neque alium ſympathicum reflexum animalium ſpirituum inducunt, quam in muſcularibus uteri ipſius fibrillis, quarum alterutiæ ſeſe contrahendo varias commotiones excitant; modo enim uterus producitur, aut abbreviatur; modo dextrorſum, aut ſiniſtrorſum ſe transfert, prout fibræ longitudinales, circulares, aut illæ ulterius lateris convelluntur; interdum coarctatur, atque occluditur uterus, tum ejuſdem fibræ una conſtringuntur omnes.

2. Dum impreſſiones illæ in utero augentur ſpirituum tunc refluxus maſculos Laryngis, Pharingis, Oſſis Hyoidis, atque linguæ quandoque adoritur, ut jugulari videantur ægræ, quæ interdum balbutiunt.

3. Re-

3. Refluxus ille ſympathicus quandoque muſculares fibras diaphragmatis invadit, quæ ſeſe coarctando fortiter introrſum trahunt coſtulas ſpurias, ut difficilem reſpirationem inducant, & quaſi chalybeo circulo ægræ vinci credant.

4. Eodemque tempore ſimili de cauſa inteſtinorum fibræ muſculares conſtringuntur; contractio enim longitudinalium fibrarum inteſtina abbreviat, & in glomum quaſi congerunt circulares; vero inteſtina coarctando flatus retinet, qui inordinate volumen inteſtinorum augent, atque globuli illius ſenſum inducunt per abdomen fluctuantis, quem veteres medici pro utero ipſo habuerunt, quaſi adhæſiones matricis hujuſmodi commotiones ſinere poſſent.

II. *Symptomata, quæ imum ventrem reſpiciunt.*

1. Cum plerumque in hyſterici morbi ſtatu menſtruorum ceſſatio, aut ſuppreſſio adſit, nil mirum eſt ſymptomata tunc apparere, quæ eos morbos ſolent comitari, qualia ſunt imminutus, atque depravatus guſtus, qui ſub nomine *Picæ*, aut *Malaciæ* cognoſcitur, incompleta digeſtio, eructatio, tormina, aut borborygmi &c. at hic fruſtraneum videtur ea fuſius explicare, ſat erit pervolvere quæ *Lib. I. Cap. IV. & VIII.* enunciata ſunt cum de menſium ſuppreſſione, chloroſi, aut pallore diſſeruimus.

2. Ventris conſtipationes, quæ hyſtericas mulieres perturbant, ab incompleta digeſtione oriri poſſunt; at plerumque in paroxiſmo a recti aut ſphyncteris contritione ſcimus derivare refluxus ſympathici ergo.

3. Eidem cauſæ urinæ ſuppreſſio tribuitur in paroxiſmi ſtatu ſuperveniens; eam enim convulſiva criſpatio inducit ſphyncteris veſicæ ab illo refluxu ſympathico excitata.

4. Circa proxiſmi finem lymphaticum effluvium ſtillat mucoſum, album, fuſcum ac cruentum interdum. Convulſiva conſtrictio uteri hujuſmodi humorem a vaſibus lacteis, aut glanduloſis mucoſis exprimit, quibus interna uteri facies ſcatet, aut latex ille a lacunis erumpit ibi innumeris. Albus enim apparet ſi ipſum vaſa vermicularia effundant; fuſcus vero ſi glandulæ mucoſæ, aut lacunæ illum ſuppeditent; cruentus vero apparet ſi contractiones uteri irregulares vaſorum Capillarium nonnulla diſcerpant, aut ab extremitatibus appendicum venoſarum aliquas ſanguinis guttas exprimant.

5. In Paroxiſmorum ſtatu pauca, quam excernunt, urina clara eſt, & aquam æmulatur; nam renium contextus compactus, & criſpatus tranſitum impedit lotii per ſecretorios ductus, excretionem tantum tenuioris, & ſeroſæ magis ſanguinis partis permittendo.

6. At in paroxiſmorum fine ægræ copioſiores urinas effundunt, ſpiſſiores, atque turbidas. Uberiores enim apparent, tum quia renum contextus minime criſpatus earum uberrimum effluvium ſinit, tum quia facilius ex veſica erumpunt laxati jam ſphyncteris ergo; ſpiſſiores vero, & turbidæ interdum apparent, tum quia in renibus craſſiores cruoris moleculæ uberius ſeparantur, cum humoris mucoſi ergo quem tunc uterus ſuppeditat, & is urinis permiſcetur.

7. Nauſeæ, vomitus, deliquia, quæ in hyſterica paſſione frequenter ſuperveniunt, interdum a collectione proveniunt ſordium, quæ deleteriæ digeſtionis ergo in ventriculo colliguntur, quæque fundum, aut orificium ſuccutiendo ea phœnomena inducunt; crebrius tamen ea producit ſympathicus refluxus, qui varias commotiones in iis partibus excitat.

III. *Symptomata, quæ pulmonem lædunt.*

1. Præfocatio conſequens neceſſarium videtur convulſivæ criſpationis laryngis, quæ aeris ingreſſum impedit, tum contractionis convulſivæ diaphragmatis; quæ dilatationi thoracis officit: hujuſmodi duæ cauſæ admodum variabiles ſunt, interdum enim ſuffocatio continens eſt, interdum per intervalla recurrit, modo reſpiratio etiamſi læſa aliquo tamen modo perſiſtit, interdum cum ſtertore, ſibilo, aut ululatu perficitur.

2. Cordis palpitatio ab anomala muſcularium fibrarum contractione principis muſculi dependet, hujuſmodi inæqualitas ab inordinato refluxu procedit ſympathico uteri, ea de cauſa varietates omnes apparent in motu cordis, atque arteriarum obviæ, & hyſterico morbo propriæ; modo enim pulſus debiles ſunt, modo validiores, modo ſegnes, modo præcipites; quando rari, quando frequentes; at plerumque duri, conſtricti reperiuntur criſpationis tunicarum arteriarum ergo, quam ſympathicus ille refluxus induxerat.

3. Pulſus interdum intermittentes fiunt, quando cordis motus & ipſe intermittat, quod evenit quotieſcumque refluxus per intervalla reccurrat, fibraſque cordis laceſſat.

4. Frequenter in ſævioribus hyſtericæ paſſionis paroxiſmis neque cordis motum neque reſpirationem animadvertimus, non quia penitus abeant, ut Galenus autumabat, quod mors ipſa eſſet, ſed quia debiliter valde hujuſmodi motus exequuntur maximæ tonicæ contractionis ergo, fibrarum cordis, muſculorum laryngis, & diaphragmatis, ut vix conſpici queat; nihilo tamen minus etiamſi imbecilliter tamen ii motus fiunt, quod ſufficit, ut etiamſi ſegnis, aliqua tamen perſiſtat ſanguinis circulatio per pulmones, atque reliquum corpus, ut vita ſuperſit.

IV. *Symptomata, quæ caput afficiunt.*

Explicatio phœnomenorum, quæ ad hunc articulum pertinent, novas ſympathicas affinitates uteri ſupponit; dura mater ſympathicis conſtrictionibus ſuccutitur, hujuſmodi contractio, quæ ab utero procedat non una eſt per omnem meningis ambitum, ſed ea diverſimode variare ſolet; ipſa meningis itaque ſeſe coſtringendo ſubſtantiam cerebri premit, idcirco ex una parte exprimit animales ſpiritus in propinquos nervos, ex altera fibrillas diſtendit. Spiritus illi dum nervos intrant convulſiones, aut motus convulſivos excitant partium earum, per quas perreptant; cerebri vero fibræ ita diſtenſæ impares evadunt impreſſionibus recipiendis ſenſuum externorum; quare rationem ægræ & ſenſum amittunt, eademque da cauſa fibrillæ illæ tonum mutant, ut plures, quæ conſonæ erant, diſſonæ evadant, & aliæ, quæ diſſonæ apparebant, conſonæ fiant, quod judicium plerarumque rerum pervertit, & varias delirii ſpecies inducit.

Optimum conſilium foret hic ſingillatim unamquamque hypotheſim perſcrutari, at hujuſmodi perquiſitio diutina nimis experiretur, & trans inſtitutum noſtrum abiret; ſat erit enim fateri eas hypotheſes poſſibiles eſſe omnes & rationi conſonas; autumo enim earum hypotheſium exiſtentiam vel ſaltem neceſſitatem oſtendere poſſe in futuro opere, quod publici juris facere brevi ſancivi, ſub titulo *Animaſticæ*: quæ eſt mechanica functionum animalium quoad corpus pertinet; impræſentiarum ſufficiet quod eas quaſi totidem *poſtulata* mihi concedant, quæ ſymptomatum explicationi caput reſpicientium magnopere favent.

1. Etenim ægræ identidem rationem, ſenſumque amittunt, quod raro vel crebrius plus minuſve perſiſtit, ac pro diverſis circumſtantiis magis vel minus

ægras

ægras vexat; interdum morbi aggreſſu, etiamſi ſenſu carent, audiunt tamen, vident; at loquela orbatæ ſignis ſe exprimunt; tandem ſi morbus increſcat, penitus ſenſus, atque ratio demuntur, atque patientes profundi lethargi ſpecie laborant.

In iis in quibus cerebrum nullo labefactatur morbo, ea phœnomena niſi a ſympathico ſpirituum refluxu, quem uterus gignit, derivare poſſunt. Dura mater ea de cauſa contracta, cerebrum comprimendo, fibraſque diſtendendo, haſce impares reddit impreſſionibus ſpirituum in cerebro latitantium, vel commotionibus eorum, qui ab externis ſenſibus procedunt.

Interdum omnis cerebri ſuperficies a menynge æque comprimitur, & tunc ſenſuum amiſſio totalis fit; interdum compreſſio partialis eſt, neque origines parium ophthalmicorum, aut acuſticorum lædit, ut viſus, atque auditus aliqua ratione ſuperſint, etiamſi in paroxiſmo nequeant id oſtendere.

Hujuſmodi accidentia citius vel ſerius revertuntur, plus minuſve diutina, aut ſeva apparent pro repetitis duræ matris contractionibus, plus minuſve diuturnis, aut intenſis.

Tandem phœnomena illa in abſolutam, & totalem tum rationis, cum ſenſus abolitionem degenerant; modo Menyngis conſtrictio maxima fiat, & univerſalis uſque dum de repente dura matre reſoluta ſtatim ratio, ſenſuſque revertuntur.

2. In hoc ſtatu ægræ frequenter delirio corripiuntur plus minuſve univerſali aut intenſo. Id evenit quando cerebri fibræ diſtenſæ tonum crebro immutant, quoad affinitates, quas invicem habent, quod inter eas conſonantias, novaſque diſſonantias anomalas gignit, idcirco judicium pervertitur, & delirium ſupervenit plus minuſve intenſum, aut univerſale pro diverſa majori, vel minori fibrarum ſucceſſione, aut ſpirituum animalium in cerebro agitatione.

3. Tunc ſæpe accidit ægras tonica convulſione corripi, quæ *Tetanos* appellatur, corpus in hoc morbo rigidum fit, dentes conſtringuntur, oculi immobiles perſiſtunt, membra indureſcunt, quod ab influxu procedit ſpirituum animalium, qui ſympathici refluxus ergo, aut tonicæ menyngis contractionis in eoſdem muſculos continenter irrumpunt.

4. Quandoque ægræ vividioribus convulſivis motibus agitantur, modo enim truncum anterius flectunt, modo poſterius, quare eæ convulſiones modo *Emprothotonos*, modo *Opiſthotonos* appellantur; caput agitant, artuſque ſuccutiunt ægræ, ululatus emittunt, quos motus convulſivi muſculorum reſpirationis excitant; evidens enim eſt hujuſmodi commotiones nedum variare poſſe, niſi ſpirituum animalium influxus, qui ipſas producunt, & ipſi varient: itaque hæc influxus diverſitas niſi triplici de cauſa oriri poteſt; vel a gradu aut poſitu impreſſionum, quæ in utero fiunt; vel a menyngis contractione, quæ in diverſis ejuſdem partibus fit; tandem a pulſu vario arteriarum, qui in diverſis cerebri partibus varios effectus producit.

5. In hyſtericæ paſſionis ingreſſu interdum ægræ ſine cauſa manifeſta lacrymas copioſe effundunt, contra vero invitæ interdum rident; tandem, quandoque in eodem paroxiſmo riſus lacrimis, & lacrymæ riſui ſuccedunt, de quo valde mirantur, quibus primum id obſervare contingit.

Certum enim eſt hujuſmodi commotiones neque liberas eſſe, neque præceptas; igitur conſequitur convulſivas eſſe; & ea, quæ adhuc oſtendimus, ſatis declarant a ſympathicis affinitatibus pendere, quæ intra uterum, & organa habentur; modo enim membranæ, quæ lacrymales glandulas cooperiunt, aut tendinea filamenta, quæ illas vinciunt, criſpantur, & lacrymas uberrimas exprimunt, quibus oculi madent, dum eadem de cauſa ceteræ partes convelluntur; modo muſculi zigomatici, ceteriſque ad labiorum motum deſtinati convulſione abrepti riſum inconcinne movent; tandem motibus iis, riſui nempe lacrymæ invicem ſuccedunt

cedunt prout in utero impreſſiones variant relate ad intenſionem, aut ſedem earum.

6. Tandem hyſtericæ mulieres ſæpiſſime acutiori dolori ſunt obnoxiæ, qui aliquam capitis externam partem lædit, frontem nempe, aut tempora, vel occiput; prout dolor plus minuſve extenditur morbus *ovum hyſtericum*, aut *clavus hyſtericus* appellatur.

Procul dubio nuper deſcripta ſymptomata a convulſiva criſpatione pericranii affectæ partis originem ducunt; ea vero conſtrictio ſympathicæ uteri affinitati tribuitur, tum dolor incipit, atque deſinit prout morbi aggreſſus perdurat, iſque paroxiſmi ſævitati reſpondet.

V. *Symptomata, quæ totum corpus reſpiciunt.*

Explicatio poſterioris ſymptoſmatis in articulo præcedenti nuper indicati oſtendit ſympathicam uteri affinitatem fibras tendineas etiam invadere, & convulſivas criſpationes inducere, quæ pro diverſa partium natura diverſos effectus gignunt; ſymptomata, quæ externum corporis habitum afficiunt infra enuncianda hanc veritatem magis patefacient.

1. In hyſterico morbo urentem quemdam æſtum ægræ perſentiunt, qui vultus, atque caput de repente inflammat, & rubicundum facit; conqueruntur ipſæ de exceſſivo calore; qui ſudorem promovet, & culcitas removere cogit; paullo poſt pallor, frigus, atque horror ſuccedunt, quæ pluries intra horæ ſpatium invicem eveniunt.

Facile eſt cognoſcere priorem morbi gradum a convulſiva conſtrictione tunicarum procedere, quæ per extrinſecam capitis faciem repunt; ut redux ſanguis retardatus ruborem, calorem, atque ſudorem inducat; alter gradus criſpationis tunicas arteriarum afficit per eaſdem partes reptantium, quod influxum impedit ſanguinis, & pallorem, frigus, atque rigorem producit; tandem hæc alternatim evenient in eo duplici morbi ſtatu pro variationibus affinitatum ſympathicarum, quæ animales ſpiritus modo in venarum tunicas, modo arteriarum inconcinne impellunt.

2. Crebro accidit in hyſtericæ paſſionis aggreſſu pulſum abire in alterutro brachio, quod frigidum, & ſtupidum fit, cum manus pallore, unguium præſertim, ut ægræ artum emortuum credant; paullo poſt brachium ad naturalem ſtatum revertitur, eademque phœnomena alterum artum inveſtiunt; obſervavi interdum hac moleſtia unum vel alterum ſimul digitorum tantum affici, quod ægræ paralyſim vocant; at hujuſmodi ſpuria paralyſis incompleta, & momentanea eſt cum motus atque ſenſus perſiſtant etiamſi imbecilles.

Evidens enim eſt ea phœnomena omnia a convulſiva criſpatione brachialis arteriæ derivare, quæ lumen coarctando copiam ſanguinis imminuit, qui brachium irroraret; ex eo imminuitur, atque intercipitur pulſus, aut obſtupeſcit, frigeſcit, manus vero atque ungues palleſcunt; hujuſmodi criſpatio in affecta parte tamen cito deſinit, alterumque brachium infeſtat eadem phœnomena producendo, quæ pluries alternatim ſuccedunt pro diverſis impreſſionibus, quæ in utero fiunt; quæ ſunt variabiles, occaſionales cauſæ hujuſmodi conſtrictionis.

§. IV.

§. IV.

Diagnoſis.

I. HYſtericus morbus prioris, & ſecundi gradus facile cognoſcitur, plerumque antequam medicum poſcant ægræ plures paroxiſmi reverterunt, de cetero facile morbus cognoſci poterit naturam exacerbationum perpendendo, qui invicem æmulantur; & totius quatuor pathognomonica ſymptomata obſervando, qualia ſunt, uteri commotio, gutturis ſuffocatio, thoracis coarctatio, & per abdomen fluctuans globulus, quæ, etiamſi diverſo gradu, in unoquoque tamen morbi aggreſſu ſe oſtendunt.

Nihilo tamen minus animadvertendum eſt, citius quam fieri poteſt veram morbi ideam nos ſancire debere, nam plerumque ægræ vapores hyſtericos appellare conſueverant, omnes moleſtas, aut ſuccuſſiones, quas perſentiunt, omneſque pravæ digeſtionis effectus; aut languores, vel conſumptiones, quibus tunc temporis ipſæ fiunt obnoxiæ; præſertim enim ſedulo perſcrutari debemus, ne vapores hyſtericos mulieribus proprios, quos pathognomonica ſigna comitantur cum hypocondriaco vapore confundamus; qui tum mulieribus, cum hominibus communis eſt, neque pathognomonica illa ſymptomata concomitantia habet.

Semel cognita ægritudinis indole, cauſam affecti uteri detergere oportebit; quæ morbum produxerat, quod tum ad rectam prognoſim, cum ad curationem inſtituendam potiſſimum conducit, ſi paroxiſmi prompte, & perfecte deſiſtant; id evincitur humoris cujuſdam effluvio glanuloſo, aut menſium eruptione; ſi per intervalla morbus recurrat, nullo ſuperveniente nocuo hyſterico vapore, conjecturari licebit a ſolo ſpermatico humore diu in utero retento, aut acriori humore, vel menſium ſupreſſione morbum naſci; contra vero vitium perſiſtens ſuſpicari licebit ovaria deturpans, tubas, aut uteri corpus, quando paroxiſmi ſegniter deſinant, vel citra effluvium, aut menſium eruptionem deſiſtant perſiſtente vaporoſa commotione pene continenti intra duos paroxiſmos.

Morbi magnitudinis reſpectu ea pateſcit frequentia, aut perduratione paroxiſmorum, vel illam oſtendunt numerus, & violentia ſymptomatum comitantium, de quibus facile eſt oculis certiores fieri.

II. Maxima difficultas, quæ in hoc morbo diagnoſim reſpicit, ad tertium gradum attinet, quando ægræ rationem, ſenſum, atque motum, verum quod deterius eſt, reſpirationem, atque pulſum amittunt, ut aſſidentes magnopere perturbentur, neve ſatis diſtinguere valeant vapores hyſtericos a ſyncope, apoplexia, epyleſia, aut ipſo deceſſu.

In hoc caſu duo animadverti debent, quæ haud leve lumen præbere poſſunt; primum hujuſmodi ſæviſſimus morbi ſtatus ſupponit plures præcedentes paroxiſmos, qui morbi indolem ſatis declaraverint; verum ſi hujuſmodi morbi aggreſſus hyſterici ſint, ab initio quatuor ſymptomata pathognomonica apparebunt; complexus enim ambarum harum obſervationum tutum ſatis judicium afferre præſtabunt.

Nihilo tamen ſecius ſanum erit conſilium perſcrutari, quæ in noſtro caſu diagnoſim declarare magis poterunt.

1. Vapores hyſterici a ſyncope diſtinguere facile erit, quia in hyſterico morbo pulſus citius, & facilius, quam in ſyncope abeunt, nulla enim datur ſyncope modo mortem ipſam non inferat, in qua cordis pulſationes perfecte deſinant, ut in hyſterico vapore accidere ſolet.

Verum pulſuum ceſſatio diuturnior eſt in hyſterico vapore, quam in ſyncope;

pe; hæc enim trans horam plerumque non perdurat; at vapores hyſterici tertiæ ſpeciei per integros dies perſiſtunt, ut haud facile ſit ipſos cum ſyncope confundere.

In ſyncope nulla abdominis fluctuatio perſentitur; in hyſterico tamen vapore, modo maximus non ſit, plerumque circa uteri regionem ſuccuſſio quædam apparet, quæ melius cognoſcitur vaginam digitis examinando.

2. Diſtingui enim facilius poſſunt hyſterici vapores tertiæ ſpeciei ab apoplexiæ aggreſſu ex eo, quod apoplexiam numquam præcedant ſymptomata hyſtericæ paſſionis pathognomonica, quæ eam tuto prænunciant.

Verum in apopleticis pulſus atque reſpiratio nedum abeunt; in hyſteriſmo tamen pene deſiſtunt, modo tertii gradus experiatur.

In apoplexia nulla convulſiva commotio tum imi ventris, tum uteri ſupervenit; in hyſterico tamen vapore illa conſpicitur, modo paroxiſmus extreme ſæviſſimus appareat.

3. Vapores hyſterici tertiæ ſpeciei ab epylepſia ſimili ratione diſtinguuntur, nam vapores propria ſigna indicant; quæ in epylepſia deſunt.

Etenim reſpiratio, & pulſus in hyſteriſmo ceſſant, & in epylepſia perſiſtunt.

In hyſteriſmo etiamſi ad ſummum gradum pertingat, convulſivæ ſuccuſſiones imi ventris, uteri præſertim, conſpiciuntur, quæ numquam in epylepticis obſervantur.

Tandem in epylepſia ægræ ſpumam ex ore fundunt, quod raro vel nunquam etiam in ſæviori hyſteriſmi gradu apparet; nam reſpiratio pene aboletur, & aer expreſſus a ſaliva foveri nequit, ut ſpuma oriatur, quod in epylepticis evenit, quia reſpiratio ſtertoroſa ſit, atque vehemens.

Vos tamen admonere cenſeo medicorum nonnullos hujuſmodi morbum *Epylepſiam uterinam*, aut *hyſericam* vocaſſe, quando præſertim ægræ convulſionibus abreptæ rationem amittunt; idcirco huic denominationi etiamſi impropriæ erit indulgendum, modo animadvertamus ſympathicam epylepſiam tantum eſſe, a vero morbo Erculeo procul diverſam.

4. Interdum paroxiſmorum vehementia intenditur, ita ut functiones penitus fere aboleſcant, in hoc caſu non ab Apoplexia, aut Epylepſia morbus diſtingui debet, ſed a Morte ipſa, quam æmulatur; nam ſi quibuſdam obſervationibus fidendum ſit, ſatis docti medici decepti ſunt viventes mulieres tumulando, quas obitas crediderunt; tunc inquirendum eſt, an ulla reſpiratio ſuperſit, nam quamvis exigua apparuerit, ægram adhuc inter vivos eſſe fateberis.

Hac de cauſa ori apponuntur leviſſimi goſſipii flocculi; qui indicabunt an ullum reliquum ſit reſpirationis ſignum; ſpeculum quandoque applicans, quod per quam minima expiratio adumbrabit; vel ſupra thoracem cyathum ponunt aqua repletum, quæ coſtularum minimo de motu effunditur.

Verum iis ſignis nondum fident, membra perquirunt, ne flexibilia ſint; oculos aperiunt, inſpiciuntque ſi ſpecie quadam araneorum telæ cornea obducatur, quæ mortem prænunciaret; pedes denique ignito ferro comburunt, ut doloris intenſio ſuccutiat morientem; tandem cantharidum emplaſtrum coxis, aut cruribus applicant, quod ſi veſiculas elevet adhuc ægram vitam gerere indicat, & contra ſi nulla appareat veſica; at etiamſi ſigna omnia mortem una prænuncient nedum ſollicitos eſſe debemus ut cadaver tumuletur, cunctando uſque dum appareant putrefactionis indicia, ſecus enim facile erit nos pœnitere præcipites fuiſſe nimis tumulum præcipiendo viventis creaturæ.

§. V.

§. V.

Prognoſis.

HYſtericæ paſſionis Prognoſis duo præſertim: complectitur, an ne ſanabilis morbus ſit, verum ne periculum maximum conjunctum habeat.

I. Primum poſtulat nonnullas diſtinctiones antequam de eo aliquid certi ſtatuamus.

1. Etenim facile ſanatur hyſtericus morbus modo a ſola ſuppreſſione aut ceſſatione menſium, vel lochiorum procedat, vel ab acriori retento ſpermatico humore.

2. Et difficilius medetur, ſi a continenti albo fluore dependeat, qui uteri internam ſuperficiem lædat, cujus effluvium difficulter ſiſtitur, & anomaliis quamplurimis eſt obnoxius.

3. Minime convaleſcit morbus, dummodo pro cauſa recognoſcat tumorem, aut vitium alterutrius ovarii, vel tubarum, vel uteri ulcus.

4. Numquam pene ſanitatem recuperant ſeneſcentes mulieres, cacheticæ, male affectæ, in quibus uteri labes ſanguinis, aut lymphæ vitio confirmatur.

5. Generice hujuſmodi morbus inter pertinaciores ægritudines, & curatu difficiliores recenſeri debet, qui minima de cauſa redintegratur dum proximam valetudinem ſperamus.

II. Ad ſecundum quod attinet diſtinguendum eſt periculum paroxiſmorum a periculo totius ægritudinis complexim ſumptæ.

1. Nihil eſt timendum in peculiari morbi aggreſſu modo reſpiratio, & cordis pulſus etiamſi imbecilliter perſiſtant, periculum enim reſpicit earum functionum læſionem, nam etiamſi plerumque naturalem ſtatum recuperent, obſervationes tamen docuerunt ægras interdum ſuccubuiſſe, præſertim cum reſpiratio, & cordis motus penitus intercipiantur, atque ſyncope letalis fiat.

2. Ægritudo in ſe ſumpta etiamſi pertinaciſſima exiſtatur, raro tamen maximum periculum conjunctum habet; præſertim ſi a ſuppreſſione, aut ceſſatione catameniorum, aut lochiorum dependeat; vel a collecto ſpermatico latice.

Attamen periculoſa maxime evadit quando ab albo fluore habituali procedat, qui irritet, laniet, aut rodat uteri internam faciem, ut morbus crebro in ulcus ſimplex, vel carcinomatoſum uteri degeneret; periculoſa pariter experitur modo pro cauſa tumorem, abſceſſum aut hydropem abdominis inducit, & in lentam febrem, maraſmum, aut conſumptionem deſinit.

§. VI.

Curatio.

IN duplici caſu medici erit hyſtericum morbum pertractare, vel in paroxiſmo, quando inſultuum violentiam moderari, & perſiſtentiam imminuere tantum fas erit; vel extra paroxiſmum, quando regreſſus præoccupare, ſeu melius cauſam morbi oppugnare convenerit quantum fieri poterit.

Cum ii ſtatus procul diverſi ſint tum propoſiti objecti reſpectu, cum methodi medendi, ideoque in duplici diſtincto articulo eos extricare oportebit, quibus tertium ſuperaddam, qui ſpecifica adverſus hunc morbum remedia oſtendet.

Mo-

Medendi ratio intra paroxiſmum.

Ut indicationes impleamus in paroxiſmo proponendas tria remediorum genera impendi debent.

1. Ea videlicet remedia, quæ diverſas partes laxare, atque extendere valent convulſionis ergo contractas.

2. Quæ ſanguinis circulum ſegnem, aut interceptum promovent in diverſis partibus criſpatis.

3. Quæ vividius ſuccutiunt organa externa, rapidumque cerebrum verſus ſpirituum refluxum excitant, qui ſympathico refluxui obſiſtit ab utero procedenti, vaporum hyſtericorum cauſa.

Quod nos maxime implicat in iis rebus peragendis, farrago potius eſt propoſitorum remediorum, quam inopia; generice enim, quæ infra proponemus præcipua ſunt ad morbi impetum compeſcendum, atque pluribus indicationibus ſatisfaciendum, quas diverſa morbi natura poſtulat.

I. Si hyſtericæ paſſionis aggreſſio levior appareat, & ratio perſiſtat, ægræ poterunt pro libitu magis idoneum poſitum ſeligere; at ſi minime ſui compotes videantur, neceſſum erit ægras lectulo, aut biſellio ita locare, ut caput altius erigatur; verum veſtium ſolvere vincula oportebit, cingula omnia removendo, quæ thoracem conſtringere valerent, monilia etiam diſcerpendo ne collum vulnerent inflandum.

II. Interdum optimum erit coxas per longum fricare, vel leves cucurbitulas in diuturniori paroxiſmo apponere; vincula tamen membrorum ſunt proſcribenda, quæ olim medici commendabant decepti ab humore deleteriæ indolis, quem ſiſtere autumabant, ne caput aggrederetur.

III. Ægræ ſuſcitabuntur prope nares fœtentes materies comburendo ſale volatili imbuta, quæ valeant validius pituitariam membranam laceſſere; hujuſmodi ſunt Tæniæ Violaceæ, Plumæ Perdicis, Soleæ detritæ, Succinum flavum, Gagas; vel naribus apponuntur folia rutæ, aut tanaceti; vel quod ceteris præcellit, globus admovetur ex æqualibus partibus confectus ſtercoris Diaboli Caſtorei aut Sagapeni.

IV. Sternutatio errhinis promovebitur, huic ſatisfacit nicotianæ fumus naribus intromiſſus, aut ejuſdem plantæ pulvis floribus ephemeri remixtus, vel quod validius agit, pulvis compoſitus ex ſinapi, piretro, aut caſtoreo, interdum nares intus fricantur plumis oleo Ambari imbutis.

V. Deinde, ut commoveantur efficacius ægræ, proprio nomine elata voce advocantur, vel ſuccutiuntur, aut ipſis digiti contorquentur, capilli abraduntur, aut pili interdum pudendorum.

VI. Clyſteria diverſi generis tandem uſuveniunt primo purgantia ex decoctione confecta foliorum matricariæ, aut artemiſiæ, in quibus ſolvantur tres vel quatuor drachmæ *Heræ-picræ* Galeni, addita etiam uncia, vel uncia una & ſemis vini emetici ſaturatioris.

Poſtquam hujuſmodi clyſterii ope primas vias expiaverimus hyſterica clyſmata uſuveniunt ex decoctione

Foliorum Artemiſiæ
Matricariæ
Pulegii
Rutæ } ad manipulum

Seminum Chervi
Cymini

Baccarum Lauri
Fructuum Ariſtolochiæ

ſeliguntur pro libitu ex iis duo, vel tria additis unciis duabus olei Rutæ, vel Galbani, aut Aſſæ-fœtidæ drachma, aut drachma una, & ſemis.

Interdum ſimpliciora clyſteria conveniunt ex ſemis ſextario confecta vini rubri, & duabus, vel tribus unciis olei Rutæ, vel ſimplici Oxicrato cum tertio aquæ diluto; at animadvertendum eſt crebro difficillimum eſſe in mulieribus hyſtericis ullam clyſmatum ſpeciem adhibere; nam contracta inteſtina illa reſpuunt.

VII. Applicantur plerumque umbilico emplaſtrum ex Galbano paratum, vel Galbano, & Aſſa-fœtida, aut Gummis, Caranna, & Tacamahaca, oleo Succini, aut Tinctura Caſtorei ſubactis.

Mulierum pleræque conſueſcunt in paroxiſmi tractatione centrum umbilici oblinire tribus, vel quatuor granis Moſchi, aut Camphoræ, pauco oleo amygdalarum dulcium ſolutæ, vel cum oleo Succini, aut Gagatis ſuperapponendo emplaſtrum aliquod ex indicatis.

In Occitania, & vicinis Provinciis plebeæ mulierculæ ſolent interiorem ſuperficiem figulinæ pateræ allio fricare, quam in hoc morbo umbilico applicant, cui fortiter adhæret, modo allium caleſiat.

Fortaſſis ſubtiliores hujus remedii moleculæ peritis hyatus ſanguinem intrando ipſum valde commovebunt; autumo tamen optimos effectus ab odore præſertim procedere, qui nares afficit; verum quomodocumque res ſe habeat, cum huic remedio fidant magnopere ægræ, neque ipſum nocuum experiantur, idcirco minime contemnendum videtur.

VIII. Iis adhibitis efficaciores experiuntur boli, aut potiones hyſtericæ, quæ patrantur ſequenti methodo ex remediorum farragine ſeligendo magis idonea, ceteris tamen præcellunt.

Aquæ adverſus hyſtericos vapores magis commendatæ, ſunt illæ,

Meliſſæ ſimplicis, vel compoſitæ
Cardi
Matricariæ
Artemiſiæ
Peoniæ
Nucum
Ceraſorum nigrorum
Florum Tilliæ
Aurantiorum

Earum ſingulæ ad duas, vel tres uncias adhibentur.
Pulveres etiam ſequentes adduntur quales ſunt.

De Cutteta
Radicis Valerianæ ſilveſtris
Peoniæ maſculi
Florum Tilliæ

Ca-

Caſtorei
Aſſæ-fœtidæ &c.

Doſis a ſeptem, vel octo granis, ad quindecim, aut viginti extat pro diverſo pulverum numero.

In aquis interdum diluuntur, ſequentia electuaria.

Theriaca
Confectio hyacinthina
Confectio alkermes.

a drachma ſemis ad drachmam;

Tincturæ etiam uſuveniunt, quales ſunt

Tinctura Myrrhæ
Caſtorei

a guttis decem ad viginti, aut vigintiquinque;

Tinctura anodyna &c. a guttis viginti ad triginta;

At ut earum doſim tutiori methodo ſanciamus theriacæ quantitati ratio habenda eſt.

Tandem ſyrupi anthyſterici præſcribuntur

Artemiſiæ
Matricariæ
Peoniæ ad ℥ I., aut ℥ I. & ſ. doſim

Ex iis diverſis pharmacis potiones anthyſtericæ ſubiguntur plus minuſve ſaturatæ, quæ cochleatim duplici quoque horæ quadrante exhibentur, at cochlearia grandiora primum, verum exiguiora propinantur.

IX. Boli, aut opiata ex iiſdem ſimplicibus, aquis diſtillatis exceptis, componuntur; efficaciores evadunt efficaciora ſeligendo pharmaca, vel largiori doſi ea propinando prout paroxiſmi violentia poſcet; boli de horæ dimidio reiterantur, modo tamen grandiori doſi primum indulgeamus.

Etiamſi hujuſmodi boli ex ſimilibus ſubſtantiis conflentur, ac anthyſtericæ potiones, rarius tamen præſcribuntur, tum quia haud facile eſt illos ægris exhibere coarctati gutturis ergo, cum etiam, quia neceſſum eſſet ipſos a ventriculo ſolvi poſſe, ſecus remedii actio retardatur; quare in aliqua aquarum anthyſtericarum ſolvuntur, & potionum more cochleatim propinantur.

X. Inter diverſos bolos anthyſtericos duo præſertim commendant; *primus* coagmentatur ex duplici ſcrupulo ſulphuris communis, & darchma nucis myriſticæ cum ſyrupo Artemiſiæ ſubactis; *ſecundus*, quam validior evadit, ex Caſtoreo, & Aſſa-fœtida conficitur, ad drachmæ ſemis doſim, cui additur granum & ſemis, aut duplex granum Laudani; bolorum alteruter in tres partes dividitur, duplici quoque quadrante aut ſingula hora ſejunctim exhibendus prout morbus urgeat.

Pro efficaciſſima commendant *mixturam*, aut potionem ſimplicem ſuperaffundendo tres, vel quatuor uncias aquæ Artemiſiæ, aut Matricariæ tres vel quatuor guttas olei Succini cum anatina parte olei Gagatis unico vel duplici hau-

ſtu remedium exhibendo, quod efficacius evadet addendo viginti, aut viginti quinque guttas tincturæ anodynæ.

XI. Si vapores hyſterici vehementiores ſint, & remediis obſiſtant, neceſſum erit brachium, aut pedem incidere; pedem tamen ſalubrius, reiterando venæ ſectiones etiamſi pulſus debiles, & exigui appareant, ut mos eſt in iis circumſtantiis circulationis retardatæ ergo, vomitum etiam promovere fas erit tres, aut quatuor grana propinando Tartari ſtibiati ſolubilis in duabus, vel tribus unciis Aquæ diſtillatæ cardi benedicti, ut ventriculus ſuccutiatur, modo pulmonis conditiones id ſinant; de cetero etiam in hoc caſu Tartarum exhibetur majori copia aquæ ſolutum affatim ſolutionem hauriendo, ut de aquis mineralibus fieri ſolet.

XII. Communiter receptum eſt in vaginam intromittere Moſchum, aut Zibetum, qui lymphaticum effluvium promoveat, uterumque abſtergat; at Religio prohibet pollutiones ita excitare; nihilo tamen minus aſſidentes mulieres, invitis medicis, hanc methodum pluries impendunt, quantumvis turpis ipſa ſit.

Ratio medendi extra paroxiſmum.

Quando paroxiſmus diſceſſerit, noſtrum erit tantum regreſſus præoccupare, qua de cauſa neceſſum erit antecedentem cauſam detegere, ut eam neceſſariis remediis validius pugnemus.

I. Si morbus ab intermiſſione, aut ſuppreſſione menſium, lochiorum, aut albi fluoris procedat, emmenagoga præſcribuntur, ceteraque remedia pro iis morbis ſuperius deſcripta.

II. Si ſola albi fluoris acrimonia morbum inducat, dliuentia, temperantia, atque dulcificantia locum habent ſuperius in albo fluore propoſita.

III. Si acrimonia, & copia ſeminis in cauſa ſint, vulgari, & obvio tutiorique remdio, matrimonio videlicet, ei medetur; ſecus vero antiphrodiſiaca in furore uterino commendata uſuveniunt.

IV. Tandem ſi tumores, & obſtructiones uteri ovariorum, aut tubarum, vel partium proximarum hyſteriſmum moveant, aperientibus remediis illæ reſolvuntur, aut progreſſus pluries indicatis remediis ſiſtuntur.

Generice idonea methodus vapores hyſtericos eradicitus ſanandi eo collineat, ut præſcribantur.

1. Aperientia martialia mitiora qualia ſunt

Tartarum Martiale ſolubile	a gr. x. ad xxv.
Sal Martis Riverii	
Crocus Martis aperitivus	
Æthiops Martialis	

Tinctura Martis a ℥ II. ad ℥ IV.

2. Aperientia Mercurialia dulcia, quæ purgant debiliter, vel nihil cathartica ſunt ut

Æthiops Mineralis cum ſulphure per deflagrationem, aut triturationem paratus

Æthiops Mineralis per triturationem confectus, & remixtus ſaccharo

Aſſa-fœtida
Caſtoreo
Myrrha &c.

ſingu-

ſingulorum a granis xv. ad xxv.

3. Reſinæ anthyſtericæ quales ſunt

Caſtoreum
Myrrha
Gummi Ammoniacum
Galbanum

quæ a granis viii. ad xii. ſumuntur; vel in bolos, aut opiata rediguntur, ipſas propoſitis aperientibus remiſcendo

4. Diluentia, & humectantia, quæ ſanguinem emolliunt, aut refrigerant ab æſtu, quem anthyſtericorum uſus nimis excitaverat, qualia ſunt.

Balnea tepentia
Semi-balnea
Apozemata, ſeu decocta refrigerantia
Aquæ Minerales ferrugineæ, & acidulæ
Lactis ſerum ſimplex, vel chalybeatum
Lac Aſellæ

5. Purgantia leviora ſæpe reiterata, inter amarotica ſeligenda talia ſunt,

Rhabarbarum
Infuſio, aut ſyrupus florum perſicorum
Syrupus Cichorii compoſitus, qui amarior evadat ſummitates infundendo

Abſynthii
Centaureæ
Ariſtolochiæ.

6. Narcotica etiam exhibentur, modo ſuſpicemur aliquam in utero impreſſionem adeſſe, aut nervorum labem, quæ hyſtericos vapores minetur pro libitu impendi poſſunt

Laudanum in ſubſtantia ad gr. j.
Tinctura anodyna ad gutt. xx.
Pilulæ Cynogloſſi ad gr. iv.
Pilulæ Starkei a gr. iv. ad viij.
Theriaca communis ad ℥. ß.
Theriaca cæleſtis a gr. vij. ad x.

7. Tandem optimum regimen præcipere neceſſum erit tum quantitatis, cum qualitatis alimentorum reſpectu, quod haud facile erit obtineri a mulieribus admodum inconſtantibus, tamen id neceſſariſſimum videtur.

Interdum evenit, gravidas mulieres hyſtericis vaporibus, imo ſævioribus corripi; tunc enim coacti erimus propoſita remedia impendere tum in paroxiſmo, cum extra paroxiſmum propoſita; cavendum tamen eſt ne fœtum lædamus effi-

caciora præſcribendo, modo morbi ſævities ea non poſtulet, aut mitiora incaſſum exhibita ſint.

Remedia ſpecifica, quæ adverſus hyſtericos vapores a nonnullis commendantur.

Inter plurima hujus ſpeciei remedia nos obſervationibus magis confirmata, tutiora, & celeberrimorum medicorum auctoritate ſuffulta tamen exponemus.

I. Primum locum obtinet *Moſchus* intus ſumptus ſub forma bolari, vel idoneo vehiculo dilutus a granis octo ad duodecim, & ultra.

Horatius Augenius (*a*) remiſcebat quinque grana Moſchi ſcrupulo uno Cinnamomi Caryophyllorum, aut nucis aromaticæ, eaque vino ſoluta propinabat; teſtatur ipſe conſtanter felicem eventum hujuſmodi remedium præſtitiſſe.

Reinerus Soleaander (*b*) refert, incaſſum jam ceteris adhibitis remediis, hyſtericum paroxiſmum certiſſime compeſcere tria grana Moſchi cum anatina quantitate ſanguinis Draconis remixta, & in unciis quatuor aquæ florum aurantiorum ſoluta, quo auxilio hyſtericam anum perfecte ſanavit.

Gregorius Horſtius (*c*) ait hyſtericum morbum ſubegiſſe moſchum exhibendo ambaro copulatum.

Lacarus Riverius non ſolum commendat Solenandri remedium in ſua edita (*d*) Praxi; imo in ſuis (*e*) obſervationibus narrat pluries utiliter remedium exhibuiſſe.

Et ipſe Moſchum in hyſtericis vaporibus adhibui; neque inutiliter, eoſque ſalubres effectus a narcotica virtute deſcendere mihi viſum eſt.

II. *Ungula alcis* raſpata, & idoneo vehiculo propinata ad ſcrupuli, aut granorum triginta quatuor circiter doſim magnopere commendatur.

Hujuſmodi pulvis, ut ajunt, adverſus Epylpeſiam facit, at eventus adhuc minime ſpei conceptæ reſpondit. Apollonius (*f*) Menebenus ex eo concludit adverſus hyſtericum morbum ipſum utilem evadere, cum epyleſiæ affinis videatur, indicat ipſe obſervationem, quæ huic ſententiæ nonnihil favet; at omnis fides decidit, cum pedum integrum fruſtulum collo appenſum hyſtericos vapores penitus ſubigere perperam credat.

III. *Juli nucis Juglandi* exſiccati & in pulverem redacti hic locum habent ad duorum ſcrupulorum doſim, addendo duplicem guttam olei Karabis.

Thomas Mufetus (*g*) hoc remedium inter efficaciora jactat, at ſi ipſum ullum effectum præſtet ſuccino potius, quam Julis tribuendum videtur.

IV. Suffumigia ex pulvere *Verucarum*, quæ equorum crura deturpant, pariter prodeſſe credunt; exſiccantur enim verucæ, & in pulverem rediguntur, atque earum pugilli aliquot ſupra prunas inſperguntur; fumus vero intra nares recipitur.

Aubertinus Bottonus (*h*) credit hujuſmodi remedium mirificum eſſe, ut hyſtericæ mulieres, quæ defunctæ credebantur, ſtatim vitam & ſanitatem recuperent; nihil officit id experiri, imo utile fuiſſe non contendo.

V. *Ozycratum*, aut acetum aqua remixtum per clyſterem intromiſſum ad libram, aut per os ſumptum ad ſex uncias non parum levaminis afferre putant, Riverius admodum ipſum laudat tum in (*i*) Praxi, cum in propriis obſervationibus. (*k*)

VI. *Gra-*

(*a*) *Lib.* XII. *Epiſt.* 7. (*b*) *Sect.* IV. *Conſil.* 15. (*c*) *Lib.* V. *De Morbis Mulier.*
(*d*) *Lib.* XV. *Cap.* 6. (*e*) *Cent.* I. *Obſerv.* 65. (*f*) *Tractat. De Alce Cap.* 10.
(*g*) In Epiſtola *ad Petrum Manarium.* (*h*) *De Morbis Mulier.* (*i*) *Lib.* XV. *Cap.* 7.
(*k*) *Cent.* III. *Obſervat.* 83. *Et Cent.* IV. *Obſervat.* 6.

VI. *Grana aſles* exſiccata & friata ad drachmæ quantitatem ſumpta, & in vini cratere ſoluta pariter commendant, eorum defectu *fuligo lucida* ſubſtituitur ſimili doſi in vitello hauſta. Riverius (*l*) ambo ea remedia aſſerit paroxiſmos hyſtericos, eorumque regreſſus ſiſtere, idque propria experientia confirmat.

VII. Levior decoctio radicis *Brioniæ* albæ in vino albo quandoque propinatur. Mattiolius (*m*) hoc remedium proponit quaſi ſpecificum, aſſeritque mulierem quotidie hyſtericis vaporibus obnoxiam penitus convaluiſſe hujus remedii hauſtu per integrum annum loco cœnæ ſemel tantum in hebdomada continuato; Brioniæ anthyſterica virtus hujus medici auctoritate præſertim fulcitæ; fœculam etiam nonnulli exhibent, quæ infirmiorem tamen effectum præſtat.

VIII. *Primiparæ placenta* furni ope exſiccata, & in pulverem redacta in idoneo vehiculo ad drachmam propinata, ſi (*n*) Riverio fidendum eſt, ictu oculi paroxiſmum ſubigit. Fridericus Hoffmanus (*o*) pariter hujuſmodi remedium commendat quaſi certiſſimum adverſus hyſteriſmos, eorum enim auctoritate commotus illum retuli, nam candide *plura refero quam credo*.

IX. Medici nonnulli in hyſtericis vaporibus (*p*) *Camphoram* adhibent, eamque vel in pulverem redactam ad granorum decem, aut duodecim, doſim exhibent, vel ſub forma bolari ſyrupo quondam anthyſterico ſubactam, aut oleo amygdalarum dulcium ſolutam; interdum ejuſdem fruſtulum comburunt, quod in quinque, aut ſex unciis aquæ anthyſtericæ extinguunt, quam ægris propinant. Hujuſmodi remedium anodyna ſua virtute agit, ut ejuſdem uſus prorſus detrimento expers evadat; at experientia didici ipſius eventum admodum variare, idcirco parvi (*q*) faciendum eſſe.

X. Chimici jactant adverſus hyſtericum morbum ſtanni uſum, ejuſdemque præparationes, videlicet *magiſterium*, *ſal*, & *oleum Saturni* &c.

Sumunt ſtanni fruſtula, duæ in crucibulo ignis ope continuo remiſcendo in calcem redigunt, poſtquam in mortario marmoreo longa trituratione in pulverem rediguntur. Hæc ſalubrior eſt, atque tutior præparatio; exhibetur ad octo, decem, aut duodecim grana remixta extracto alicujus plantæ anthyſtericæ, aut ſimpliciter theriaca, vel confectione hyacinthina.

Magiſterium conficitur ſolvendo ſtannum in aqua regali, ſuperaffundendo vero bis decuplum aquæ communis, ut diluatur ſolutio, & metallum ſub pulveris albi ſpecie fundum petat, qui pulvis pluries aquæ tepenti abluitur ut ab aquæ regalis molleculis repurgetur. Hoc remedium vel extrinſecus umbilico applicant, vel intrinſecus ad grana quatuor, aut ſex exhibent.

Præparatio ſalis, & olei Saturni, quam Sennertus (*r*) proponit, longior, & difficilior evadit. Solvitur enim ſtannum Anglicum cum aqua forti nitri, & aluminis, decidit ſtatim albus pulvis, ſeu ſtanni magiſterium.

Hujuſmodi pulvis in vaſe ſublimatorio, ut de floribus antimonii fieri ſolet, exaltatur, poſtquam collecta materies in aceto deſtillato ſolvitur.

Deinde acetum in ſiccitatem uſque deſtillant, deſtillatuſque liquor denuo pulveri remiſcetur pluries cohobactiones reiterando uſque dum acetum omnem pulverem ſecum abripiat, tunc ad ſiccitatem acetum evaporatur: ex maſſa vero reſidua cum ſpiritu vini Tinctura elicitur ſaturatiſſima pluries ſpiritum ſuperaffundendo; ad dimidium tunc ſpiritus vini deſtillatur, & ſuperſtes liquor in

(*l*) *Prax. Lib. XV. Cap. 6.* (*m*) *Comment. ad Lib. IV. Cap. 176.*
(*n*) Praxeos *Lib. XV. Cap. 6.* (*o*) Patholog. *Part. III. Sect. I. Cap. 5. §. 7.*
(*p*) Riverius, *ubi ſupra*. Velſchius, in Mictomimematis annexis *Ann. 4. & 5. Decur. I.* Ephemerid. Medico-Phyſico Germanic. *Art. 7.* (*q*) Vide Auguſtinum Thonerum, *Obſervat. Medicinal. Lib. 3. De Morbis Uterinis Obſervat. III.*
(*r*) *Inſtitut. Lib. V. Part. III. Sect. III. Cap. 15.* & Prax. *Lib. IV. Part. II. Sect. III. Cap. 4.*

cella vinaria reponitur, & efformabuntur cryſtalli, quæ *Sal*, aut *chryſtalli Saturni* dicuntur, intuſque exhibentur ad eandem magiſterii doſim. Si hujuſmodi cryſtalli marmoreæ tabulæ nonnihil inclinatæ in loco humido ſuperimponantur, per *deliquium* ſolventur, & liquorem ſuppeditabunt, quem oleum Saturni, uat ſtanni appellant; putant, quod ejuſdem guttæ nonnullæ umbilico applicatæ hyſtericum paroxiſmum de repente ſiſtant, vel eæ intus ad quinque guttulas idoneo vehiculo exhibitæ.

Noſcimus jam Chimicorum jactationes, quibus ſi fidendum eſſet, (ſ) hujuſmodi remedia hyſtericos vapores diſſiparent *uſque ad miraculum, vel incantamenti inſtar*. Nondum tamen ea exhibere auſus ſum, & merito quidem, cum Boerhaavius & ipſe illa contemnat: *Minus amo*, (t) ait, *hoc metallicum, tutiora præſto ſunt eidem propoſita.*

(ſ) Præſtantiſſima, ac præſentiſſima ſunt remedia in uteri ſuffocationibus, quas ad miraculum compeſcunt, tam intrinſecus, quam extrinſecus. Joh. Scroderus. *Mineralogiæ*, *Cap.* 14.

(t) Chimiæ *Part. III. Proceſſu* 187.

FINIS LIBRI SECUNDI.

CATA-

CATALOGUS CHRONOLOGICUS MEDICORUM,

Qui ſpeciales de Morbis Mulierum Tractatus tradiderunt, vel de iis in inſtitutionibus mentionem fecerunt.

IN QUATUOR EPOCHAS DISTINCTUS.

PRIMA EPOCHA.

HÆc Epocha cum Medicina primum incepit, cum ipſa vero intra temporum latebras abiit; ea ad annum uſque 800. a C. N. producitur, quando Romani Imperii ejectione Medicinam, ceteraſque ſcientias ſecum Arabes exportarunt, quorum florentiſſimum Imperium Aſiam, Africam, & Europæ maximam partem occupabat.

In iis primordiis Medicina valde pervaga erat, ac pluribus diviſa ſectis, quarum nulla ſyſtema referebat, quod omnes artis complecteretur partes, & opinionum incertitudinem determinaret; at an. 180. a C. N. Galenus Peripateticorum Aſſecla in laudabilem formam iis temporibus accommodatam Medicinæ præcepta digeſſit, atque quatuor admiſit qualitates *calidum* nempe, *frigidum*, *humidum*, & *ſiccum*, quatuor pariter elementa, humores quatuor, totidem temperamenta, totidemque intemperies.

Hippocrates vel nullum, vel illum (a) Democratis adoptavit ſyſtema, quod & Epicurus proſecutus eſt; Galenus vero ingenioſe Hippocratis canones ſuis accommodavit inſtitutionibus, cum ii tunc temporis plurimi exiſtimarentur.

In hoc ſyſtemate quamvis erroneo, quoad Phyſicam pertinet, eſſentialia magis, & medicinæ neceſſaria complectuntur; indoles videlicet, & cauſæ morborum proponuntur omnes, tum indicationes, quibus mederi oportebit; uno verbo in eo

(a) Autumant Hippocratem Democratis diſcipulum fuiſſe. *Celſus in Præfatione.*

in eo morborum omnium Diagnoſim, Prognoſim, ac remediorum exhibendi rectam rationem reperies, quod artis eſſentiam conſtituit.

Hujuſmodi ſyſtema nonnullas contentiones paſſum eſt, ipſius Auctoris etiam ætate, at cito evanuerunt, & a Medicis omnibus illius ævi communiter receptum fuit; Arabes vero ſubſequenti ævo, & qui eos ſecunda Epocha proſequebantur idem amplexi ſunt; illum denique tertia Epocha univerſaliter acceptum fuit, undique lectum, defenſumque a Medicis in Europam poſt Scientiarum reſtaurationem viventibus uſquedum quarta, & poſtrema Epocha novis Anatomicis inventis, & cadaverum inſpectione noviſſimo lumine medicina refulſit, quamvis nunc jam obſoletum ſit quoad phyſicam explicationem ſpectat, ipſum tamen adhuc defendunt quoad indoles, & indicationes morborum attinet, medendique rationes; progreſſus vero, qui in iis poſteriori-bus medicinæ partibus facti ſunt, ampliarunt potius, quam deſtruxerunt Galeni ſyſtema.

Ea ætate Pharmaciæ ſtudio magnopere conſuluerunt ut farcimen confirmat formularum, quas Galenus in pharmaceuticis (*a*) libris congeſſit, aut *Scribonius Largus*, in ſuis operibus deſcripſit; animadvertendum tamen eſt, eorum compoſitiones innumeris conflari pharmacis, quare Plinius eas valde (*b*) merito contempſit.

Neque Botanicam prorſus neglexerunt; aſſerunt nonnulli quemdam extitiſſe Cracevum ſtirpium hiſtoria non parum inſtructum, at ejuſdem deſunt opera, ſi ullum exaravit, eorum defectu Dioſcoridis labor, atque Plinii plurimarum plantarum deſcriptio certum nobis præbent indicium hujuſmodi ſtudium tunc ſatis invaluiſſe.

Idem tamen de Anatomicis perquiſitionibus prædicare nequimus; incaſſum enim prædicant Herophillum, & Heraliſtratum verſatiſſimos in hac ſcientia fuiſſe; quinimo concedere fas erit Hippocratem, Galenum, ceteroſque Græciæ Medicos in ea valde aridos fuiſſe, nullumque veriſimiliter cadaverum diſſecuiſſe.

Cadaverum enim inſpectionem ad morborum ſedes, & cauſas detegendas neceſſariſſimam, tunc temporis rariſſimam fuiſſe cenſeam, cum morborum explicationem parum, vel nihil ad anatomiam referrent, neque in Græcorum librorum pervolutione hactenus ullam mihi anatomicam obſervationem animadvertere licuit.

Chimiam vero penitus ignorabant, multumque poſt tempus eam colere, & medicinæ aptare ceperunt.

In humana corpora aſtra influere inter Orientales nationes vetuſtiſſimam opinionem fuiſſe conſtat a Sabeorum religione, quæ communiter colebatur, ipſis derivatam; hæc ſententia in Græciam tranſlata Græcos Medicos decepit, eamque Galenus confirmavit, atque ampliavit, cum criticos dies conſtituiſſet, & ſummam Lunæ in humores influentiam prædicaſſet.

Fides vero, quam characteribus, & verſibus præſtabant, ſummopere erat contemnenda, ajunt enim Catonem (*c*) barbara quædam dicta magnifeciſſe ad oſſa luxata, vel fracta reſtituenda. Verum Quintum Serenum Sammoniacum Gordiani Imperatoris Medicum, & Præceptorem ad Æmitriteum ſubjiciendum ver-

---

(*a*) *De Antidotis. De compoſitione medicamentorum ſecundum locos. De compoſitione medicamentorum per genera.*

(*b*) Quo Deorum perfidiam iſtam monſtrante? Hominum enim ſubtilitas tanta eſſe non potuit. *Plin. Hiſtor. natur. Lib.* XIX. *Sect.* 8.

(*c*) Cato, *De Re ruſtica*, *Cap.* 160.

verbum (*a*) *Abracadabra* commendaſſe, ita pluries conſcriptum, ut cuique lineæ demendo literam conum referret, quem collo appenſum morbum profligare cenſebat.

Pari ratione judicare poterimus de amuletis, ſeu ſubſtantiis quibuſdam, quas partibus affectis applicitas ipſarum morbis mederi ſuperſtitioſe fatebantur.

Galenus teſtatur radicem (*b*) Peoniæ, infantum collo ſuſpenſam epilepſiæ inſultum compeſcere; Actius ſuadet (*c*) jaſpidem appendere ad ſcrubiculum uſque deſcendentem, aſſeritque ſe ipſum eo pacto ſtomachi morbo convaluiſſe; Tralianus magis credulus pene certiſſimum remedium proponit pro febre tertiana ſubjuganda olivarum folium ante ſolis ortum collectum, cui inſcriptum ſit verbum (*d*) UM CA ROI, & collo ægrotantium appenſum; at innumera exempla afferre poſſem hujuſmodi, quæ perlegi poterunt apud (Augier Ferier) medicum Toloſanum *Lib. II. Cap.* 11. *De methodo medendi*.

Eo tempore Romæ, & Italiæ (*e*) Plinio teſte tres invectæ morbi ſpecies noviſſimæ, quæ valde perterruerunt, verum brevi evanuerunt.

Prior *lepra* fuit, quam exportavit Pompei exercitus e Syria redux, ubi cum Ægypto Regno propinquo communis eſt & Endemia, at morbus cito deſiſtit, *& hic quidem morbus*, Plinius ait, *in Italia celeriter extinctus eſt*.

Altera *Lichenis* ſpecies erat ſerpentis & epidemicæ, quæ mentum præſertim occupabat, & oſculis, aut amplexibus facile communicabatur, *veloci tranſitu oſculi* ex quo *Mentagra* appellata fuit. Plinius enarrat ipſam ab Aſia Romam tranſtuliſſe Equitem Romanum, quem ipſe nomine indicat.

Poſtremus morbus *Anthrax* erat, quem Plinius in Narbonenſi Provincia Endemium fuiſſe tradit, ille Romam tranſductus ſuo tempore adhuc vigebat.

Plinius tandem de colico dolore ibidem verba facit nocuo morbo, quo primum Tiberius Imperator correptus fuit; tunc Romani valde mirati ſunt, cum Cæſar annunciaret novo nomine ſe *colo* laborare, *magna enim Civitatis ambage cum edicto ejus excuſantis valetudinem legeretur nomen incognitum*,

(*a*) Inſcribas carthæ quod dicitur Abracadabra.
Sæpius, & ſubter repetas, ſed detrahe ſummæ,
Et magis, atque magis deſint elementa figuris
Singula, quæ ſemper rapies, & cetera figes.
Donec in anguſtum redigatur littera conum.
His lino nexis collum redimire memento.

A B R A C A D A B R A
A B R A C A D A B R
A B R A C A D A B
A B R A C A D A
A B R A C A D
A B R A C A
A B R A C
A B R A
A B R
A B
A

(*b*) *De ſimplicium medicam. facul. in voce* Glycyſida. (*c*) *Lib.* II. *Cap.* 35.
(*d*) *Lib.* XII. *Cap.* 7. (*e*) *Hiſtor. natural. Lib.* XXVI. *Sect.* 6.

gnitum, quare admirationem non ab ignorantia morbi inſurrexiſſe credendum eſt, ſed a novitate potius appellationis, qua Imperator eum deſignavit.

Ant. C.N. Anno 432. HIPPOCRATES veterum Medicorum antiquiſſimus, cujus opera ad nos uſque pervenerint, qua de cauſa quaſi medicinæ Patrem poſteriores Medici omnes ipſum reſpexerunt, qui neminem latet; ut ſupervacaneum ſit hic cunctari in vitæ ſuæ hiſtoria, quæ ad paucas & incertas notiones reducitur.

Sufficit animadvertere, communiter receptum eſſe ipſum vixiſſe Anno Mundi 3538.; Romæ vero 318. ante Chriſtum Natum 432.; virum gignit Inſula Coos in mare Ægeo; verum praxim exercuit Theſſaliæ præſertim; & apud Thraces.

Longiorem vitam duxit; nam qui eam ſubducunt, ad annum uſque 76. pertigiſſe dicunt, ſed alii annos 190. perduraſſe autumant, quod propriæ ſcientiæ, atque optimo vitæ regimini valde tribuendum videtur.

Inter opera, quæ ei tribuuntur multa ſuſpecta ſunt; ſtili enim diverſitas atque ſyſtematis principia ab Hippocraticis non parum diſſita ſuſpicionem augent, eamque magis confirmat Galeni (*a*) opinio, qui aſſerit Adriano imperante, duos Medicos Alexandrinos Artemidorum nempe Capitonem, & Dioſcoridem eas elucubrationes collexiſſe quingenteſimo anno ab Hippocratis diſceſſu; difficile enim videtur, quod poſt tot annorum ſpatium hujuſmodi Codicem recto ſcrutinio perficere poſſent abſquequo ſtillum atque ordinem mutarent.

Erotienus qui ſub Imperio Neronis vivebat genuina Hippocratis opera determinare ſategit, ex quibus reſpuit Librum *de Natura Muliebri*, & alterum *de Virginibus*, amplius eſt tamen illos *de Morbis Muliebribus*, & *Sterilibus*; at ejuſdem pace, Hippocratis editores conveniunt incertum eſſe finem primi Libri *de Morbis Muliebribus*, quod ambos ſuſpectos reddit.

Me latet qui primus de hoc libro ſuſpicatus ſit. Mercurialis qui ſedulo Hippocratis opera inquiſivit, eorum tres claſſes conſtituit, Libros *de Natura Muliebri*, de *Morbis Muliebribus*, & *de Sterilibus* in tertia claſſe reponit, inter illa opera videlicet quæ minime ad Hippocratem pertinere credit, ſed ad alterutrum ejuſdem diſcipulorum. Joannes Henricus Schultius Medicinæ (*b*) Profeſſor Altorfi circa hoc Mercurialem proſecutus eſt, idemque novis rationibus confirmat.

Erotieni enim ſententiæ adhærebimus Hippocrati Libros tribuendo, de quibus quæſtio eſt; tamen prætereundum non eſt, multas in iis ambiguitates reperiri præſertim cum de uteri *aberratione* locutus ſit, ubi erroneas ſententias tradit, etiamſi ab Hippocratis doctrina in ſuis Operibus alio ſuffultæ videantur; putat enim uterum poſitum ſæpe mutare, & non ſolum ſtomachum verſus, jecur, aut cor transferri, ſed caput etiam aggredi, eaque de cauſa paſſionis hyſtericæ phœnomena omnia producere; mirum ſane eſt, Hippocratem hujuſmodi motus utero tribuiſſe, quorum futilitas ſatis pateſcit; at magis admirandum eſt, hanc erroneam ſententiam plures Medicos, qui illum proſecuti ſunt, amplexos fuiſſe.

Ant. C.N. Anno 96. ASCLEPIADES Bithynus celebris Medicus Romæ ætate Pompeji ſumma cum laude Medicinam exercuit anno ab Urbe condita 658. & ante Chriſtum Natum 96. Cicero (*c*) ipſum *Medicum*, & *amicum* appellabat.

Ejuſ-

(*a*) *Comment. I. in Librum Hippocratis de natura humana.* (*b*) In Hiſtoria Medicinæ, in 4. Lipſiæ 1728. *p.* 215. 216. & 244. (*c*) *Lib. I. de Oratore, p.* 283.

Ejuſdem labores numquam ad nos pervenerunt, ut apud Aetium (*a*) de quo infra locuturi erimus, remedia nonnulla reperiuntur ad ulcera uteri cicatrizanda idonea, quæ Aſclepiadi cuidam tribuuntur, qui (*b*) Galeni etiam teſtimonio noſtras eſſe videtur.

AURELIUS, aut AULIUS CORNELIUS CELSUS Medicus Romanus, A.C.
qui vixit ſub Tiberii Imperio illuſtris evaſit, Tractatus Medicinæ ergo, N. Ann.
quem luculenter latine ſcripſit, ut ceteris in linguæ puritate præcellere vi- 35.
deatur: quæſtio eſt ſi Celſus Medicus fuiſſet neve Medicinam profeſſus ſit, vel vir quidam eſſet ingenio, & doctrina præditus, qui ſponte de Medicina ſcripſiſſet, ut de Bello, & Agricultura ſcribere ſategit; at id difficile eſt definire, quod ad nos parum facit, ſufficit enim animadvertere Tractatum compoſuiſſe, ſeu melius a Græcis Medicis, & Hippocrate præſertim materias excerpſiſſe, quas ſine ordine digeſſit, & quaſi *miſcellanea*, aut ſpecimina medicinæ conſiderari poſſunt.

Hujuſmodi opus in VIII. libros diſtribuitur in eorum IV. libello Caput reperitur XX. nempe, quod de hyſterica paſſione agit, at inconcinne illam deſcribit; oſtenderunt enim recentiores Scriptores (*c*) manuſcripta colligendo Celſi hoc Caput incompletum eſſe, & lacunam dari, quæ nobis demit finem hujus Capitis; tum alia tria ſubſequentia, quæ agunt de *Vulva exulcerata*, de *Veſica*, & *de Calculis in Veſica*.

In VII. eorum Librorum duo alia Capita extant; in quibus nonnulla de mulieribus agit; primum XXVIII. nempe de Filiabus imperforatis Græce Ἀτρηται pertractat, alterum XXIX. de extractione diſſerit fœtus mortui; nihil præbet Celſus circa mulierum morbos, quod alio non reperiatur & præſtantius; idcirco ut Medicus quidam admonet, non ad Medicinam diſcendam, ſed potius linguæ puritatem adipiſcendam ipſum pervolvere neceſſum erit, (*d*) *Illius*, ait ille, *Cote ſtylum ſubigemus, & pluris latinitatem ejus quam medicinam faciemus.*

CLAUDIUS GALENUS Pergamenus inter Medicos Græcos poſt Hip- A.C.
pocratem celebratiſſimus. Ab ætate, quam ipſe habuiſſe narrat dum advo- N. Ann.
catus fuit ab Aurelio, & Lucio Vero dum Aquileiæ detinebatur, dedu- 100.
citur anno circiter decimo quinto Regni Adriani ortum habuiſſe, idcirco a Chriſto nato (*e*) vixiſſe 131. plures Provincias Imperii Romani peragravit, præſertim vero, in Ægypto, & in Alexandria degit, ubi celebriores erant (*f*) Medicinæ Scholæ; vixit viventibus Antonino, Aurelio, Lucio Vero, Commodo, & Severo, qui illum magni exiſtimarunt, & pluries eo uſi ſunt.

Suidas aſſerit Galenum 70. annos vixiſſe, quare cum natus eſſet decimo quinto anno Adriani, tumulatus eſſet nono anno Imperii Severi, qui annus circiter incidit in 201. Æræ Chriſtianæ; hujuſmodi calculus magis rationi conſonus videtur illo, quem Auctores nonnulli voluerunt diuturniorem vitam Galeno tribuendo, Pergami inter Patrios Lares mortuus eſt quo paulo antea, qua de cauſa ignoramus, reſtitutus erat.

Plures ipſe libros compoſuit, qui non omnes ad nos pervenerunt, ipſe teſta-

(*a*) *Lib.* XVI. *Cap.* 93.
(*b*) *Lib.* II. *De antidotis*, & paſſim, ubi *de compoſitione medicamentorum*.
(*c*) Mergagni, *Epiſt.* II. & III. *in Celſum*.
(*d*) Joannes Rhodius.
(*e*) *Vide Chronologicum Galeni Elogium a Philippo Labbeo*.
(*f*) Ammian. Marcellin. *Livr.* XXII. *Sur la fin.*

teſtatur plures combuſtos fuiſſe (*a*) in incendio Templi Pacis, ubi dum Romæ detegat ipſos repoſuerat; plures tamen ſuperſunt, qui ſatis Galeni indolem ſuperius indicatam declarant.

Certum enim eſt Medicinam non ſolum, ſed pluribus aliis ſcientiis edoctum fuiſſe, at ejuſdem ſtylus longus, prolixus, Aſiaticus experiebatur, ut lectores magnopere tæderet; verum ſi de animi qualitatibus verba facere liceret vanus erat, glorioſus, ab aliis laudis non expectabat, ceteros Medicos contemnebat, plurieſque vituperabat.

Nihilo tamen minus præter eos defectus, quos neque negare, neque excuſare audeo, Galenus magni ſuo tempore exiſtimabatur, multo pluris tamen poſt ipſius mortem, quando ſuum ſyſtema ceteris palmam præripuit; nam primum multas contradictiones paſſus eſt, ut ipſe affert dum narrat Quintum tunc temporis celeberrimum Medicum (*b*) irriſiſſe ſuum ſyſtema, defendendo (*c*) *Quod de calido, frigido, ſicco, & humido ajunt, utique Balneatorum eſſe nomina.*

Haud cognovi qua de cauſa Galenu ſomnia magni faceret, neque ejus credulitatem excuſare poſſent; (*d*) hortatur enim ſomnia ſedulo animadvertenda, atque afferit (*e*) duorum ſomniorum cauſa, ægrotantis pleuritide correpti indicis arteriam diſſecuiſſe, quam patulam reliquit uſquedum ſanguis ſponte fluere defineret; *nam* ait ipſe *ſomnium ita præceperat*, qua methodo æger perfecte convaluit. Tandem affert Dei (*f*) Pergameni miniſtrum, eodem morbo affectum ſanitatem recuperaſſe venam manus, externam incidendo prout ſomnium admonuerat, *aggreſſus*, ait *& ipſe illud inſomnii monita.*

Minime in dubium revocamus inter innumera opera, quæ ipſe ſcripſit, interdum mentionem feciſſe de mulierum morbis, nos tamen inſtitutum præteriremus paucas circa hoc notiones hac illac excerpendo; ſat erit igitur enunciare nullum de hac re ſcriptum reliquiſſe, præter illud, quod a Galeno derivare omnes editores contendunt, ſub titulo de *Gynæceis* inter ejuſdem opera quandoque relatum, auctoris nomine ſane indignum, quare Braſſalova in IX. Editione apud *Junta*, & Renatus *Chartier* conveniunt quod *jejuna prorſus & anguſta ſit tractatio*.

A.C.N. Ann. 250. SORANUS. Duo habentur Sorani Medici Epheſii, alter Trajani, & Adriani tempore vixit, eique tribuitur vita Hippocratis, quæ ad nos uſque pervenit eſt; alter junior erat, atque Suidas aſſerit, ipſum quatuor libros compoſuiſſe *de Mulierum Morbis*, eidemque tribuunt libellum *de utero, & muliebri pudendo* Pariſiis Græce impreſſum Ann. 1554. Typis Adriani *Turnebi*, & latine receſum An. 1556. apud Gullielmum *Morel*.

Hujuſmodi Tractatus fragmentum eſſe videtur majoris operis; uteri ſtructuram exhibet, quam cum imperfecte veteres cognoſcerent, opus prorſus inutile evadit.

A.C.N. Ann. 350. ARETEUS Cappadox inter veteres Medicos recenſetur, ejuſdem ſupereſt Medicum opus Græce ſcriptum, & in octo libros diſtinctum, quorum tamen non omnes ad nos pervenerunt.

Medicinæ Hiſtorici inter ſe valde diſcrepant circa ætatem; qua vixerat; alii

(*a*) *Lib. I. De compoſit. Medicamentorum per genera Cap.* 1. *Et de Libris propriis Cap.* 2.
(*b*) *Lib. de præcogn. ad Poſthumum Cap.* 1.
(*c*) *Galenus*; *De ſanitate tuenda Lib. IV. Cap.* 13.
(*d*) *In Lib. VI. Hipp.* De Humoribus, *Comment. II.* Method. Medendi *Lib. XIV. Cap.* 2.
(*e*) De curandi ratione per ſanguinis miſſionem *Cap.* 23. (*f*) *Æſculapius*.

alii animoſe fatentur Romani Imperii initio id eveniſſe, hocce confirmant oſtendendo Jonico dialecto ipſum ſcripſiſſe, quod poſt illud tempus obſoleviſſe aſſerunt, at Menagius objectionem (*a*) deſtruit plures Græcos Auctores enunciando, qui ſub Adriani, & Severi Imperio eo idiomate uſi ſunt.

Cenſerem enim hunc Medicum poſt Galenum locum habere, ſed ante Aetium, qui anno 380., & Paulum Æginetam, qui anno 420. inter vivos erant, præſertim cum utrique ipſum in ſuis ſcriptis advocent.

Aretei ſtilus conciſus erat, & Hippocratis more valde arctus, cui ſtuduit, atque pluries in teſtimonium vocavit: ejuſdem opera Galenum nihil prorſus redolent, quod confirmat, hunc Auctorem ipſum vel non legiſſe, vel contempſiſſe.

In Areteo prima (*b*) reperitur hydropis cum hydatidibus obſervatio, quam perbelle deſcripſit, etiamſi originem, & naturam ignoraret.

Inter octo libros, quos ipſe compoſuit, quatuor cauſas, & ſigna morborum explicant, quorum duo acutos morbos, totidem chronicos explanant, quatuor reliqui pari ratione diſtribuuntur, duo nempe medendi rationem acutis morbis, reliqui duo chronicos reſpiciunt.

In ſecundo libro *cauſarum*, *& ſignorum morborum acutorum* in capite nono de Paſſione hyſterica locutus eſt ſub titulo, *De Vulvæ ſtrangulatu*, & in ſecundo libro, *curationis morborum acutorum*: capite nono de illius morbi curatione verba facit, ſub titulo *De Curatione Vulvæ ſuffocationis*.

De *Morbis uteri* pariter capite undecimo libri ſecundi de cauſis, & ſignis chronicorum ſermonem inſtituit; de eorumdem curatione, capite undecimo libri ſecundi differit, at in originali plura deſunt.

ORIBASIUS Sardus quarto ævo vixit, Imperatori Juliano fuit apprime carus, quapropter, & honores, & opes adeptus eſt; at cum hujuſmodi Imperator in bello contra Perſas anno 363. occiſus fuiſſet, non æquam Oribaſius cum ſucceſſoribus ſuis fortunam expertus eſt. A. C. N. Ann. 363.

Oribaſius ipſe narrat Julianum Imperatorem ei præcepiſſe collectionem præſtantiorum veterum Medicorum, juſſumque implevit, ut in 70. libros opera omnia Medica antiquorum digeſſerit.

In poſterum ſpecimen hujus collectionis in novem libros diſtribuit ad uſum Euſtachii filii ſui; paullo poſt quatuor libros vulgarium remediorum congeſſit, quos Eunapio dicavit; tandem in ſpeciali libello inſtrumenta, atque machinamenta chirurgica tunc temporis uſitatiora oſtendit.

Extant adhuc novem libri *Sinopſis Medicinæ* pro Euſtachio filio ſcripti; verum quatuor Eunapio dicati, tum Tractatus de *Laqueis*, & *Machinamentis*; ac magni operis ſub titulo *Collectanea artis Medicæ*, quod 70. libros complectebatur, niſi decem & ſeptem ſuperſunt; Oribaſii opera ex manuſcriptis latine tradita fuerunt a Joanne Baptiſta Raſario Medico Novarienſi, Baſileæ Anno 1557. in triplici volumine in 8. impreſſa; nondum ea Græce typis mandata fuiſſe arbitror.

Ipſe de Morbis Mulierum in duplici opere locutus eſt; in illo, quod pro

(*a*) *In amænitatibus Juris.*
(*b*) *De ſignis, & cauſis diuturnior. Morbor. Lib.* II. *Cap.* I.

pro filio exaravit; nono videlicet libro quindecim capita reperiuntur, quæ de præcipuis Mulierum Morbis agunt; in altero vero opere Eunapio dicato, quarto libro nempe ſeptem capita extant, quæ de eadem materia pertractant, verum in utroque parum utilitatis inveneris.

A.C. N. AETIUS Meſopotamus poſt Oribaſium vixit, quem ſæpe in ſuis ſcriptis
Ann. (*a*) indicavit, idcirco circa finem quarti ſæculi, perperam nonnulli con-
830. fundunt Aetium Medicum cum Epiſcopo Aetio Semi-Ariano, qui error a
nomenclaturæ ſimilitudine procedit.

Ipſe reliquit totius Medicinæ codicem utiliorem, & præſtantiorem illo Oribaſii. In XVI. libros dividitur, quorum primi octo Græce impreſſi fuerunt Venetiis *apud Aldum in fol.* An. 1534. ceteri octo ſuperſunt manuſcripti in pluribus Bibliothecis, obvii in illis præſertim Regis Noſtri, ubi plura extant exemplaria. Joannes Cornarius latine tradidit ex Græco idiomate omne Aetii opus, quod Baſileæ impreſſum apud *Froben* An. 1547. *in fol.* ſub Titulo *de contracta ex veteribus Medicina*; poſtremus liber hujus operis, qui continet 112. capita, morbos mulierum explicat, & primus eſt tractatus, qui circa hanc materiam pervolvi mereatur.

Nil magis laude dignum eſt, quam auctoris candidus animus in enunciandis Scriptoribus, ex quibus materiem deprompſit, pluries enim in auxilium vocat Galenum, Aſpaſiam, quam credo Obſtetricem fuiſſe, Philomenem, Leonidam, Archigenem, Ruffum, Filagrium, Soranum, & Aſclepiadem.

A.C. N. PAOLUS ÆGINETTA videlicet Æginæ Inſulanus vixit, ut credunt,
Ann. ſub Imperio Honorii, & Theodoſii Junioris. anno circiter 410. a C. N.
420. ſaltem poſt Oribaſium, & Aetium locum habet, cum utroſque frequenter
nominet.

Hic Medicus medicinæ inſtitutionem nobis reliquit iis temporibus accommodatam ſub titulo *de Re Medica*, & in ſeptem libros diſtinctam; ipſe admonet congeriem eſſe notionum ſelectarum Galeni, & Oribaſi ceterorumque, qui eum præceſſerunt.

Hujuſmodi opus Græce primum Venetiis excuſum fuit *apud Aldum in fol.* Ann. 1528., verum latine verſum a pluribus Medicis videlicet Albano Torino, Joanne Guintherio Andernaco, & Joanne Cornario: quæ verſiones omnes pluries editæ ſunt; in tertio libro hujus operis decem, & ſeptem capita reperiuntur de Morbis Mulierum, videlicet a 60. ad 76 caput; pariter in ſexto libro ſeptem alia capita habentur a 69. ad 75. comprehenſa, in quibus præſertim de partu, deque ejuſdem conſecutionibus agitur.

A.C. N. MOSCHIONUS, non latet hujus Medici ævum, verum ſuſpicari lice-
Ann. bit inter vetuſtiſſimos Medicos non eſſe recenſendum; extat de hoc aucto-
500. re Græcæ ſcriptum περὶ γυναικείων παθων *id eſt Tractatus de Morbis Mulie-*
rum, qui 163. Articulos complectitur, ipſum in Græco manuſcripto innumeris ſcatet erroribus, etiamſi Geſnerus eum corrigere ſategerit, tamen adhuc imperfectus perſiſtit.

Repe-

(*a*) *Lib.* XV. *Cap.* 13. 18. 29. *&* *alibi paſſim.*

Reperitur antiqua verſio latina ejuſdem operis, quæ nonnihil amplior eſt, & magnopere conducit ad exemplaris correctionem.

Inſeruerunt verſionem, & manuſcriptum in duplici collectione Auctorum de Morbis Mulierum; altera VVolphiana, & altera Spachiana; verum cavendum eſt, ne Moſchionum hujuſmodi cum vetuſtiori Moſchione confundamus, cui duplicem tractatum Plinius tribuit, primum *de Raphano*, alterum de *Peſſariis*.

CLEOPATRA Ægypti Regina; librum ei tribuunt *de Morbis Mulierum* latine ſcriptum; quem tamen ajunt Græco idiomate translatum fuiſſe. A.C. N. Ann. 800.

Hujuſmodi libellus in collectionibus duabus de Morbis Mulierum invenitur ſuperius recenſitis, altera nempe a Gaſparo VVolphio Baſilææ impreſſa anno 1586. in 4. altera impreſſa Strasburgi ab Iſraelo Spachio anno 1595. *in fol.* facile eſt cognoſcere hujuſmodi opus tunc temporis ignorantia craſſante apographum fuiſſe.

THEODORUS PRISCIANUS Medicus Latinus, quem antiquiorem Medici crediderunt quam revera eſt, ad VIII. potius, aut IX. ſæculum referendum; at hic fruſtraneum eſt contentionem diſcutere. A.C. N. Ann. 800.

Eo nomine inſignitus tractatus extat fratri Timotheo dicatus in tres libros diſtinctus, quorum primus dicitur *Phænomenon Euporiſton*, ſecundus *Logicus*, tertius *Gynæcea ad Salvinam*, in hoc poſtremo Auctor decem breviora capita habet de Morbis Mulierum; illud opus Baſilææ fuit impreſſum apud *Froben* Anno 1532.

Idem eodem anno recuſum fuit Strasburgi *in fol.* triplici libro addito Chirurgiæ Albucaſis; ſollicitationibus Germani Comitis *de Neuvenare*; hoc tamen diſcrimine, quod in editione Baſilæenſi opus *Theodoro Priſciano* tribuitur, in Stasburgenſi vero *Octavio Horatiano*: verum in priori impreſſione tres tantum libri obſervantur, ſuperallato titulo indicati, in poſtrema vero, quatuor Tractatus reperiuntur ſequenti ordine digeſti:

I. *Logicus de curationibus omnium fere morborum corporis humani ad Euporiſtum.*
II. *De acutis, & chronicis Paſſionibus ad eundem.*
III. *Gynæcea de Mulierum accidentibus, & curis eorumdem, ad Victoriam.*
IV. *De Phyſica ſcientia ad Euſebium filium.*

Tandem in Baſilæenſi editione Matrona, cui liber de Morbis Mulierum dicatur, Obſtetrix videtur nomine *Salvina*, in Strasburgenſi vero *Victoria* appellatur.

NONUS Medicus Græcus, Anno Chriſti 915. inter vivos ſub erat Imperio Conſtantini Porphyrogenetæ, a quo præceptus fuit ſequentem librum componere. A.C. N. Ann. 915.

De omnium particularium Morborum curatione, Argent. *in* 12. 1568.

Hieronymus Martinus Medicus Ausburgenſis Manuſcriptum in publica Bibliotheca reperit ejuſdem Civitatis, quod latine vertit, & tum Græce cum Latine imprimere curavit.

Hujuſmodi opus de omnibus pene Morbis pertractat in 296. Capitibus, haud perlongis ut *breviſſima Medicinæ Synopſis* videatur, clara tamen & exacta cum idonea praxi conjuncta, quæ brevitati operis reſpondet; mulierum morbos 13. Capita complectuntur, iique explicantur juxta ſententias Pauli Æginetæ, & Aetii.

Quamvis Nonus trans errores vitam duceret, quod hujuſmodi Epochæ attribui, hic tamen de eo mentionem facere autumavi methodi ergo quam proſecutus eſt, quæ Græcos Medicos valde æmulatur, & a Medicina Arabum procul diſſita videtur.

FINIS PRIMÆ EPOCHÆ.

SE-

SECUNDA EPOCHA.

SÆculo IX. cum Imperium Occidentis obverteretur, & Provinciæ a Barbaris Nationibus invaderentur, quæ ſcientias parvi faciebant, & illud Orientis etiamſi adhuc ſubſiſteret, in diem tamen periclitabatur, ſcientiæ pariter, quæ illuc florebant, ſenſim ſenſimque defecerunt, contra Arabes, qui quotannis celeberrimos progreſſus faciebant, atque dominium totius Orientis, maximam nempe Aſiæ, Africæ, & Europæ partem tenebant, ſcientias pariter ſui juris fecerunt.

Idcirco Artes, & Medicina præſertim, eamdem Imperii ſortem proſecuta eſt, ut dum apud Græcos, cum Imperii dejectione ſcientiæ deſinebant, apud Arabes potentiæ augmento, & ſcientiæ ipſæ maximum gradum ſublimitatis adeptæ ſint; ſub Imperio præſertim Califi *Almamon Abdalla*, qui anno 813. a Chriſto nato ſummum Jus tenebat, ſuo juſſu Græcorum opera omnia Arabice verſa ſunt, qua de cauſa omnes Græcorum notiones apud Saracenos exportatæ fuerunt, ut Geometræ, Aſtronomi, Mechanici, atque Medici reperirentur, quibus ceteræ Nationes, & Europa præſertim intra ignorantiæ latebras involuta orbabantur.

Ea ſcientiarum conditio 400., aut 500. annos perduravit ab 800. nempe anno ad 1200. Tunc Europæ Nationes mercimonii ergo, quod cum Arabis habebant, ſcientiarum elementa denuo excerperunt, hujuſmodi commercium patet a vicinis Provinciis peractum fuiſſe; Italorum reſpectu, Neapolitani, qui Arabis Siciliam imperantibus, propinquiores erant, & noſtratum Occitani Hiſpanie proximiores primi fuerunt, qui ab iis ſcientificas notiones mutuati ſunt.

Quamvis religionis diſcrepantia, & regionum longinquitas obſiſteret, nihilo ſecius Chriſtiani rerum ſuarum (*a*) commutationem iniebant, ut traditionibus (*b*) conſtat; at ſummum negotiationis onus Judæi utrinque exer-

(*a*) Salerni Portus olim mercimonii cauſa celebratiſſimus fuit, qui Arabes, qui Siciliam, Africam, & Hiſpaniam tenebant facile conveniebant. Trotula enim Obſtetrix (1) Salernitana, quæ obſtetriciæ Artis libellum (2) ſcripſit Anno 1200. vel 1250. quamdam Saracenarum (3) mulierum indicat, quæ adverſus oris fœtorem remedia nonnulla exhibebat, verum illa refert, quæ hujuſmodi muliercula ad capillorum nutritionem fovendam ſuppeditabat; evidens enim eſt tunc temporis Salerni Arabes fuiſſe, qui Medicinam exercerent.

(*b*) Monſpelii vero reſpectu Guillielmi filii Ermenegaldi Domini hujus Provinciæ Edicta Anno 1121. exarata, quibus Succeſſoribus prohibet ne Judæis, aut Saracenis aliquam facultatem permittant, ſatis confirmant tunc Monſpelii Saracenos habituriſſe, qui præcipuos honores, atque onera Civitatis implebant; ait enim ipſe (4) *Heredibus meis prohibeo, ne aliquam Bailiam, vel dominationem alicui Judæo, vel Saraceno in Montepeſſulano donent.*

Beniaminus de Tutela Judæus, qui Monſpelii anno 1160. (5) tranſitum fecit de hac Civitate tradit eo Saracenos, atque Chriſtianos undique ex vicinis Provinciis negotiationis cauſa convenire. *Locus*, ait, *negotiationi accommodus .... quo ex omni loco ad mercaturam confluunt Edom* (Chriſtiani) *& Iſmael* (Saraceni) *plurimi.* Veriſimile eſt inter Saracenos plures medicos adfuiſſe.

Tandem Guillelmus filius Duciſſæ Mathildis Monſpelii Dominus, & junior filius Gu-

(1) Vide infra articul. de Trotula.
(2) *De Paſſionibus Mulierum.*
(3) *Cap. 61.*

(4) Gabriel, *Series Præſulum Monſpelienſium, in vita Galteri*, Edit. 2. p. 140.
(5) In principio *Itinerarii*.

exercebant, iique Medicinam Occitanis, & Neapolitanis communicarunt, a quibus vetuſtiores Europeæ Univerſitates tum Monſpeſſulana, cum Salernitana originem duxerunt, ut in poſterum ſenſim ſenſimque per totam Europam Medicinæ ſtudium ampliaretur, & plures reſurgerent ſcientiarum Scholæ.

At cum omnia temporum viciſſitudini ſubjiciantur, circa XI. aut XII. ævum ſchiſma, atque inteſtinæ diſſenſiones potentium Califuum Imperium laniarunt, idque cum Scientiarum dejectione evenit, quæ apud illos cum medicina ipſa labefactari cæperunt; at ſecunda fortuna nos ſatis docti eramus, & Medicinæ præſertim ſtudium apud nos non ſolum perſtitit, verum novos in diem progreſſus adeptum eſt; ſemitas tamen Arabum proſequendo, a quibus illam didiceramus; in ſcholis tunc præ manibus erant verſiones Arabum Medicorum (*a*) præſertim *Canones Avicennæ*, & nonus Liber *Rhazis de Almanſor*, ubi ſpecimen Medicinæ, aut ſumma capita lectionum reperiebantur; recenſentur itaque triginta commentaria Rhazis, & plura Avicennæ, ceterorumque Arabum.

Eorum ſententiæ 30. an. adhuc perſtiterunt uſque dum Byzantium Turcæ anno 1453. ſubegerunt, & illuc litteræ obverſæ apud nos reſtitutæ ſunt; quare Medici Hippocratem, & ceteros Græcos Medicos pervolvere ſategerunt, qui vividius lumen afferebant, ut conſiderari poſſit hujuſmodi tempus, quaſi initium tertiæ Medicinæ Epochæ.

Dum medica ars intra Arabes fuit, & Sectatores ſuos, videlicet ab anno 800. uſque ad 1500., quod ſpatium Secundæ Epochæ tribuitur, Galeni ſiſtema proſecuti ſunt, etiamſi parum inter Clinicos uſuveniret. Inter opera medica illius ævi leviter de natura, indole, & differentiis morborum pertractarunt; offerunt enim ſynopſice indicationes, vel ut tunc loqui ſolebant, *intentiones*, *&* *ingenia* morborum indicabant, quæ proſequi neceſſum erat, atque magnopere curandi methodum inculcabant.

Simplicibus remediis, quæ Græcis innoteſcebant, innumera nova remedia Arabes addiderunt, quæ apud illos creſcebant, vel ex Indiis facile exportabant, quorum pleraque adhuc in pharmacopeis ſuperſunt.

Quantumvis ampla eſſet eorum remediorum farrago, nihilo tamen minus in Medicina adhuc non exuberarent, niſi Medici invicem plura eorum ſubegiſſent, ut innumeras compoſitiones patraſſent. Nunquam electuaria *Lohoc Pilulæ*, *Sies*, aut *Collyrii ſicci*, *Syrupi*, *Trochici*, *Triferæ Philonii*, *Rob*, *Hieræ* &c. medicinam inferſerunt; ſeu melius dicam, nunquam polypharmacia maximum augmentum adepta fuit quam illis temporibus.

At dum materiam medicam excolebant, alias medicinæ partes Botanicam nempe, & Anatomiam magis neceſſarias neglexerunt; miror cur Arabes Phi-

Gulliemi ſuperius allati (6) ſolemniter anno 1196. Monſpelii commorantibus promiſit, atque decrevit publicis edictis, quæ adhuc ſuperſunt, minime *prece aliqua*, *vel pretio*, *ſeu ſollicitatione alicujus perſonæ* commoveri, ut ſolum Medicum Medicinam facere in publicis ſcholis ſineret, at cuique quavis regione nato permitteret legere, aut præcipere ſcientias, quod ſucceſſoribus ſuis pariter commendat. Evidens enim eſt generaliores ſeſe explicandi rationes *quicunque ſint*, *&* *undecumque ſint*, Judæos & Saracenos comprehendere, ut Medicinam Monſpelii libere & ipſi exercere valerent.

(6) Gabriel, *ubi ſupra*, *p.* 129

(*a*) Prælegebatur Avicenna, qui Princeps totius artis habebatur ac appellabatur. Prælegebatur Rhaſis, & præſertim nonus ipſius ad Almanſorem Liber, in quo abſoluta curandorum omnium morborum ratio proponi ferebatur. *Janus Cornarius*, *in præfat. Paulo Æginetæ præfixa.*

Phytologiæ ſtudium contemnerent, quod a Græcis magnopere excolebatur, quos tamen ipſi proſecuti ſunt; Anatomiæ vero reſpectu eam Mahumeti leges contenderunt, quæ cadavera tangere ſub pollutionis crimine interdicebant; at quod mirum eſt ſimilem errorem ſectatoribus ſuis Chriſtianis communicarunt, qui etiamſi religio non obeſſet, tamen cadavera ſecare reſpuerunt; nonnulli credunt primum Monſpeli Anno 1376. humana corpora diſſecta fuiſſe de licentia Ludovici Galli Ducis Andegavorum Occitaniæ Præſidis; ipſe enim Facultatis doctoribus cadavera ſumere permiſit eorum qui cruce mulctarentur, quod confirmavit Carolus V. Rex Galliarum 1396.

Quod Arabes implicabat, ne Anatomiam excolerent, emortuorum etiam corpora perſcrutari impediebat, ut cauſas morborum internas detegere valerent; eorum itaque opera pervolvendo hujuſmodi obſervationes nedum reperiuntur, neque eæ obviæ ſunt inter ſcripta Medicorum, qui poſt illos vixerunt, ut inter minus recentes apud Gordonum tantum, aut Valeſcum de Taranta nonnullæ reperiantur.

Anatomiæ Arabes novam ſcientiam colendam ſubſtituerunt Græcis ignotam; hujuſmodi Chemia fuit, cui præ ceteris incubuerunt etiamſi ſuſpicari liceat ipſam ab Ægyptiis deprompſiſſe, qui primi eam perſcrutati ſunt; paſſim inter Medicorum Arabum reliquias fragmenta hujus ſcientiæ reperiuntur, quæ eam non parum cognoviſſe oſtendunt, verum eorum aſſeclæ utiliter hac arte uſi ſunt, quod facile innoteſcet labores perlegendo Arnaldi *Villeneuva*, & Raymundi Lulii, qui ceteris præcelluerunt.

Arabes Aſtrologiam pariter commendabant, eamque praxi applicabant; neceſſum enim erat phaſes, aut conjunctiones Planetarum conſulere, eaſque conſecutionibus aptare, quas ipſi deducebant; ex hoc procedit diſtinctio dierum climactericorum, & criticorum, præſertim ſeries *Ægyptiacorum*, cujus rei ſubtilitas apud nos diu perduravit; diariis enim indicabant tempora purgandi, aut venas incidendi magis idonea, & medici ipſi ea magni faciebant, ut nunquam obſiſtere auderent.

Eorum credulitas, imo dicam, fraus in die magis proficiſcebatur, ideoque Taliſmanorum virtutem magnifaciebant; modo tamen certa quadam ratione, aliqua phaſi planetarum occurrente, cum juramentis, iconibus, & characteribus ſpecialibus perficerentur; putabant enim hac methodo ſanitatem conſervare, amiſſam recuperare, & fortunas, atque opes facile adipiſci poſſe; innumera referre poſſem exempla, at ſat erit eo lectorem mittere ubi Arnaldus de *Villeneuve de ſigillis*, & *phyſicis ligaturis* in ſuo Tractatu diſſerit, in quo duo ſubſequentia refert exempla. Gerſonus Cancellarius Univerſitatis Pariſienſis mentionem facit in una ſua Epiſtola (*a*) cujuſdam Jacobi Angli Medici, *inſignis Villæ Montiſpeſſulani*, eumque contemnit, quia ſuperſtitione abreptus dies climactericos obſervabat, *de obſervatione* ait ille *dierum quantum ad opera*; aſpernitur pariter alterum Clinicum in alia ſua Epiſtola, (*b*) qui adverſus Nephritidem Taliſmanum præcipiebat collo ſuſpenſum, & Leonis imagine paucis characteribus additis inciſum.

Eo tempore duo novi morbi, qui uſque ad id tempus Græcis, & Romanis incogniti erant, apparuerunt, qui non parum illius ævi Medicos implicarunt, ut novam familiam practicæ inſtituerent.

Primus fuit *variolarum* morbus; quidam comprobare tentarunt Medicos Græcos hujuſmodi morbum non latuiſſe, & obvertendo ſenſum operum eo-

(*a*) *Tom. I. editionis poſtremæ Antuerpianæ*,
(*b*) *Tomo eodem, ad annum* 1428.

rum id oſtendere ſatagebant; at illuſio neque communis fuit, neque diuturna, hodie communiter receptum eſt hujuſmodi ægritudinem Arabis endemiam fuiſſe, atque apud eos commoraſſe uſque dum circa ſeptimum ſæculum extra natalis ſoli dominium ampliarunt in Aſia, Syriam, Ægyptum & Perſiam invadendo, atque Aſiam minorem; in Europa vero circa octavum ævum Siciliam, Neapolim, Hiſpaniam, & Narbonenſem Provinciam occupando.

Ab Arabis ergo, aut Saracenis variolarum infectio ad nos uſque pervenit, quam nos ceteris nationibus communicavimus, quæ illam ignorabant. Hiſpani enim in Mexico (*a*) Angli in Terra Mariæ (*b*) & Batavi in Inſulis, quam in Indiis Orientalibus occupant, ubi maxime progreſſæ ſunt variolas exportarunt; id apud nos mille ab hinc annis evenit, eæque eamdem vehementiam ſervant citra ſpem, quod eas penitus peſſundemus.

Alter morbus *lepra fuit*, ſeu *Elephantiaſis Arabum* in Ægypto, & Syria communis, quem Pompejus ipſe apud Italos exportavit, ubi tamen cito deſtitit, ut ſuperius obſervavimus in prima epocha; Galli vero in duplici Cruciata XI., & XII. ſæculi hoc morbo correpti ſunt, quem in Galliam tranſtulerunt, ceteriſque Europeis communicarunt, at poſt 500. annos circiter tandem abiit.

Quæ adhuc expoſita ſunt, oſtendunt apud nos morbos alienigenos ſimilem effectum præbere, ac animalia, aut arbores, quæ e longinquis Regionibus apud nos transferuntur; Pulli enim Indi in Europa facile cicurantur, at Pittaci Americani pereunt; creſcunt caſtanea, non vero palmæ, & piſtachia, quare concludi poteſt, inter animalia, arbores, & venena exotica, quædam facile climati noſtro aſſueſcere, alia nunquam.

A.C. N. Ann. 1000. AVICENNA Medicus Mahumetanus, qui in Araba lingua appellatur *Abuhali*, *Albouſſain*, *Ebenhali*, *Ebenſina*, ideſt Houſſain pater Hali, filius Hali, filius Sina. Ab hac poſtrema voce *Ebenſina* illum Avicenna compoſuimus, quo hujuſmodi Medicus inſignitur.

In Perſia natus eſt anno Hegiræ 370. & Æræ Chriſtianæ 980., obiit anno Hegitæ 428., & a C. N. 1038. ideoque 58. annos vixit, cujus brevem ætatem tribuunt libidinoſæ vitæ.

Ille etiamſi parum vixerit multum tamen ſcripſit. Ejuſdem duo volumina reliqua ſunt *in fol.* Venetiis impreſſa apud *Juntas* ann. 1595., quorum pars Venetiis pariter edita fuit 1500. *in* 4.

Præcipuum Avicennæ opus *Canon Medicinæ* appellatur; videlicet *Medicinæ regula*; in quinque Libros dividitur, qui integram Medicinæ inſtructionem complectuntur, ibique in libro tertio de *Morbis Mulierum* pertractat, *Fen* Seu Sectio XXI. tres tractatus continet, quorum ambo priores conceptionem, geſtationem, & partum reſpiciunt, tertius ceteros Morbos Mulierum oſtendit.

Mihi viſum eſt Avicennam ceterorum Arabum Medicorum aſſeclam fuiſſe, at haud facile eſt clare ipſius operis indolem perſcrutari, nam verſio illa Avicennæ, quæ apud me eſt a Gerardo Cremonenſi peracta, & ab Andrea Alpago correcta, tum a Joanne Coſteo, & Joanne Paulo Mongio reviſa, tandem a Fabio Paulino Utinenſi publicata, ita inconcinne elaborata fuit, & hinc illinc obſcuris fragmentis, lacunis, Arabis vocibus interſperſa, ut vix intelligi queat.

JOAN-

(*a*) *Bernard. Diaz de Caſtillo*, Cap. 221. *Franciſco Lopez de Gomara*, Cap. 102. *Antonio de Herara*. Decad. II. Lib. X. Cap. 4.

(*b*) *Martinus Liſter*, *Exercitatiope* VIII. De Variolis p. 153.

JOANNES SERAPION Medicus Arabs, de quo pauca ſcimus, vixit probabiliter XI. ſæculo circa Annum 1060. aut 1070. A.C. N. Ann. 1060.

Ejuſdem duo libri extant ſub titulo, alter

De ſimplici medicina a *Simone Januenſi* latine verſus poſtquam a Judæo Dertoſæ ex Arabo traditus fuit.

alter erat.

Practica Joannis Serapionis dicta *Breviarium* ex Arabo latine verſa a Gerardo Cremonenſi

Ambo ea volumina impreſſa fuerunt Venetiis *in fol. per Bonetum Locatellum Bergomenſem* 17. *Calendas Januarias* 1497.

In hoc poſtremo libro de omnibus corporis morbis agit, in VII. Tractatus materiam diſtinguit; in IV. Tractatu capita decem poſtrema de Morbis mulierum pertractant juxta ceterorum Arabum ſententiam, ea tamen capita non omnes mulierum ægritudines complectuntur

HALY ABBAS, vel ut ille appellari conſueverat in capite III. Operis infra enunciandi, Haly filius Abbas, diſcipulus Abimeher filius Moyſis vixit ſæculo XI. & Arabo idiomate ſcripſit libellum ſub titulo: A.C. N. Ann. 1066.

Regalis diſpoſitio, quæ morborum eſt Tractatus, in duas partes diſtinctus, *Theoretica* una, quæ decem libros continet, *Practica* altera, quæ totidem libros complectitur.

De Morbis Mulierum, ſeu melius, de quibuſdam eorum in libro IX. Capite 38. & 39. primæ partis agit; & in libro VIII. ſecundæ partis capita 20. conſecutiva habentur, quæ ad illos morbos pertinent; at in utraque parte ad formulas nonnullas omnis reducitur labor, nunc jam obſoletas.

Haly opus latine vertit Antiochiæ anno 1127. Stephanus quidam, ut ad libri calcem indicatur; hujuſmodi verſionem vero repurgavit Doctor Medicus Antonius Vitalis, quam typis mandavit apud Jacobum Myt Lugduni in 4. anno 1523.

ABUBETER RHAZES vixit circa annum 1070. inter plures libros, quos de Medicina compoſuit, conſpicuiores ſunt decem illi Almanſori dicati Regi Cordubæ, IX. præſertim qui ſynopſim morborum omnium complectuntur innumeris aliorum auctorum commentis referti. A.C. N. Ann. 1070.

In hoc libro integer articulus reperitur, qui in XI. capita de Morbis Mulierum pertractat; quamquam tamen magni faciant hunc libellum, nihilominus parvi pendet; in eo Avicennam ſæpe in teſtimonium advocat, quod oſtendit paullo poſt vixiſſe.

Hoc opus Rhazis cum addito libello ab editore exarato ſub eo titulo *Libellus familiarium introductionum in artem parvam Galeni*: impreſſum fuit *in fol.* Haganoæ 1533. ſollicitationibus Doctoris Georgi Kraut.

CONSTANTINUS Medicus Orthodoxus Carthagenus, qui etiamſi in ea civitate Saraceni imperarent, Arabam, Græcam, & Latinam linguam addidicit, A.C. N. Ann. 1070.

 in qui-

in quibus plures libros Arabum Medicorum tradidit; verum in Apulia ſe recepit apud Robertum Guiſcardum illius Provinciæ Dominum, ibi in monte Caſſinenſi Monaſticam vitam duxit an. 1060. & cum Abbate Deſiderio conſuetudinem habuit, qui poſtea Pontifex creatus fuit, appellatuſque Victor III., qui obiit anno 1087., deinde cum Alphano neceſſitudinem iniit, qui primus fuit Salerni Archiepiſcopus circa annum 1070. cui dicavit libellum *De Stomachi affectionibus*, ideoque ipſum anno 1060. 1070., aut 1080. vixiſſe conſtat.

Ejuſdem operum collectio Baſilææ excuſa fuit *in fol.* anno 1536. addito opuſculo *De Paſſionibus mulierum*, & *matricis*; at hujuſmodi Tractatus, qui tres paginas non ſuperat, nihil animadverſione dignum præſtat.

Ant. C. N. Anno 1085. ALBUCASIS Medicus Mahumetanus Arabo nomine *Aboul-Caſem* vixit Anno circiter 1085. poſt ſe reliquit opera plura, quæ ad nos non pervenerunt, de illo ſupereſt Tractatus ſubſequens Chirurgicus

Manualis Medicina, impreſſa *cum Chirurgia Guidonis* de Cauliaco Venetiis 1500. *in fol.*

Hujuſmodi opus ex Arabo latine vertit Gerardus Cremonenſis, qui aſſerit trigeſimam tantum partem complecti grandioris operis ſub Titulo *Azaragi*.

At quomodocumque res ſe habeat, Albucaſis liber in III. partes dividitur, & in ſecunda parte a Capite LXXI. ad LXXVIII. de Morbis Mulierum agitur, ibique Chirurgiam commendat in partu, fœtus mortui, aut placentæ extractione; & in abſceſſu, aut cancro uteri &c. octo hujuſmodi Capita inſeruntur in duplici collectione VVolphii, & Spachii.

Ant. C. N. Anno 1100. AVENZOAR, ſeu Arabice (*a*) loquendo *Aben Zohr Alandlauſi* filius Zohr Vandalici Medici celebris in Vandalicia nati religione Judæi. Averroes (*b*) ipſum laudat, & aſſerit 135. an. vixiſſe. Verum ni id credere mavis, concludere tamen poteris paulo antea inter vivos fuiſſe idcirco initio ſæculi XII.

Extat Avenzoaris opus ſub titulo Taiſir, ſeu Theiſir, quod Arabice ſonat

Liber Theiſir clahelmodana vahelſabir, ideſt, *Rectificatio medicationis*, *& regiminis*. Venetiis 1496. *in fol.*

Hoc opus de omnibus Mulierum Morbis diſſerit: dividitur in XXVI. Tractatus; & in XXI. *de paſſionibus matricis* agitur in ſeptem breviora capita diſtincto, quæ ſingula hic referam

I. *De matrice, & defectu conceptionis*
II. *De apoſtematibus matricis*
III. *De corroſione matricis*
IV. *De laxitudine, & dislocatione matricis*
V. *De ſuperfluitate fluxus menſtrui*
VI. *De retentione ſuperflua menſtruorum*,
VII. *De opilatione, & plenitudine carnis, & ſciſſura in ore matricis*.

AVER-

(*a*) D. Herbelot, *Bibliothecæ Oriental. ſub voce* Zohr.
(*b*) *Lib. IV.* Colliger. *Capitulo de diebus criticis*.

AVERROES in Arabo idiomate *Eben Rhorc* Medicus Mahumetanus, qui Cordubæ Medicinam exercebat circa annum 1170. plures libros Artis reliquit, inter quos celebrior fuit, qui ſub nomine *Colliget* impreſſus fuit Venetiis inter Opera Abhomeron Aben Zoar *apud Gregorium de Gregoriis* 1496. *in fol.*; at poſt illud tempus pluribus aliis collectionibus ipſum addiderunt. A.C. N. Ann. 1170.

Hujuſmodi *Colliget* ſynopſis breviſſima eſt omnium morborum in VII. libros diſtincta; in III. libro Averroes, Capite XXIX. & Capite IX. libri IV. de Morbis Mulierum verba facit, & pauciora de iis morbis refert; ut vix mereatur inter Tractatus de Morbis Mulierum recenſeri.

NICOLAUS BERTRUTIUS Italus Bononienſis; vixit, ut ajunt, anno 1250. Opus Medicum reliquit, cujus titulus A.C. N. Ann. 1250.

Collectorium Artis Medicæ tam practicæ, quam ſpeculativæ. Lugduni 1509. *in* 4.

Illud opus vero ſub diverſo titulo pluries recuſum reperitur, & in duos libros diſtinctum, quorum alter *De Morbis particularibus*, alter *de univerſalibus* agit; prior in 4. partes ſubdividitur.

In tertia parte, Auctor de nonnullis mulierum ægritudinibus ſermonem inſtituit, deque iis cauſas, & ſigna oſtendit; omittendo tamen medendi rationem: Medicus, qui hunc librum edidit Hagenoæ *ann.* 1533. cum ipſum laudibus extollere vellet in Præfatione editionis ſuadere tentat ſpecimen eſſe tertii, & quarti libri *Canonis Avicennæ*, quod elogium noſtris temporibus parvi penditur.

TROTULA. Hoc nomine inſignitur Tractatus de Morbis Mulierum ſub titulo. A.C. N. Ann. 1250. vel 1300.

Gynæceorum Liber, curandarum ægritudinum in, ante, & poſt partum.

Hujuſmodi opuſculum, quod 63. exigua capita complectitur *anno* 1544. Argentinæ impreſſum fuit cura Georgi Kraut, verum Pariſis *anno* 1550. recuſum, duplici etiam collectioni inſeritur Auctorum, qui de hac re pertractarunt.

Hic libellus quamquam parvi faciendus, diſcrepantiæ tamen inter Medicos non levis cauſa fuit, cum nonnulli ipſum *Eros* cuidam tribuant Juliæ liberto Auguſti filiæ; alii Obſtetrici Salernitanæ ipſum referant, quæ *Trotula* appellabatur.

At quæſtio facile ſolvi poteſt; Trotulæ enim in prima Argentina editione opus tribuitur juxta manuſcriptum, ex quo fuit depromptum; eadem Trotula *Capite* 20. recenſetur, quæ ægram ſanavit ei commendatam, ergo ipſa opuſculum exaravit, de quo quæſtio habetur; itaque qua ratione unquam Eros tribui poteſt, cum *Capite* 61. de Saracenis Medicis verba fiant, eodemque *Capite* remedia coſmetica proponantur, quibus Salernitanæ mulieres utebantur; verum *Capite* 17. Cophon recens Auctor in teſtimonium advocatur, tandem *Capite* 61. Camphora præſcribatur, quæ ſub Auguſti Imperio nedum innoteſcebat.

Credidimus circa annum 1250. hunc laborem referre cum antea nondum

cara-

Saracenæ mulieres illic Medicinam exercerent, ut Trotula *Capite 61.* narrat, & Cophon teſtatur *Capite* 17.; certiores fieri potuiſſemus de Trotulæ ævo ſi innotuiſſet ipſius Cophonis tempus, at ipſum pariter latitat; ejuſdem enim duo opuſcula tantum ſuperſunt, ad calcem Meſue impreſſa Lugduni anno 1539. alterum *modus medendi* appellatur; alterum, quod brevius eſt. *De Anatomia porci* agit, utrumque pervolvi, & reperi ipſum citari *Paſſionarium Galeni, videlicet Gariopontum, & Coſtantinum*, qui utrique ad annum 1000. pertinent, quod tantum oſtendit poſt illud tempus Cophonem vixiſſe.

A.C.N. Ann. 1290. HENRICUS DE SAXONIA diſcipulus Alberti Magni, qui vixit ſæculo XIII.

Ei tribuitur duplex Tractatus, videlicet
De Secretis Mulierum. Auguſtæ 1489. *in* 8.
De Secretis Naturæ. Francfurti. 1615. *in* 8.

Ambo ii tractatus Mulierum Morbos reſpiciunt, videlicet conceptionem, geſtationem, partum, & puerperium; verum tot erroneis, & ſuperſtitioſis fabulis ſcatent, & quod veri complectuntur inconcinne ita proponitur, ut minime pervolvi mereantur.

Uterque Alberto Magno tribuitur Fratri Dominicano, & Epiſcopo Ratisbonenſi, quem ſeculo XIII. magni faciebant. Petrus (*a*) Boruſſus ejuſdem Ordinis Frater contendit, Albertum hunc librum compoſuiſſe, quem potius cuidam Thome *de Cantiprè* tribuere vult; fortaſſis veritatem defendit, at in editione, quæ apud me extat, utrumque Henrico de Saxonia Alberti Magni diſcipulo referunt.

A.C.N. Ann. 1305. BERNARDUS GORDONUS celebris Medicus Monſpeſſulanus, qui docuit anno 1285. decem, aut undecim poſt annos, videlicet ad an. 1296. Tractatum Therapeuticæ compoſuit ſub titulo *De decem ingeniis ſeu indicationibus curandorum morborum*; & novem poſt annos, vigeſimo nempe, quo lecturam aſſumpſerat circa 1350. grandiorem tractatum exaravit, quem *Lilium medicinæ* nuncupavit, ipſe univerſalem omnium morborum pertractationem præſtat, delectabantur tunc opera tumidis titulis inſignire quales ſunt, *Flos florum, Lumen luminum, Roſarium Philoſophorum &c.* nil mirum ergo ſi eodem errore & Gordonus correptus ſit; non abs re tamen erit rationes referre, quæ ipſum induxerunt hoc titulo libellum decorare. *Hunc librum*, ait, *in titulo* Lilium Medicinæ; *In lilio enim ſunt multi flores, & in quolibet flore ſunt ſeptem folia candida, & ſeptem grana quaſi aurea. Similiter liber iſte continet ſeptem partes, quarum prima erit aurea rutilans, & clara .... aliæ autem ſex partes erunt candidæ.*

In ejuſdem operis libro ſeptimo de Morbis Mulierum Gordonus agit a *Capite* nempe VIII. ad *Caput* XVIII., Arabum methodum undique proſecutus eſt, quorum fuit aſſecla, at illis nitidus magis eſt, & methodicus, verum interdum rationes obſervationibus confirmat.

Prima editio hujus operis Venetiis impreſſa reperitur anno 1494. *in fol.*

A.C.N. Ann. 1350. JOANNES PLATEARIUS Medicus Salernitanus, qui a ſæculo XIV. Vitam ducebat, varios Tractatus digeſſit: alter eo titulo inſignitus. *Li-*

(*a*) In vita Alberti Magni Cap. XVII.

Liber de ſimplici medicina, dictus circa inſtans, materiam medicam complectens.

Alter appellabatur

Practica brevis morborum curandorum, ubi de omnibus morbis pertractat.

In hoc poſtremo libro Auctor de Morbis Muliebribus locutus eſt juxta Arabum ſententiam.

Ambo Platearii opuſcula cum Serapione Venetiis excuſa ſunt *in fol. Anno* 1497.

VALESCUS DE TARANTA Luſitanus Monſpeſſuli medicinam exercere cepit ann. 1382. & poſt triginta, & ſex annos inchoatæ praxis videlicet circa 1418. practicæ opus congeſſit quod *Philonium* nuncupavit. A. C. N. Ann. 1418.

Illud in ſeptem libros dividitur, at quibus rationibus tali pacto Valeſcus opus diſtinguat perſpicito; *Rationabile mihi viſum eſt*, ait, *hunc librum in ſeptem particulas eſſe partiendum . . . 1. Enim ſunt ſeptem verba qua Dominus noſter Jeſus Chriſtus Salvator noſter in Cruce pendens locutus fuit, ſeptem ſunt dona Sancti Spiritus; ſeptem ſunt gaudia Virginis glorioſæ; ſeptem Sacramenta Eccleſiæ; ſeptem petitiones in Dominica oratione: ſeptem ſunt virtutes &c.*

In ſeptimo igitur libro duodecim Auctor capita ad Morbos Mulierum pertractandos deſtinavit; Stylus ſane barbarus apparet, at medicina rationabilius explanatur, quam in pertractationibus tum Arabum, cum Sectatorum ſuorum; obſervationes nonnullæ in hoc opere reperiuntur, quin etiam in illo Gordoni, quæ minime perleguntur in ceteris illius ævi Auctoribus; prima Philonii editio Lugdunenſis eſt *in fol.* 1490.

MARCUS GATINARIA Medicus Papienſis ſæculi XV., qui innotuit commenti ergo, quod in librum de Rhazis Almanſori dicatum exaravit Lugduni impreſſum anno 1506. *in* 4. & Pariſiis *in* 8. anno 1540. titulo inſignitum: A. C. N. Ann. 1440.

Marci Gatinariæ de curis ægritudinum particularium, Noni Almanſoris Practica uberrima.

In hoc Tractatu ſex capita reperiuntur, in quibus de nonnullis Mulierum Morbis interdum agitur, & eorum curatione ex. gr. *cura exitus matricis cura ſuperflui fluxus menſtruorum, cura retentionis menſtruorum, cura præfocationis matricis, cura rhagadiarum vulvæ, & ejus apoſtematis, cura molæ matricis.*

Nulla theoria de iis morbis ibi invenitur, at curandi potius methodus, vel, ut melius dicam, formularum farrago ab Arabis deprompta, quos continenter citat; nonnullos Medicos vetuſtiores etiam in teſtimonium vocat; nempe Joannem Arculanum, Gerardum De Solo Profeſſores Monſpeſſulanos, tum Matthæum De Gradibus, & alios quamplurimos.

ANTONIUS GUAINERIUS Papienſis Profeſſor, Mediolani medicinam ſcripſit, ut Medicum fuiſſe Ducis Philippi Mariæ Viſconti videatur. A. C. N. Ann. 1440.

Medicinæ curſum elucrubravit ſub titulo

Pra-

Practica celeberrimi Viri Antonii Guainerii, Papienſis Medicinæ Doctoris clariſſimi, Papiæ impreſſa anno 1518. *in* 4. verum Lugduni *in* 4. ſimiliter anno 1525.

In hoc libro habetur longa pertractatio *de ægritudinibus matricis*, quæ complectitur 27. *Capita*, & dicatur Philippo Mariæ Mediolani, ac totius Liguriæ Duci, ubi ipſe tunc temporis imperabat.

Hujuſmodi dicatio reſpicit proculdubio Philippum Mariam ſecundum filium Joannis Galeatii Viſconti I., idcirco cum ille Princeps obierit anno 1447., neceſſum erit, quod opus hunc annum præcedat; hujuſmodi Dux legitimis filiis carebat etiamſi magnopere optaret, quapropter paullo poſt Uxorem duxit, ut ex Guainerii dicatione apparet, *Dii boni!* ait, *quanta voluptas populos tuos Italiæ invaderet, ſi eam audierint ex Duce clariſſimo notam, Duci magnanimo copulatam, filium parenti, & viro perſimilem enixam*.

Guainerii opus Principi dicatum eo collineat, ut illum foveat felicem eventum; nam conceptionem, geſtationem, & partum reſpicit; conceptum præſertim cujus obſtacula explanat, & methodum ſterilitatem præcavendi docet, at parvi penditur; Joannes tamen *Faucon* doctus Profeſſor Monſpeſſulanus tum hunc, cum ceteros Guainerii libros commentatus eſt.

A.C. N. Ann. 1456. ANTONIUS CERMOSONUS Patavinus, qui unam e primariis cathedris hujus Univerſitatis occupabat, & Præceptor fuit Joannis Michaelis Savonarolæ, obiitqe anno 1458.

Ipſe publici juris fecit 153. Conſultationes Medicas circa morbos omnes, quas typis mandarunt ſucceſſores ſui Venetiis anno 1503. *in fol.*, quod opus poſtea pluries recuſum fuit, plerumque tamen cum Conſiliis Medicis ſimul Bartholomæi Montagna Medici Bononienſis.

Inter ea Cermoſoni conſilia 22. mulieres reſpiciunt, videlicet a 112. ad 133.; tantum, niſi farraginem præſtant formularum inconcinne diſtributarum eaque ſane Polypharmaciam ſatis oſtendunt Arabum, & Sectatorum eorum.

A.C. N. Ann. 1486. JOANNES MICHAELIS SAVONAROLA Profeſſor Patavinus medicinæ Opuſculum exaravit Papiæ impreſſum *in fol.* anno 1486. poſtea pluribus in locis recuſum in ſex libros diſtinctum; eorum quinque priores circa qualitates, & naturam alimentorum verſantur, ſeu materiam medicam explanant.

In poſtremo tantum libro Auctor de Morbis pertractat, & in *Capite* 24., uteri morbos oſtendit quos in 24. *rubricas*, ſeu paragraphos explicat; at potius conceptionem, geſtationem, & partum perſcrutatur, quam genuinas, & magis obvias matricis ægritudines.

A.C. N. Ann. 1490. GALEATIUS DE SANCTA SOPHIA Patavii natus anno 1490. celeberrimus Medicus fuit, qui non parum laudis ſibi promeritus eſt cum IX. librum Rhazis interpretaretur; hujuſmodi commentarium reperitur in editione Rhazis cura Kraut excuſa, ſuperius *pag.* 311. enunciata, per articulos ipſum diſtribuitur ad calcem utriuſque capitis.

A.C. N. Ann. 1500. ALEXANDER BENEDICTUS Veronenſis ſua prima juventute in (*a*) Græ-

(*a*) Medicin. *Lib. I. Cap.* 2. *Lib. XXVI. Cap.* 4.

Græciam apud Cretenſes appulit, ubi diu medicinam exercuit (*a*) Cydonii præſertim, & Methone in Pelopponeſo. Ab hoc itinere redux Venetiis ann. 1495. moram gerere ſibi ſuadebat, at præmio ſollicitatus (*b*) onus ſumpſit Medici Claſſis Venetæ, quæ adverſus Carolum VIII. Galliarum Regem, eodem anno impellebatur. Deducitur vero ab (*c*) Epiſtola ad eum miſſa anno 1508. inter vivos fuiſſe; imo cum in ſuis operibus ipſe oſtendat (*d*) terræmotum anno 1511. Italiam concuſſiſſe, ideoque tunc temporis etiam adhuc vixiſſe credendum eſt.

Præcipuum opus ejuſdem proſtat ſub titulo

Omnium a vertice ad calcem morborum ſigna, cauſæ, indicationes, & remediorum compoſitiones, utendique rationes generatim libri XXX. conſcripta.

In triginta libri Imperatori Maximiliano I. dicantur omnes, quare ante annum 1519. compoſiti fuerunt, quia hoc anno princeps ille deceſſit.

Inter eos tres de Morbis Mulierum agunt XXV., XXVI., & XXVII. nempe, in priori libro in 39. capita digeſto de conceptione, geſtatione, & partu pertractat; in poſtremis duobus fuſius abſolvit alios Mulierum Morbos; videlicet catameniorum ceſſationem, hyſtericam paſſionem, & inflammationem, abſceſſum, ulcus, atque cancrum matricis oſtendit, at de uteri furore ſilet prorſus.

Ipſum Græcam Doctrinam noviſſe conſtat, cum in ſingulis capitibus ſententiæ reperiantur Galeni, Æginetæ, Oribaſii, Empedoclis, atque Athenei ut ſynopſim potius Medicinæ Græcorum referat.

(*a*) Anatomices *Lib. I. Cap.* 14. *Lib. III. Cap.* 9.
(*b*) Chiocus *De Illuſtribus Veronenſibus*.
(*c*) Par *Jacques Antiquaire*. Elle eſt a la tete du Livre.
(*d*) Medicin. *Lib. XXIII. Cap.* 29.

FINIS SECUNDÆ EPOCHÆ.

TER-

TERTIA EPOCHA.

SCientiarum reſtauratio ſub finem XV. ævi, & initium ſubſequentis evenit, & Medicina novam formam accepit; etenim a Turcis capto Byzantio anno 1453. atque Orientis ſubverſo Imperio litterarum cultores, qui a communi excidio ſuperfuerunt, ſe in Galliam, & Italiam receperunt, ſecum libros, & ſcientificas notiones exportando, hincque certatim Græcæ linguæ, & Græcorum Auctorum ſcrutinio ſe dicarunt omnes, quinnimo latinam linguam, atque latinos ſcriptores excoluerunt.

Hac ratione ſcientiis Medici valde profecerunt, & qui Græcos proſequebantur, Hippocratis, & Galeni opera ſedulo pervolverant, tum ſectatorum ſuorum, quorum libros latine tradiderunt, ut omnes nationes facile Medicorum labores perſcrutari valerent, quos Typographiæ inventum obvios reddidit. Brevi apparuit quanti exiſtimarentur Græci, quantumque præcellerent methodo, & ſoliditate dicendi Arabis, quorum opera confuſa, & arida experiebantur, ideoque omnem laborem impendere ſategerunt Hipppocratem, & Galenum perquirendo, dum Avicennam, & Rhazim reſpuebant, qui diu nimis Medicinæ imperium ſuſtinuerant.

Galeni ſyſtemati præſertim incubuerunt difficultates explanando, contradictiones conciliando, conſecutiones perſcrutando, atque ejuſdem etiamſi incertas quandoque, aut erroneas ſententias defendendo, ut ſpeciem veritatis futilitatibus darent; uno verbo tunc Galeno ipſo intimius ipſius ſiſtema cognoſcere fatebantur.

Græcorum enim Medicina reſtituta fuit, ſummumque lumen in hac epocha accepit, quæ etiamſi diu non perduraverit, plures tamen doctos Medicos, optimoſque libros ſubminiſtravit; tunc enim primum integram Medicinæ inſtitutionem publici juris facere cœperunt, quæ Græcorum obſervationibus, & nonnullis Arabum ſuffulta rectam arti ſternebat viam; accuratius itaque indoles, ſpecies, cauſas, & differentias ſingulorum morborum diſtinguebant, ſigna in iis intimius inquirebant, ut tutiorem prognoſim enunciare valerent, tandem indicationes melius ſanciebant, quibus mederi neceſſum erat.

Cum in Italiam primum Græci appulerint, ibique etiam primum litteræ reſurrexerunt; Franciſcus I. vero litterarum Pater litteratos homines in tutelam recipiebat, & præmiis, atque honoribus ipſos ſollicitabat, ut apud eum moram gererent, ſuiſque beneficiis fruerentur; nihilo ſecius Itali ceteris litterarum nomine præcellebant, idcirco Italorum Univerſitates, Patavina præſertim olim ſæculo nempe XVI. ſcientias omnes, & Medicinam potiſſimum ſummo cum decore omnibus præcipiebat.

Oſtendimus jam hujuſmodi epocham breviorem fuiſſe; ſæculi enim XVII. medium ipſa tantum attigit, quando ſanguinis circulationis inventum, atque nova philoſophandi methodus, ut infra exponemus, mutationes innumeras Medicinæ attulerunt.

In hac epoca pharmaciæ incubuerunt, Arabis tamen accuratius atque ab eorum polypharmacia plura dempſerunt, ut tamen hanc Medicinæ partem innumeris inutilibus, & ſuperſtitioſis remediis adhuc ſcatentem reliquerint.

Botanicæ Arabis ſedulius conſuluerunt, & in hac epocha Tragus, Cluſius, Columna, Lobellius, uterque Bahuinus, & innumeri alii naturæ hiſtoriæ cultores floruerunt, qui hujus ſcientiæ obſcuritatem ſuſtulerunt, & plan-

plantarum ſpecies, atque virtutes, quibus veteres uſi erant, utiliter declararunt.

Chemiam pariter excoluerunt ab Arabis depromptam, cui magis quam par erat dicati ſunt. Paracelſus Medicina prorſus expers, at chemicis remediis locupletatus, quibus ſatis imponere valebat, magnum nomen adeptus eſt, novamque Medicinæ ſectam inſtituit ratione denudatam, quæ diu tamen perſtitit, & rationalem artem deturpavit.

Anatomia verum non parum progreſſa eſt; ea ætate enim innumeri floruerunt Anatomia celebres viri, videlicet Silvius, Veſalius, Columbus, Valverda, Falloppius, Euſtachius, Spigelius, Andreas *Laurent*, Fabricius ab Aqua pendente, Gaſpar Aſelius &c. qui magnopere auxerunt anteactas notiones, novaque magni momenti inventa ſuppeditarunt; tamen magis incubuerunt in deſcribendis oſſibus, muſculis, vaſis, quam in viſcerum ſtructura detegenda, quod potiſſimam conſtituit Anatomiæ partem, & Medicinæ magis neceſſariam.

Prout Anatomia proficiebat, cadaverum ſectiones, & obſervationes anatomicæ frequentius inſtituebantur; potuiſſemus enim in hoc Medicinæ ſtadio quamvis breviori earum plures congerere, quarum pleræque utiliſſimæ evaſerint, & veram nonnullorum morborum ſedem, atque cauſam determinaverint.

Verum Aſtrologiam judiciariam, ut in præcedenti magni faciebant; hujuſmodi amentia radicitus animis inſerta, & Auctoritate Scriptorum ſuffulta, haud facile (*a*) abradi poterat; additore ea delectari debiles ingenio, & creduli, quorum adhuc maximus eſt numerus, ut vix ab hoc morbo convaleſcere queant.

Taliſmanorum reſpectu tunc temporis ea parvi faciebant, modo tamen apud Proceres non ſubſiſterent, qui circa hanc rem plerumque magis cum vulgò, quam vulgus ipſe ſentiunt; celebre illud Taliſmanum tunc præſertim prædicabatur, quod Reginæ (*b*) Catharinæ De Medicis tribuebant.

Tunc primum duo novi morbi invecti, *lues* nempe *venerea*, & *ſcorbutus* adhuc ſuperſtites.

Lues venerea enim morbus ad advena, quem Hiſpani in Inſula *Haite*, ſeu Hiſpaniola contraxerunt, & tandem XV. ſæculo dum armis Neapolim anno 1493. aggreſſi ſunt; Neapolitanis, & Gallis communicarunt, ut ceteræ Nationes inquinarentur; hic ſupervacaneum cenſeo hanc morbi transfuſionem reiterare, quam ſatis expoſui in Tractatu *De Morbis Venereis Lib. I.* quem pervolvere fas erit.

Hujuſmodi morbus initio vehementior erat, etiamſi nunc admodum ſubactus appareat, adhuc tamen inter ſæviores ægritudines locum habet; Medici, quibus primum ipſum obſervare contigit, novitate perterriti undique nova remedia inveſtigarunt, quibus tandem ipſum compeſcuerunt; etenim poſt tentamina innumera, & contentiones invenerunt Mercurium adipe extinctum & frictionibus applicitum genuinum, atque tutiſſimum adverſus hunc morbum evadere; in nullo enim morbo remedii virtus magis eluceſcit, aut prudentia Medicorum, qui hoc remedium invenerunt, illudque exhibent, magis commendatur quam in hoc, ubi Medicinæ certitudo potiſſimum refulget.

Scor-

(*a*) Nondum hujus epochæ initio Aſtrologiæ forma quoad Medicinam pertinebat deſtructa erat ut judicare licuerit ſubſequentis Libelli ergo, *Nova Medicinæ Methodus curandi morbos, ex mathematica Scientia deprompta Joh. Hasfurtio Virdungo, Medico & Aſtrologo doctiſſimo Authore. Hagenoe 1533. in 4.* (*b*) Memoires de Trevoux. *Decembre* 1074.

Scorbutus olim innotuiſſe videtur; *Stomacace* enim & *Sceletyrbe*, quibus Romana acies ab Aelio Gallo imperata (*a*) Strabone teſte correpta eſt dum apud Arabes bellum gerebat, verum eos morbos, qui, ut (*b*) Plinius teſtatur, Germanicos milites infeſtarunt trans Renum miſſos, Scorbutum fuiſſe autumant, modo deſcriptioni eorum morborum indulgeamus; cenſerem enim *Lienes magnos, convolvulos ſanguineos, & Ileos Hematites*, de quibus Hippocrates (*c*) pluries agit (*d*) & *Oſcedus*, contra quem (*e*) Marcellus remedia nonnulla propoſuit, affectiones ſcorbuticas fuiſſe, aut ei valde affines, hujuſmodi exempla demonſtrant Scorbutum alias invectum in quibuſdam circumſtantiis, non tamen communem morbum fuiſſe, ut hodie centum ab hinc annis eſſe conſtat.

Ea ægritudo inter Incolas oræ Baltici endemia eſt, illam vernaculo idiomate *Scorbock*, ſeu *Scorbuck* appellant, quod ſignificat *imi ventris morbus*, cum venter plerumque labefactetur; ex iis notionibus Scorbuti nomine hujuſmodi morbum inſignivimus; credunt ipſum in iis Regionibus endemium eſſe tum maritimi, quem reſpirant aeris ergo, cum alimentorum cauſa, quibus veſcuntur: Europa enim reliqua, ubi mitior eſt aer, & cibi ſalubriores ſunt, uſque ad finem XV. ſæculi, & ſubſequentis initium eo expers fuit.

Diutinæ vero navigationes ad quas auri, & mercimonii cupiditas impulit, tum Indias cum Americam verſus, morbum univerſalem reddiderunt, cum nautæ deleteriæ indolis aeris, quem in itinere hauriebant, præſertim circa lineam, & infirmioris alimentorum qualitatis cauſa, tum laboris ratione eo facile corriperentur; animadverterunt iiſdem de cauſis in obſcuris carceribus detentos, & male altos, dum ibi diutius detinentur, eodem morbo facile inquinari, ut ſimiliter ægros, qui in noſocomiis minus idoneis diu perſiſtunt.

Generice ſcorbutus pauperum morbus eſt, qui ſordibus veſcuntur, aut morantur male rectæ domi, injuriis aeris expoſiti, præſertim cum aliquo languoris morbo vexantur, qui magis ſanguinem depauperat; nihilo tamen minus & divites interdum hoc morbo affici poſſunt, cum extrema valde affinia ſint; at id oppoſitis de cauſis accidere ſolet, quia iſti plerumque helluones ſunt, ſucco ſum nimis cibum aſſumunt, aut minutalibus delectantur, parum ſe exercent, ut ſanguini acrimoniæ vitium facile communicent.

Deſideratur adverſus Scorbutum remedium policreſtum, ut adverſus luem veneream Mercurium experti ſumus; non deſunt tamen nonnulla remedia, quæ modo cito exhibeantur, atque diu, huic ægritudini valide medentur.

Minime putarem inter novos hujus epochæ morbos recenſeri poſſe febrem purpuream, ab Italis *petechiale* nuncupatam, quia ipſi *petechie* nuncupant rubras papulas, aut purpureas non elevatas, a pulicis morſibus haud abſimiles; quæ in hoc morbo (*f*) e cute erumpunt; me non latet Alexandrum Trajanum Petronium (*g*) aſſeruiſſe hujus morbi originem anno circiter 1530. Italiam invaſiſſe, quod Hieronymus (*h*) Fracaſtoreus an. 1505. aut 1528. eveniſſe defendit; at modo parum verſati ſimus in Auctores veteres Medicos, innoteſcet exanthemata, aut efflor eſcentias rubras, vel violaceas, quæ

(*a*) Geograph. *Lib. IV. circa finem.* (*b*) Hiſtor. Natural. *Lib. XV. Cap.* 3.
(*c*) *Prædicatorum, Lib. II.* (*d*) *Lib. De internis affectibus.*
(*e*) De re medica *Cap. II.* (*f*) *Vid.* Eugalenus, *de Scorbuto.*
(*g*) *Tractat. de morbo Gallico, Lib. VI. Cap. I.*
(*h*) *De morbis contagioſis Lib. II. Cap. 6.*

quæ Italorum *petechie* conſtituunt, & Gallorum rubras maculas, obvium febrium continentium, malignarum præſertim, ſymptoma fuiſſe, quod interdum in iis febribus tamen deeſt; idcirco videtur, utrumque intellexiſſe potius novam intenſionem hujus ſymptomatis annunciare, quam novum morbum, ut ex ipſis verbis Fracaſtorei deducitur, qui aſſerit hujuſmodi febres *Majoribus etiam noſtris cognitas* fuiſſe.

LEONELLUS DE VICVORIIS Faventinus in Bononienſi Licæo Medicinæ Profeſſor, celebris interpres libri IX. Rhaxis, qui deſceſſit, ut putant, anno 1530. (*a*). A.C. N. Ann. 1515.

Practica medicinalis Lugduni 1554. ad calcem hujus operis, in quo pertractare ſatagit de morbis omnibus, in LXXVII. capita librum dividendo, reperitur ſubſequens libellus.

De matricalibus affectibus compendioſum ſaluberrimum.

Ipſum complectitur ſex ſubſequentia Capita.

I. *De ſuppreſſa muliebri purgatione.*
II. *De nimia expurgatione muliebri,*
III. *De curſu ſive fluxu humiditatum albarum, ſive de curſu matricis ſecundum Avicennam.*
IV. *De præfocatione matricis.*
V. *De apoſtemate matricis.*
VI. *De præcipitatione, ſeu deſcenſu matricis.*

Hujuſmodi Auctor nedum perlegerat Medicos Græcos, nam in hoc opere nudam Arabum doctrinam reperies, & editor Joannes Kuſner ſcholia addidit nonnulla ejuſdem ſenſus.

JASON PRATENSIS Zelandus, qui floruit circa annum 1531., & non parum laudis in hac arte adeptus eſt. A.C. N. Ann. 1536.

Libri duo de Uteris, in quibus Lector candidus opulentiſſimam ſimul, ac lautiſſimam naturalium rerum, & hiſtoriarum ſupellectilem inveniet. Antuerpiæ 1531. *in* 4.
Liber de arcenda ſterilitate, & progignendis liberis, doctus, & elegans. Ibidem 1531. *in* 4.

LUDOVICUS BONACCIOLUS Florentinus. Extant duo libelli ab hoc Medico de Morbis Mulierum exarati, quorum prior. A.C. N. Ann. 1536.

De uteri, partiumque ejus confectione. Ejuſdem, *Quonam uſu in abſentibus etiamnum Venus citetur? Quod, quale, undique prolificum ſemen, unde menſtrua, &c.* Argentinæ 1537. *in* 8.

Alter,

De conceptionis indiciis, necnon maris, femineique partus ſignificatione. Ejuſdem, *Quæ utero gravidis accidant,*

(*a*) *In Epiſtola nuncupatoria Libro prefixa.*

& eorum medicinæ prognoſtica, cauſæque effluxionum & abortum, & proceritatis, improceritatiſque partuum cauſæ. Argentinæ 1538. *in* 8.

A. C. N. Ann. 1540. DIONYSIUS FONTANONUS Monſpeſſulanus, in ea civitate Medicinæ Profeſſor vixit anno 1526. obiit poſt annum 1544.

Practica Medica, ſive de Morborum internorum curatione Libri IV. In lucem dati a Johanne Renerio, qui ſingulis capitum initiis cauſas, & ſigna morborum ex veteribus Claſſicis appinxit. Lugduni *in* 8. 1550.

Fontanonus enim in eorum tertio libro 15. Capita habet de Morbis Mulierum agentia. Theoria, & praxis hujuſmodi Auctoris Arabum ſtilum æmulatur eo magis Gordonii, & Valeſci de Taranta.

A. C. N. Ann. 1540. NICOLAUS ROCHEUS Medicus Gallus.

De Morbis Mulierum curandis Liber, partim ex veterum Græcorum, Latinorum & Arabum monumentis, partim experientia propria confectus. Pariſiis 1542. *in* 12.

A. C. N. Ann. 1548. LEONARDUS FUSCHIUS, Rhætus, natus VVemdingæ in Rhætia, anno (*a*) 1501. ad Doctoratus gradum promotus eſt Ingolſtadii an. 1521. ubi paullo poſt, nempe anno 1526. Profeſſoris Medici munere functus eſt. Inde electus Archiatrus Marchionis Brandeburgici anno 1528. Tandem Tubingam vocatus eſt anno 1535. ubi Medicinam publice docuit ad annum 1596. qui vitæ ultimus fuit.

Ipſæ medicinæ inſtitutionem in lucem edidit anno 1548., ſub titulo ſequenti.

De curandi ratione Libri VIII. cauſarum, ſignorumque catalogum breviter continentes, partim olim conſcripti, & nunc poſtremum recogniti, multiſque locis aucti. Baſileæ 1548. *in* 8.

Fuſchius in III. Libro hujus pertractationis in 12. capita præbet, quæ de nonnullis Morbis Mulierum agunt, ut in Cap.

LIII. *De ſuppreſſis menſibus*.
LIV. *De redundantibus menſibus*.
LV. *De fluore muliebri*.
LVI. *De uteri ſuffocatione*.
LVII. *De uteri procidentia*.
LVIII. *De mola*.
LIX. *De inflammatione uteri*.
LX. *De inflatione uteri*.
LXI. *De uteri exulceratione*.
LXII. *De phimoſi uteri*.
LXIII. *De ſterilitate removenda*.
LXIV. *De Difficultate partus*.

An-

(*a*) Ex oratione funebri Leonardi Fuſchii, *Operib. Fuſchii præfixa in edit. Franc. ann.* 1604.

Auctor in ſuis exarandis operibus nitido ſtilo uſus eſt, & optima methodo, ſed obvias tantum notiones refert, neque præcellit Medicis, qui circa hanc rem poſt eum plures Tractatus digeſſerunt.

Aſſerit (*a*) ea volumina publici juris feciſſe, ut Arabum, & Sectatorum, ſuorum libri abriperentur ex Alemannorum Medicorum manibus, qui continuo deturpabantur, mordicus Arabum ſententias defendendo. *Nulli*, ait, *vel pauci per univerſam noſtram Germaniam reperti ſunt Medici, qui non conſtanter eam, quam ab Arabibus, ac recentioribus quibuſdam Barbaris certe, & ineptis admodum hominibus præſcripta eſt in curandis morbis rationem ſecuti ſint, ac ita mordicus etiam tenuerint, ut ne latum quidem unguem ab illa diſceſſerint.*

JACOBUS RUEFF Chirurgus Tigurinus. A.C. N. Ann. 1534.

De conceptu & generatione hominis, & iis, quæ circa hæc potiſſimum conſiderantur, Libri IV. Inſertæ quoque ſunt figuræ variæ fœtus, primum in utero ſiti, deinde in partu, mox etiam matricis, & inſtrumentorum ad partum promovendum, & extrahendum pertinentium, nec non poſtremo variorum monſtroſorum inſuper, &c. Tiguri 1554. *in* 4.

JACOBUS SILVIUS DE LA BOE Ambianus Medicinæ Doctor in facultate Monſpeſſulii, & Bacalaureus in Pariſienſi, celebris Medicus fuit, qui interiit anno 1555. ætatis ſuæ 77. A.C. N. Ann. 1554.

Inter cetera opera, quæ Renatus *Moreau* Medicinæ Doctor Facultatis Pariſienſis collexit in unicum volumen *in fol.* 1630. Tractatus ejuſdem Auctoris perlegitur, qui antea apparuit ſub titulo

De Menſibus mulierum, & hominis generatione Commentarium. Baſileæ 1556. *in* 8.

JOANNES FERNELIUS Clarimontii circa Ambianum Bellovacorum natus, Medicinæ lauream accepit in facultate Pariſienſi anno 1528., ſcriptis & praxi celeberrimus fuit; ab Henrico II. in Archiatrum electus munus illud glorioſe ſuſtinuit, obiit Lutetiæ Menſe Martii anno 1558. ætatis ſuæ 72., ut G. Plantius teſtatur, etiamſi Faſta hujus Facultatis reviſa a *Guidone Patin* 52. annos vitæ tantum ipſi tribuant, quod oſtendit etiam Epitaphium, quod nepotes Patrui tumulo appoſuerunt ab eodem Patino confectum. Fernelius ſpecialem Pathologiam compoſuit, in cujus tertio Libro pertractat *De morbis partium quæ ſub diaphragmate ſunt*, ibique tria Capita extant de Morbis Mulierum ſub titulo AC. N. Ann. 1554.

XV. *Uteri affectus, cauſæ, ſigna, & curatio.*
XVI. *Uteri ſymptomata, horumque cauſæ, prognoſtica, curatio.*
XVII. *Sterilitatis cauſæ, prægnantium ſigna, ſymptomata, horumque caſus, indicationes, prognoſtica, curatio.*

Morbi Mulierum in iis Capitibus explicantur juxta doctrinam Fernelii tempore receptam, at cum exigua ſint capita, potius indicantur quam expla-

(*a*) In Epiſtola Nuncupatoria *data ad Chriſtophorum Ducem VVirtebergenſem.*

planentur hujuſmodi morbi ; Quod majoris intereſt eſt , Fernelium (*a*) Galenum proſecutum eſſe cum fateatur uteri poſitum mutari haud poſſe , ac teſtatur in hyſterico morbo crebro obſervaſſe matricem ſtomachum verſus globuli ad inſtar aſcendiſſe : patet enim ſe deceptum , globulum hyſtericum , aut glomum ab inteſtinorum convulſiva criſpatione ortum pro utero prædicando.

A. C. N. Ann. 1555. BALDUINUS RONSÆUS Gandavenſis Medicus Goudanus.

De hominis primordiis , hyſtericiſque affectibus , & infantilibus aliquot centones. Lovanii 1559. *in* 8.

Poſt illius mortem nonnullorum ejuſdem operum codicem ediderunt , in quo pertractatio extat Morborum Mulierum.

Opuſcula Medica. I. Epiſtolæ Medicinales . II. De Morbis Muliebribus. III. De Venatione Medica. IV. De Scorbuto. Acceſſerunt quidam aliorum celebrium Medicorum de Scorbuto Tractatus. Lugduni Batavorum , 1618. *in* 8.

A. C. N. Ann. 1555. JOANNES BAPTISTA MONTANUS Veronenſis celebris Profeſſor Patavinus.

De uteri affectibus.

Hujuſmodi Tractatus extat in ſecundo Tomo collectionis nonnullorum operum Montani cum excuſa Hieronymi Donzellini in duplici Volum. *in* 8. Baſileæ anno 1558., at hujuſmodi opus jam Pariſiis anno 1556. fuerat impreſſum *in* 16.

Habentur etiam decem Conſilia ejuſdem Auctoris circa Mulierum Morbos in eo Tractatu.

Conſultationes de variorum morborum curationibus , auctæ per Joannem Cratonum Crafftheim , & impreſſa Baſileæ anno 1583. *in fol.*

A. C. N. Ann. 1558. PETRUS de BAYRO Taurinenſis diu Illic Medicinam præcipit ; anno 1468. natus eſt; obiit anno 1558. ætatis ſuæ 90.

De medendis humani corporis morbis Enchiridion , vulgo Veni mecum *dictum , cum adjuncto ejuſdem Tractatu de Peſte.* Lugduni 1561. *in* 12.

Hujuſmodi libellus poſt Auctoris mortem per Theodorum Zvvinger Medicum Rauracum publici juris factus eſt , ſynopſim præſtat breviſſimam juxta Arabum Medicorum ſententiam formulis locupletatam , quæ paſſim in veteribus reperiuntur , in eo pauca de Mulierum Morbis dicuntur , vel obvia admodum.

A. C. N. Ann. 1560. VICTORIUS TRINCAVELLIUS Venetus publicus Profeſſor Patavinus , qui Montano anno 1551. ſucceſſit , interiit anno 1568. ætatis ſuæ 77. *Victo-*

(*a*) Cap. XVI.

Victoris Trincavelli omnia Opera in duos tomos digeſta Lugduni 1586. *in fol.*

In priori tomo medicinæ inſtitutiones perlegi queunt ſub titulo

Prælectiones de ratione curandi omnes humani corporis affectus in XII. Libros diſtinctæ.

Liber ex illis decimuſprimus 25. priora capita complectitur, quæ plerumque mulieres reſpiciunt juxta methodum illius ævi.

In ſecundo volumine tres libri reperiuntur conſultationum Medicarum, inter quas tres Morbos Mulierum oſtendunt, eæque in collectionibus VVolphii, & Spachii inſeruntur.

GULLIELMUS RONDELETIUS Monſpeſſulanus, anno 1507. in lucem editus Medicinam adeptus eſt Monſpelii, ubi laurea 1537. condecoratus fuit, cathedram aſcendit 1545., & Univerſitatis Cancellarius creatus anno 1556. obiit Montiſrealis Albim anno 1566., 59. vitæ ſuæ. A. C. N. Ann. 1560.

Præter plures hujus Auctoris diverſi generis labores ſupereſt ſubſequens pertractatio.

Curandi morbos Methodus, quæ vulgo Practica dicitur, in tres libros diſtincta. Lugduni 1583. *in* 8., & poſtea impreſſa alibi pluries.

In tertio libro Auctor de Morbis Mulierum ſermonem iniit a Cap. LX. ad LXXV.; quæ ipſe oſtendit parvi penduntur; quare ſi hujuſmodi opuſculum, aut venenorum hiſtoriam perſcrutemur facile deduci poterit magis ipſum in naturali hiſtoria, quam in Medicina verſatum fuiſſe.

Laurentius *Joubert* animadvertit ad calcem vitæ Rondeletii quatuor pertractationes reliquiſſe, quas typis mandare in animum habebat, quarum nonnullæ ad Mulierum Morbos pertinebant.

De impedimentis generationis.
De effectibus gravidæ, parturientis & puerperæ;
De effectibus infantium & puerorum.
De morbis hæreditariis.

At hæc nondum impreſſa ſunt.

THADÆUS DUNUS de Locarno civitas primaria ejus comitatus. A. C. N. Ann. 1565.

Muliebrium Morborum omnis generis remedia ex Dioſcoride, Galeno, Plinio, Barbariſque, & Arabibus collecta, & diſpoſita. Argentorati 1565. *in* 8.

JOANNES VVIER Gravinenſis in Ducatu Brabantii natus circa annum 1515. originem habuit Pariſiis, Medicinam profeſſus eſt Aureliaci, ubi gradum (*a*) Doctoris ſumpſit, iter fecit Cretam verſus, & in Africam appulit, donec an. 1550. in Patriam reſtitutus, Gullielmus (*b*) Dux Cliviæ ipſum in tutelam A. C. N. Ann. 1565.

(*a*) Melchior Adamus *De vitis Germanic. Medicor.* (*b*) Idem ibid.

recepit, replevitque hujuſmodi onus annos 38. verum anno 1588. occubuit (a) ætatis 73.

Obſervationum Medicarum rararum Libri II. Baſilææ apud Oporinum, *in* 4. 1567.

In primo libro VVierus aliquas obſervationes refert *De utero clauſo. De Hyeme. De colli Matricis phymate, ejuſque curatione. De curatione gangrænæ pudendi*, quæ perlegi merentur.

A.C. N. Ann. 1570. JOANNES GUNTHERIUS Andernachus ad Rhenum ortus anno 1497. Pariſiis Medicinam adeptus eſt, ibique Doctoratus gradum ſumpſit, & poſtquam diu moratus eſt Metam ſe recepit ultra Strasburgum, ubi praxim medicam honorificentiſſime docebat, occubuit 1574. primæ vitæ 77.

Gynæciorum commentariolum, de gravidarum, parturientium, puerperarum, & infantium cura. Argentorati 1606. *in* 8.

Hic liber impreſſus fuit, ut patet, diu poſt Auctoris obitum, nam manuſcriptum, quod incompletum ſupererat, a Joanne Georgio Schenckio perfectum fuit.

A.C. N. Ann. 1574. GIOVANNI MARINELLO Veneto.

Le Medicine pertinenti alle infermità delle Donne, diviſe in tre Libri. Seonda impreſſione, in Venezia *in* 12. 1534.

Hoc opus offert pertractationem Morborum Mulierum, indigeſtam tamen, & futilibus remediis refertiſſimam; prior editio apparuit anno 1563.

A.C. N. Ann. 1575. AMBROSIUS PAREUS Lavallenſis Cenomanus natus anno 1510. Lutetiæ Chirurgiæ operam dedit, & in facultatem Chirurgorum receptus fuit Sancti Comi, primarius Chirurgus fuit Franciſci II. Caroli IX. & Enrici III. magnum volumen digeſſit Gallico idiomate impreſſum Pariſiis anno 1565. omnem chirurgicam Provinciam reſpicit, pluresque alios Medicinæ Tractatus, a juvenibus Medicis exaratos, quos ſui juris faciebat.

Præ ceteris opuſculum *de hominis generatione* extat, in quo ſimul *de partu, & nonnullis Mulierum Morbis* pertractat.

Parei opera latine vertit Jacobus Gullielmus, & typis mandavit Pariſiis anno 1582. *in fol.*

A.C. N. Ann. 1577. JOANNES LE BON Heteropolitanus, videlicet *de Autreville* in Campania apud *Chaumont* in Agro Baſſiniaco.

Se jactavit medicum Regis, & Cardinalis *de Guiſe*, quod intelligi debet, ni fallor, Ludovici *de Lorene* Cardinalis *de Guiſe*, & Archiepiſcopi Senonenſis, ipſe occubuit anno 1678.

Libellum exaravit ſub titulo

Therapeja puerperarum, quem dicavit Joanni Liebaut, de quo infra *pag.* 327. locuturi erimus; Pariſiis illum impreſſit an. 1572. cum *Theſauro ſanitatis*.

Idem

(a) Thaunus *ad ann.* 1588.

Idem opus poſtea typis mandarunt Baſileæ in collectione Spachii anno 1489. verum etiam ad calcem operum Jacobi Hoilieri reperitur.

LUDOVICUS MERCATUS Valliſoletanus Patrium licæum plurium an- A.C.
norum profeſſione (*a*) nobilitavit, inde a Philippo II. ad regiam accerſitus N. Ann.
Hiſpaniarum Rege, decore munus geſſit, eo defuncto ſimili officio vaca- 1580.
vit apud Philippum III. ejuſdem filium; demum annum agens 86. ſuppreſ-
ſa ex (*b*) calculo urina acerbiſſimorum cruciatuum cauſa obivit.

Gynæciorum ſive de mulierum, virginum, viduarum, ſterilium, prægnantium, puerperarum, & nutricum morbis communibus Libri IV. Matriti 1594. *in fol.*

Hujuſmodi Tractatus inter præſtantiores recenſetur, qui circa hanc rem editi ſint, etiamſi mordicus in eo Arabum doctrina proſequatur.

JOANNES LIEBAUT Divienſis in Sequana Doctor Medicus, qui in A.C.
facultatem Pariſienſem ann. 1559. receptus eſt, præter opera medica quæ N. Ann.
Vanderlinden, & Mercklin ei tribuunt, opuſculum de Morbis Mulierum 1582.
latine (*c*) ſcripſit, quod nondum inſpici mihi licuit, illud tamen Galli-
ce verſum a Liebaut ipſo fortaſſe, & impreſſum fuit ſub titulo

Trois Livres de la Santè Feconditè, & Maladles des Femmes A Paris 1582. *in* 12.

Hoc depromptum eſt ab illo Marinelli, vel ſaltem ejus Auctoris laborem æmulatur, quod minime animadvertit Liebaut, videbimus infra quid de eo cenſeat Lazarus Pè.

HIERONYMUS MERCURIALIS Forolivienſis natus anno 1530. in A.C.
Gymnaſio Patavino Medicinæ Profeſſoris creatus fuit * anno 1567. ſuc- N. Ann.
ceſſor Antonii Fracantiani, & anno 1569. ſcamnum Victorii Trincavelli 1582.
in eodem Licæo occupavit, donec 1573. in Bononienſe, & anno 1599.
e Bononienſi in Piſanum (*d*) evocatus eſt, tandem Forolivii in Patria
obiit anno 1606. ætatis ſuæ 76.

De Morbis Muliebribus prælectiones a Caſparo Bauhino editæ. Baſileæ 1582. *in* 8.

Hujuſmodi Tractatus præſtantiſſimus eſt, a Profeſſore enim progenitus fuit doctrina clariſſimus, hujus ævi ſane decus.

MARTINUS AKAKIA Pariſinus filius alterius Martini Akakia Cata- A.C.
launi facultatis medicæ, quæ Lutetiæ eſt anno 1569. Doctor, verum Colle- N. Ann.
gii Realis anno 1574. Profeſſor creatus fuit, occubuit anno 1588. vitæ 1582.
ſuæ 49. opus exaravit titulo *De Morbis Muliebribus* a morte impreſſum an-
no 1597. in Collectione Iſraelis Spachii.

FELIX PLATERUS Rauracus ab anno 1536. originem agnoſcit, Me- A.C.
dicinam ſtuduit Monſpeſſulii, ubi Doctor renuntiatus anno 1557. in Pa- N. Ann.
triam redux Medicinam glorioſe exercuit, & in ea civitate publicus Uni- 1583.
X 4 ver-

(*a*) Nicolaus Antonius, *in Biblioth. Hiſpana*.
(*) (*b*) Caſtellanus, *in Vitis illuſtrium Medicorum*.
(*c*) Idem teſtatur initio pertractationis, de qua infra locuturi erimus, at dubito ne hujuſmodi verſio unquam apparuerit. (*d*) Mercklinus *in Lindenio renovato*.

verſitatis Profeſſor electus anno 1571. 43. annos munus implevit donec anno 1614. occubuit ætatis 78.

De mulierum partibus generationi dicatis Tabulæ iconibus illuſtratæ ſtructuram, uſumque explicantes. Additis obſervationibus, & curationibus aliquot harum partium affectuum.

Ambæ eæ diſſertationes ab Iſraele Spachio in frontem Collectionis ſuæ expoſitæ fuerunt, prior decerpta eſt ab Anatomico opere, quod Platerus anno 1583. Baſileæ edidit *in fol.* ſub titulo ſequenti,

De partium corporis humani ſtructura, & uſu

Altera ab obſervationibus Plateri deprompta eſt, quæ nondum excuſa erat anno 1597. quando Spachii Collectio exurrexit, quæ tamen apparuit anno 1614. Baſileæ *in 8.*

A.C.N. Ann. 1584. MAURITIUS CORDEUS Remus Doctor, & Præſes Facultatis Medicinæ Pariſienſis anno 1559.

Hippocratis Coi Medicorum Principis Libri prioris de Morbis Mulierum *interpretatio, & explicatio.* Pariſiis. 1585. *in fol.*

In hoc opere Hippocratis doctrina in plures articulos dividitur, quorum ſingulos ſubſequitur Cordei Commentarium, ſedulo elaboratum; nullum tamen ordinem ſervat Auctor Hippocratis rubricam neceſſario proſequendo, quæ nullam methodum præſefert.

In illo habetur luculenta (*a*) hydropis cum hydatidibus obſervatio, quæ prima eſt circa hunc morbum clara, & diſtincta; animadverſione digna eſt admiratio Cordei, & ſpectatorum ſuorum, qua ipſe narrat captum fuiſſe cum primum hujuſmodi hydropem obſervaverit.

A.C.N. Ann. 1585. ALBERTINUS BOTTONUS Patavinus, in ea civitate Medicinam docuit anno 1555. obiit anno 1596.

De Morbis Mulieribus Liber. Patavii 1585. *in* 4.
De Morbis Muliebribus Liber ſecundus. Venetiis 1588. *in* 4.

A.C.N. Ann. 1586. GASPAR VVOLPHIUS Tigurinus a Corrado Geſnero juſſus edidit collectionem Auctorum, qui de Morbis Mulierum pertractarunt, munus ſumpſit ipſe, & implevit ſub titulo ſequenti poſtquam rudimenta collectionis ab ipſo Geſnero accepit.

Gynæceorum ſive de Mulierum affectibus Commentaria Græcorum, Latinorum, Barbarorum, tam olim, & nunc recens editorum, in tres tomos digeſta, & neceſſariis paſſim imaginibus illuſtrata. Baſileæ 1586. *in* 4.

Primo Tomo continentur

I. *Fe-*

(*a*) *Comment. V. Art. III.*

I. *Felix Platerus.*
II. *Moſchionus.*
III. *Cleopatra, Moſchionas Priſcianus* ſimul comparati.
IV. *Trotula*, cui Editor *Eros* nomen tribuit ſuperius recenſiti.
V. *Nicolaus Rocherus.*
VI. *Ludovicus Bonacciolus.*
VII. *Jacobus Silvius.*
VIII. *Joannes Rueff.*

In ſecundo tomo inveniuntur.

I. *Hieronymus Mercurialis.*
II. *Joannes Baptiſta Montanus.*
III. *Victor Trincavellus.*
IV. *Albertinus Bottonus.*
V. *Joannes Le Bon.*
VI. *Ambroſius Pareus.*
VII. *Albucaſis Arabs.*
VIII. *Franciſcus Rouſſet* quem Latine vertit Gaſpar *Bauhinus Rauracus.*
IX. *Joannes Alboſius de Lithopedio Senonenſis.*

Tandem tertius tantum continet Commentarium Mauricii Cordei in primum Librum Hippocratis de *Mulieribus*.

Idem VVolphius edidit viginti ante annos prima ſui ætate ſubſequentem libellum.

> *Viaticum novum de omnium fere particularium morborum curatione, Liber Authoris innominati quidem, ſed longe doctiſſimi, vere aureus & incomparabilis, nunc primum in lucem editus per Gaſparem VVolphium Medicum Phyſicum Tigurinum.* Tigurii 1565. *in* 12.

VVolphius in præfatione, quæ hujuſmodi opuſculum antecedit, narrat, quod celebriores Academias Europæ peragrando ad medicinam hac ratione ediſcendam in vetuſtiori Bibliotheca manuſcriptum reperiit, quod poſtquam paulliſper cunctatus ſit, tamen publici juris facere ſancivit.

Hujuſmodi opus morbos omnes 68. Capita complectitur, quorum ſex totidem Mulierum Morbos oſtendunt, Auctor Arabum doctrinam proſecutus eſt, verum paullo magis quam incompletam refert formularum futilium congeſtionem; Medicina minime fruſtrata eſſet, modo VVolphius editionem ſuppprimeret.

HIERONYMUS CAPIVACIUS Patavinus Praxis Profeſſor ann. 1552. electus, verum Theoreticam docuit anno 1561. donec 1589. occubuit. A. C. N. Ann. 1586.

> *Medicina practica, ſive Methodus cognoſcendorum, & curandorum omnium humani corporis affectuum. Jo. Hartmanni Beyeri ſtudio Lib. VII. interſtincta*, Francfurti 1594. *in* 4.

Ex

Ex ſeptem libris, qui opuſculum replent, quartus Mulierum Morbis dicatur; hunc, ut operis reliquum, Capivacius in Patavinis Scholiis in diſcipulorum gratiam exaravit, ut conſtat etiam altera editione Lugdunenſi anni 1595. *in* 8.

Prior cura Joannis Arthemani Beyeri excuſus fuit poſt mortem Auctoris. Joannes Crato, a Craphteim Uratislavienſis Medicus Primarius Imperatorum Ferdinandi I. Maximiliani II & Rodulphi II. aſſerit (*a*) praxim Capivacii pervolvendo detegiſſe ejuſdem priorem partem ab Argenterio decerptam fuiſſe, quod oſtendit hujus operis vetuſtiorem editionem adfuiſſe ea, quam oſtendimus, nam Crato obiit anno 1585. ut hanc perlegere minime poſſet.

Ceterum, quod Crato Capivacio tribuit, ceteris Profeſſoribus valde commune eſt.

A.C. N. Ann. 1590. PETRUS FORESTUS Alcmarianus natus (*b*) anno 1522. poſtquam Doctoratus gradu in Bononienſi Licæo inſignitus fuit, Medicinam exercuit per omnem Galliam, Lutetiæ primum, verum Vaſtinii, dein Pithivierii, poſtea Alcmariam venit, & Delphi, denique anno 1575. Lugduni Batavorum Medicinæ Profeſſor advocatus fuit in ea nuperrima Univerſitate, occubuit tandem Alcmariæ anno 1597., ætatis ſuæ 75.

Obſervationum & Curationum Medicinalium Libri XXXII. in fol. Lugduni Batav.; *diverſis annis*.

Liber XXVIII. hujus collectionis agit *de Mulierum Morbis & affectibus* in 82. Capita diſtinctus, qui etiamſi inquinetur Arabum theoria, nonnullas tamen obſervationes præſtat proficuas.

A.C. N. Ann. 1590. JOANNES GEORGIUS SCHENKIUS Friburgenſis Medicus celebris, & laborioſus medicinam Tubingæ adeptus eſt, ubi Doctoratus ordine inſignitus anno 1554. poſtea Friburgi inter Patrios Lares in Briſgoviæ Ducatu reſtitutus eſt; diſceſſit tandem anno 1598., vitæ ſuæ 38.

Pinax Auctorum in re medica, Græcorum, Latinorum priſcorum, Arabum, Latino-Barbarorum, Latinorum recentium, tum & peregrinis libris cluentium, extantium, manuſcriptorum promiſſorum vel deſideratorum, qui Gynæcia, ſive muliebria pleno argumento, ſive ex inſtituto ſcriptis excoluerunt & illuſtrarunt. Argent. 1606. *in* 8.

A.C. N. Ann. 1590. ALEXANDER MASSARIAS Vicentinus (*c*) poſtquam medicinæ Patavii incubuit, ibique gradum Doctoris accepit in patriam redux artem exercuit, ubi moratus eſt 25. annos, verum Venetias anno 1578. advocatus ſummo cum decore artem implevit per novem annorum ſpatium, tandem S. C. primarius Profeſſor Patavinus anno 1587. declaratus (*d*) fuit, Hieronymi Mer-

(*a*) Epiſtola 118. *inter Epiſtolas a Laurentio Scholzio collectas.*
(*b*) Joan. Meurſius, *in Atheniao Batavo Lib. XI.*
(*c*) Comnenus Papadopoli: *in Hiſtor. Gymnaſii Patavini.*
(*d*) Petrus Caſtellanus, *in Vitis illuſtrium Medicorum.*

Mercurialis vices gerens, qui Bononiæ profeſſor erat, obiit (*a*) decima ſeptima die Octobris anno 1598. anno 70. ætatis ſuæ.

Perlegit Patavii Opuſculum ſub titulo

Prælectiones de Morbis Mulierum, conceptus, & partus, editæ in gratiam Medicorum Medicinæ, ut quaſi prodromum haberent omnium totius corporis humani morborum θεραπείας edendæ.

Opuſculum a morte Auctoris Lipſiæ excuſum fuit apud Abrahamum Lambergium *in* 8. anno 1600.

Illud pervolvere nedum mihi contigit, partem tamen praxis medicæ ejuſdem Auctoris conſtituere cenſeo, quæ edita fuit anno 1601. Francfurti in 4. apud Nicolaum Baſſeum, & poſt illud tempus alibi pluries recuſa.

Hujus praxis in VII. libros diſtinguitur, quorum qui tertium ſubſequitur de Morbis Mulierum diſſerit in tria Capita diſtinctus, ubi tres, & decem Mulierum Morbi explanantur.

Quam ipſe docuit artem ſtricte Galenum redolebat, concinno tamen ſtilo, & dicendi claritate Maſſarias pollebat, ut tunc temporis inter ſelectiores Medicos recenſeri merito deberet.

Noſtrum erit animadvertere de hyſterico morbo, aut uterino furore ipſum nec verbum feciſſe.

ISRAEL SPACHIUS Argentinus Medicus, & Profeſſor illius Civitatis novum edidit Auctorum codicem, qui circa Morbos Mulierum ſcripſerunt; vel melius dicam reiteravit VVolphii collectionem ſub titulo ſequenti. A.C. N. Ann. 1597.

Gynæciorum, ſive de mulierum tum communibus, tum gravidarum, parientium, & puerperarum affectibus, & morbis, Libri Græcorum, Arabum, Latinorum, veterum, & recentium, quotquot extant, partim nunc primum editi, partim denuo recogniti, emendati, neceſſariis imaginibus exornati, & optimorum Scriptorum auctoritatibus illuſtrati. Argentinæ, 1597. *in fol.*

Hujuſmodi collectio præter VVolphianos ſcriptores Martinum Akakia nondum impreſſum, & Ludovicum Mercatum ſuperius indicatum oſtendit.

GULLIELMUS BALLONIUS Pariſinus anno 1538. natus (*b*) poſtquam per aliquod temporis ſpatium Humanitatem & Philoſophiam in Univerſitate docuit, quæ Lutetiæ eſt, Medicinæ ſtudio incubuit anno 1586. verum laura decoratus fuit 1570. & poſtquam honorificentiſſime artem exercuit, occubuit anno 1616. ætatis 78. A.C. N. Ann. 1600.

De Virginum, & Mulierum Morbis Liber, in quo multa ad mentem Hippocratis explicantur, quæ & ad cognoſcendum, & ad medendum pertinebunt, Pariſiis 1643. *in* 4.

Hujuſ-

(*a*) Hiſtor. Gymn. Patavini *Tom.* I. *Lib.* III. *Sect.* 2. *Cap.* 20. *n.* XCVII.
(*b*) Ex vita Ballonii a Renato Moreo ſcripta, & operibus Ballonii præfixa.

Hujuſmodi Tractatus æque ac cetera Ballonii opera a morte Auctoris impreſſus fuit. XI. Capita complectitur, quorum V. totidem Mulierum Morbos explanat, at diutina methodo uſus eſt, nam ut mihi mos eſt, hujuſmodi auctor fuſius materias pervolvit, ipſe tamen inconcinno ordine ſcribit, ſuaſque elucubrationes Græcis verbis nimis infarcit, verum Arabum praxim valde æmulatur.

A.C.N. Ann. 1603. RODRICUS A CASTRO Luſitanus poſtquam Medicinæ cauſa diu Salmanticæ moratus eſt, ab hac vita diſceſſit Hamburgi Alemannorum, quare ſuſpicor fuiſſe Judæum, circa finem ſæculi XVI. vitam geſſit.

De univerſa muliebrium morborum medicina, novo, & antehac a nemine tentato ordine Opus abſolutiſſimum. Hamburgi 1604. *in fol.*

A.C.N. Ann. 1603. HERCULES SAXONIA Patavinus natus anno 1551. Doctor in Patriam renunciatus Medicinam per Annum publice docuit; at munere, quo fungebatur Senatus Veneti decreto ſublato Venetias ſe recepit, ibique medicinam factitando ad ſummam famæ gloriam graſſatus eſt, uſque dum Hieronymo Capivacio ſucceſſor poſt octo annos deſignatus fuit, videlicet 1590. quod onus ad mortem uſque glorioſe ſuſtinuit, quæ anno 1607. evenit ætatis 56.

Petrus Uffemboch Doctor Medicus ejuſdem aſſecla Francofurti edidit Saxoniæ Opera anno 1603. ſub titulo

Pantheon Medicinæ ſelectum, ſive Medicinæ practicæ templum.

Opus XI. Libros exponit quorum quartus Tractatum complectitur morborum in 30. Capita diſtinctus juxta Galeni Methodum eo tempore receptam.

Nonnulli Bibliographi ſpecialem de *Morbis Mulierum* pertractionem ei tribuunt, at hujuſmodi tractatus IV. Liber eſt ſive *Pantheon* ſuperius indicatum.

A.C.N. Ann. 1604. ÆMILIUS CAMPOLONGUS Patavinus anno 1550. natus in eo Gymnaſio Theoreticam Medicinam percepit primum, verum praxim docuit, videlicet ab anno 1578. ad annum 1604. (*a*) mortuus eſt, ætatis ſuæ 54.

De Vermibus: de uteri affectibus: Deque morbis Cutaneis Tractatus præſtantiſſimi. Extant cum Hieronymi Fabricii ab Aquapendente Medicina practica. Pariſiis 1634. *in* 4.

A.C.N. Ann. 1606. JOANNES HUCHER Bellovacus Profeſſor Regius in Facultate Monſpeſſulana anno 1574. Decanus anno 1580. Cancellarius 1583. obiit 1603.

De ſterilitate utriuſque ſexus, Opus in quatuor Libros diſtinctum. Genevæ, 1609. *in* 8.

Opus prolixum eſt, pluresque ſententias complectitur obſoletas, at non parvi

(*a*) Comnenus Papadopoli, *in Hiſtoria Gymnaſii Patavini*, *Tom. II. p.* 340.

parvi faciendum videtur, oſtenditque Auctoris doctrinam, & contemptum adverſus maleficia, quæ tunc temporis uſuveniebant.

JOANNES VARANDEUS Nemaucienſis ad Doctoralem gradum promotus anno 1587. in Academia Monſpeſſulana, Profeſſor Regius ibidem renunciatus fuit anno 1597. ad Decanatum pervenit anno 1609. Obiit anno 1617. A.C. N. Ann. 1620.

De morbis mulierum Libri III., in lucem editi, opera Romani a Coſta. Monſpeſſuli 1620. *in* 8.

At quod mirum eſt, opuſculum Lugduni in lucem apparuit anno 1619. ſub titulo *Opera &c.* Petri Milei Doctoris Medici, quod oſtendit ipſum publici juris factum fuiſſe a Diſcipulis Varandei, qui ex propriis manuſcriptis illud ſollicite ediderunt.

Id claritate & methodo donatur, theoria ea eſt, quæ tunc temporis obvia erat, at praxis nimis quam par eſt Arabum polypharmacia inquinatur.

JOANNES HEURNIUS Ultrajectenſis natus anno 1543. poſtquam humanas litteras a Batavis adeptus eſt, Pariſiis medicinæ ſtuduit per tres ſubſequentes annos ſub diſciplina celebris Ludovici Dureti; verum in Italiam appulſus poſtquam nonnihil Patavii moratus eſt, Doctor Papiæ deſignatus fuit. A.C. N. Ann. 1625.

In Bataviam redux Ultrajecti aliquantiſper cunctatus eſt, verum Profeſſor advocatus Lugdunum Batav. profectus eſt an. 1581., ubi occubuit an. 1601.

Ejuſdem opera cura Ottonis Heurnii filii Lugduni Batav. impreſſa ſunt anno 1609. *in* 4. & Lugduni 1558. *in fol.* in hac collectione ſpecialis tractatus habetur.

De morbis mulierum, quem filius ſejunctim edidit pariter Lugd. Bat. anno 1607., at brevis eſt labor, & perpauca refert.

LAZARUS PE' Gallus, in patrium idioma Marinelli opus vertit, Italumque auctorem haudibus extollit, eumque edidit ſub titulo ſequenti. A.C. N. Ann. 1627.

Les Maladies des Femmes, & remedes d'ycelles en trois Livres de M. Jean Marinello, docte Medecin Italien, traduits en Francois par M. Jean Liebaut, Medecin a Paris, en cette derniere edition, revues, corrigees, & augmentees par Lazare Pe, a Paris 1609. *in* 12.

In fine præfationis Lazarus Pè de Joanne Liebaut ſermonem init, qui ediderat idem circiter opus 24. ante annos: etenim „ Joannes Liebaut hunc „ librum ſibi tribuit; nihilominus utrumque ſimul comparando reperi ma„ terias penitus a Marinello deſumpſiſſe, ordinem tantum obvertendo, „ pauca proprio marte addendo, quæ magis furtum adumbrarent, at inſi„ ſtit ipſe; neceſſum eſt famam vero auctori reſtituere, commendando „ aliqua ex parte Liebaut; qui opus nonnihil amplificavit, & in noſtra „ lingua tradidit; " poſtrema hæc verba ſuadent Libeaut minime librum illum latine compoſuiſſe, ut nos ſuperius ſuppoſuimus.

HERMANUS CORBEUS Francofurtinus. A.C. N. Ann. 1620.

Gine-

Ginæceium, ſive de cognoſcendis, præcavendis, curandiſque præcipuis mulierum affectibus Libri II. quorum primus affectus omnibus mulieribus communes; poſterior qui cuique ſorti ſunt proprii, proponit. Francofurti 1620. *in* 8.

A. C. N. Ann. 1625. GREGORIUS HORSTIUS (*a*) Targovienſis natus ann. 1578. poſtquam Medicinæ incubuit plures Academias Germanicas peragrando Baſileæ Doctor renunciatus fuit 1606. & paullo poſt Medicinæ Profeſſor electus fuit Giſſæ; verum a Republica Ulmienſi anno 1622. advocatus, ut Medicinam exerceret, Præſes fuit Collegii Medicorum illius Civitatis, occubuit anno 1636. ætatis ſuæ 58.

Inter plures Libros, quos Horſtius publicavit, libellum Obſervationum medicinalium *in* 4. edidit.

Obſervationum Medicinalium ſingularium Libri IV. poſteriores. I. De morbis mulierum. II. De Morbis contagioſis & malignis. III. De doloribus partium externarum. IV. De Chirurgicis quibuſdam Caſibus. Ulmæ 1628. *in* 4.

Obſervationes, quæ mulieres ægrotas reſpiciunt LI. ſunt, plures earum perlegi merentur. Auctor nonnullos Medicos Alemannos indicat, qui eas communicarunt, hujuſmodi ſunt Joannes Bilger Medicus Campodunus, Jacobus Eckcold Medicus Meminganus, & Joannes Chriſtophorus Eiſemnerger Heilbrumus.

Extat ejuſdem Auctoris Centuria problematum circa curationem diverſorum morborum in Decades diſtributorum, quarum nona ad mulierum morbos pertinet, ubi præſtantiores quæſtiones perſcrutantur, & ſatis docte explanantur.

A. C. N. Ann. 1626. MELCHIOR SEBIZIUS Argentinus natus ann. 1578. plures Academias frequentavit poſtquam Baſileæ Doctoris gradum accepit anno 1610., deinde Profeſſor Argentinus renunciatus fuit anno 1612., quod onus annos 62. ſuſtinuit, obiit vero anno 1674. ætatis anno 95.

Hiſtoria mirabilis de femina quadam Argentoratenſi, quæ ventrem ſupra modum tumidum atque diſtentum ultra decennium geſtavit; & tum hydrope uterino, tum molis carnoſis ſeptuaginta ſex, tum ea hydropis ſpecie conflicta fuit, quæ Aſcites *dicitur, fideliter relata, rationibus explicata & commentario de hydrope uterino, molarumque forma, materia efficiente, atque fine, aucta.* Argentinæ, 1627. *in* 4.

Suſpicor ſexcentum hujuſmodi & ultra molas carneas, quas Sebizius obſervavit, ſteatomata tantum uteri fuiſſe.

C. A. N. Ann. 1627. FRANCISCUS RANCHINUS Monſpeſſulanus in ea facultate medicinæ Doctor renunciatus circa annum 1592. Profeſſor electus 1605., ſucceſſit Joan-

(*a*) In oratione Funebri, *qua Jo. Dan. Dietericus Gregorio Horſto parentavit.*

Joanni Saporta, & Cancellarius inde factus anno 1612. loco Andreæ *du Laurent*, obiit anno 1642.

Opuſcula medica utili, jucundaque rerum varietate referta, publici juris facta cura & ſtudio Henrici Gras Doctoris Medici Monſpelienſis, Lugduni 1627. *in* 4.

In ea collectione Tractatus adeſt

De Morbis Virginum in tres ſectiones diſtinctus, ubi Ranchinus plures quæſtiones agitat, quæ mulierum morbos reſpiciunt, nullam tamen novitatem redolet.

JOANNES PREVOSTUS natus anno 1585. in Diœceſi Baſileenſi, gradum Doctoris accepit Patavii anno 1607. ibique Profeſſor renunciatus fuit an. 1613. donec 1616. plantarum viridarium ei commendarunt, contagio obiit anno 1631. A.C. N. Ann. 1629.

De morboſis uteri paſſionibus Tractatio. *Patavii* 1669. *in* 8.

Hujuſmodi opuſculum, ut & cetera illius opera, diu poſt Auctoris mortem excuſa ſunt.

MICHAEL DURINGIUS Uratislavienſis. A.C. N. Ann. 1630.

Epiſtola de nova, rara, & admiranda Herniæ uterinæ, atque hanc juſto tempore ſubſequentis partus Cæſarei Hiſtoria

Ipſe hujuſmodi Hiſtoriam communicavit Gullielmo Fabricio Hildano, qui eam ſuis ſcriptis inſeruit.

CLAUDIUS DEODATUS. A.C. N. Ann. 1630.

De admirabili quodam affectus uterino Obſervatio.

Eidem Hildano ab Auctore communicata, & ab hoc ſuis Obſervationibus inſerta, quem admirabilem morbum falſum fuiſſe ſcirrhum aut ſarcoma uteri haud dubito.

GULLIELMUS FABRICIUS Hildanus Helvetus ſub Hildani nomine præſertim cognoſcitur, quod Patriam deſignat, ubi an. 1560. natus eſt; Chirurgiam glorioſe exercuit primum Lauſanæ, verum Bernæ tranſitum fecit, ubi ipſe fama increbuit, denique obiit 1634. ætatis ſuæ 74. A.C. N. Ann. 1630.

Succeſſive edidit, primo Centurias ſex Obſervationum, quas poſt mortem congeſſerunt & Lugduni typis mandarunt anno 1641. *in* 4., inter illas obſervationes plures de Morbis Mulierum agunt, videlicet de abortu, fœtu emortuo, partu, & ceteris præcipuis uteri morbis, eaſque legere non contemno.

Inter eas nonnullæ obſervationes reperiuntur, quas ei communicarunt Medici ſuperius recenſiti.

DANIEL SENERTUS Uratislavienſis in Sileſia natus anno 1572. Doctoris gradum Vittberg aſſecutus eſt anno 1601. ibidem ſubſequenti anno Profeſſorum munus ſuſcepit, obiit anno 1637. ætatis 65. A.C. N. Ann. 1631.

Ejuſ-

Ejuſdem opera poſt mortem collecta Venetiis in triplici volumine anno 1640. *in fol.* impreſſa ſunt, verum pluries recuſa cum additamentis, attamen præſtantius eſt opus morborum localium ſub titulo *De Praxis Medica* in V. Libros diſtributa, ſingulos in ſectiones diſtinctos.

In quarto enim hujus operis libro fuſius de omnibus Morbis Mulierum pertractat, concinne, ſolide, & methodice Galenum omnino proſecutus eſt, idcirco incaſſum poſteriores notiones quæremus; at præcipua Medicinæ fulcimenta ſolide innixa ſunt, & morbi, aut differentiæ exactæ diſtribuuntur, cum practicis indicationibus ſatis clare enunciatis; idem obſervatur in ceteris hujus Medici operibus, quæ totidem codices ſunt, quibus Medicus minime carere poteſt; plerumque enim, veræ Medicinæ uberiores notiones complectitur, quam nuperrimi libelli, qui tot jactant.

A.C. N. Ann. 1640. ZACUTUS Luſitanus Ulyſſiponenſis, natus eſt 1575. Philoſophiæ, & Medicinæ ſtuduit in Academiis Salmaticenſi, & Conimbricenſi, ac anno 1594. Doctoratus gradum aſſecutus eſt Sagunti in nova Caſtilia.

Inde per annos triginta continuos Medicinam cum laude fecit Ulyſſipone; at circa an. 1624. quum Regis Edicto, qui tunc Luſitaniam ditione premebat, Hebræorum quotquot aderant ſtirpes incolatu regni fuerint interdictæ, Zacutus, qui Judæus erat, in Belgium concedere coactus fuit, ubi Praxim Medicam exercuit, maxime Amſtelædami & Hagæ Comitum. Obiit Amſtelædami anno 1642. ætatis 67.

Scripſit Opus minime contemnendum

De Medicorum Principum Hiſtoria a Veteribus, & nuperrimis Scriptoribus excerpta duobus voluminibus *in fol.* comprehenſa, & in Libro VI. diſtributa, quos notis illuſtravit.

Alterum opus adeſt ſub titulo

Praxis Hiſtoriarum &c. Synopſis eſt curationum cuique morbo idonearum, de quibus Zacatus in præcedenti opere locutus erat, ea in quinque Libros diſtribuitur.

Poſtremum opus appellatur *Praxis medica admiranda*, innumeras obſervationes ſpeciales complectitur, tum circa morbos, cum remedia in III. Libros diſtinctas.

Zacutus de Morbis Mulierum in ſingulo opere agit *in priori*, in III. Libro 17. priores Obſervationes de hac re pertractant, *in ſecundo*, iis morbis totum III. Librum dicat, qui 23. Capita complectitur, tandem *in tertio* 25. Obſervationes II. Libri eo pariter collineant.

Inter eas diverſas obſervationes quas Zacutus refert, plures admiratione dignas eſſe fateor, verum doctrina, & eruditione locupletatas diſſertationum ergo, quæ eas comitantur, ut ſane pervolvi mereantur; at, omnia credere cunctabor, ipſaque tueri renuam,

A. C. N. Ann. 1640. NICOLAUS FONTANUS Amſtelædamenſis.

Syntagma Medicum de Morbis Mulierum in IV. Tomos diſtinctum. Amſtelædami 1645. *in* 12.

A. C. N. Ann. 1640. LAZARUS RIVERIUS Monſpeſſulanus Doctoris gradum ſumpſit anno 1610.

1611. & in ea Facultate, loco Laurentii Boudini Profeſſor renunciatus fuit an. 1622. ſuſceptumque onus ſummo cum decore implevit uſque ad annum 1655. ætatis ſuæ 66. & ultimum.

Hujuſmcdi Profeſſor inſtitutiones medicas digeſſit, quæ tunc temporis magni exiſtimabantur, at ejuſdem præcipuum opus eſt morborum curriculum eo titulo inſignitum *Praxis Medica*, quæ ſimplicem (*a*) praxim præſtat theoria denudatam, quam in ſcholis dictavit, pluriesque edidit Gallia, & Belgium: cum experti ſint Operis felicem eventum, addiderunt theoriam illius ævi notionibus accommodatam, ipſumque opus tali pacto Pariſiis typis mandarunt in 8. anno 1640., quod poſtea crebro recuderunt.

In hoc opere de omnibus corporis morbis agitur in XVII. Libros, XV. totus mulieribus ægrotantibus dicatur, ibique clare earum morbi explicantur, & pro iis ſaluberrima praxis proponitur, ut prudens Medicus hoc ſolo auxilio Medicinam facere valeat.

Non prætereundum tamen eſt, Riverium Senerti plerumque apographum fuiſſe, ut integras paginas ſubdole interdum tranſcriberet.

De cetero certum eſt Bernardinum Chriſtinum Corſum, qui Monſpeſſulii Riverii diſcipulus fuit, verum Divi Franciſci habitum ſumpſit; ſed a Medica praxi non deſtitit poſtquam nonnulla arcana Chemica compilavit, ea Venetiis imprimere auſus eſt Riverii nomine an. 1676. in 4., poſtquam operibus ejuſdem Auctoris eadem addiderunt; at D. Joannes Chatelain, qui obiit poſtea Decanus Facultatis Monſpeſſulii olim Riverii diſcipulus, aſſerit Chriſtinum fraudulenter ea arcana Riverio tribuiſſe.

(*a*) *In præfat. Editioni anni 1651. præfixa.*

FINIS TERTIÆ EPOCHÆ.

QUARTA EPOCHA.

SAnguinis circulatio, quæ jam antea innoteſcere debuiſſet, anno tantum 1628. Guilielmus Harveus Medicus Anglus in ſuo tractatu Europeis ipſam annunciavit ſub eo titulo *Exercitatio anatomica de motu cordis, & ſanguinis in animalibus*, Francofurti impreſſo in 4.; ea de cauſa Auctori hujuſmodi celeberrimum inventum tribuunt, at intimius rem perſcrutando haud facile eſt ipſum revera inventorem fuiſſe defendere.

Etenim anno 1553. Michael *Servetus* Aragonenſis de *Villaneuva* Medicus celebris tum pro religionis erroribus, quibus inquinabatur, cum pro ſupplicio, quod hac de cauſa Genevæ paſſus eſt, docuit in ſuo opere eodem anno (*a*) Viennæ Allobrogum impreſſo, ſanguinem per venam arterioſam (nempe *arteriam pulmonalem*) dexteri ventriculi cordis in pulmonem irrumpere; verum ramificationes ejuſdem venæ cruorem in ramos alterius arteriæ venoſæ (*venæ pulmonalis*) effundere, cum quibus communicant; tandem ab hac arteria impelli in ſiniſtrum ventriculum diaſtolis tempore, a quo per omnes corporis arterias diſtribuebatur.

Paullo poſt Realdus Columbus Cremonenſis, qui Veſſalio in Patavino Licæo ſucceſſit, verum in Piſano Anatomiam docuit; tandem Romæ Medicinam exercuit, Venetiis Anatomicum opus anno 1559. edidit (*b*) *in fol.* ubi idem oſtendit, atque Serveti Doctrinam (*c*) circa ſanguinis circulationem proſecutus eſt, imo eam ab Serveto ipſum deſumpſiſſe Jacobus Duglas Anglus putavit; at eo præcellit cum accuratius harum partium uſum oſtendat, verum Valvulas ſigmoideas arteriarum, & tricuſpides venarum deſcribat.

Novum inventum ſtatim admiratione animos replevit; Petrus enim Monavius Uratislavienſis poſtea Medicus Imperatoris Rodulphi II. ſcripſit (*d*) anno 1576. Joanni Cratono tunc Maximiliani II. Imperatoris Archiatro, ſe Heildebergæ commorantem intellexiſſe Italum quemdam Pigafettam dictum Fallopii diſcipulum, qui publice oſtendebat Hiſpanum (*Servetum nempe*) inveniſſe ſanguinem ex dextero cordis ventriculo exeuntem per venam arterioſam in pulmonem irrumpere; atque ab eo in ſiniſtrum ventriculum revehi.

Anno vero 1574. Hieronymus Ab-aqua-pendente Fallopii ſucceſſor in Chirurgiæ Catedra Patavinæ Univerſitatis, qui poſtea ibidem Anatomiam docuit, reperiit valvulas venarum, quas in ſpeciali tractatu *de venarum oſtiolis* Patavii impreſſo *in fol.* an. 1603. deſcripſit. Videbatur poſt hoc inventus gradus tantum deeſſe ad ſanguinis circulationem plane cognoſcendam, cum hujuſmodi valvulæ ipſam ſatis indicarent, at id Aquapendente non obtinuit.

Primum decus enim Andreæ Ceſalpino reſervabatur, qui poſtquam diu Medicinam legit in Piſanis Scholis, verum Archiater creatus fuit Clemen-

tis

(*a*) Sub titulo *Chriſtianiſmi reſtitutio* cujus exemplaria cum ipſo auctore combuſta fuerunt, ut unum vel duo ſint reliqua tantum.

Verba Serveti ubi circulationem docet a Michaele Rocheo excerpta fuerunt *Biblioteque Angloiſe Tom. I.* par . . . VVotton *Reflexions on antientand modern learing*; & per Duglas *in Bibliographice in verbo* Servetus *p.* 104.

(*b*) Sub titulo *de re Anatomica* Lib. XV. (*c*) Lib. VIII. *de corde, & arteriis*.

(*d*) Hæc Epiſtola reperitur, *inter conſilia & epiſtolas Petri Monavii* in collectione Laurentii Scholzii impreſſa Francofurti *in fol.* 1598.

tis VIII. ad trutinam revocavit jacta hujus inventi fundamenta, quæ in concinnam formam digeſſit, atque clare oſtendit ſanguinis circulationem in ſuo Opere (*a*) Venetiis impreſſo anno 1593. ubi aſſerit (*b*) ſanguinem e ventriculo dextero per venoſam arteriam in pulmonem evehi, atque per venam arterioſam in ſiniſtrum ventriculum rehevi, verum ipſum per Aortam arteriam partibus diſtributum per venam Cavam in dexterum ventriculum refluere, ideoque dari in utroque ventriculo venam ad afferendum, & arteriam ad repellendum ſanguinem; qua de cauſa in dextero ventriculo *Arteriam* appellari quod veteres *venam arterioſam* nuncupabant, & *venam* in ſiniſtro ventriculo, quod illi arteriam venoſam dicebant; Tandem ipſe addidit accuratam valvularum arteriarum, atque venarum cordis deſcriptionem, uſumque earum declaravit; uno verbo circulationem explicavit pari ratione, eademque verba adhibuit, quæ recentioribus uſitatoria ſunt; at quod mirum eſt, indicat venas ſupra vinculum inflari, & hac obſervatione tuetur motum, quem ſanguini circulanti adtribuit.

His expoſitis haud dubito quin anceps hærere poſſit lector Servetum, & Columbum primos, inveniſſe ſanguinis circulationem; minime tamen contendere poſſumus Ceſalpinum accuratius iis illam deſcripſiſſe; eamque cadaverum, & animalium viventium ſectionibus confirmaſſe ut ſub iis verbis oſtendit *quæ & diſſectione apparent*; Ceſalpinus ergo potiſſimum hujus inventi honorem ſibi promeritus eſt, eo magis cum veriſimile ſit Harveum, qui initio ſæculi XVII. Patavii quinqe annos moratus eſt, ubi Doctoris gradum accepit, ibi hanc notionem addidiciſſe, quam plures poſt annos publici juris fecit, quamvis penitus non ignoraretur.

Idcirco D. Duglas quamvis Anglus & Harvei conterraneus fatetur (*c*) Ceſalpinum primum ſanguinis circulationem inveniſſe quam Harveus primus publici juris fecit, ut id contendit tum impreſſionis tempus, cum accurata deſcriptio Ceſalpini; quieſcunt tamen Harvejani ſi cum Ceſalpino ſaltem inventi honor dividatur, *pardecus manet, ajunt, & illi qui primum invenit & qui poſtremum perfecit. Neſcio enim, addunt, an præſtat inveniſſe, an ditaſſe.*

Quamquam evidens eſſet ſanguinis circulatio, & ineluctabilibus rationibus comprobata, minime tamen eam ſtatim amplexi ſunt Medici, ipſam negabant dum Columbus, Servetus, & Ceſalpinus docebant; Harveo adverſabantur, qui illam tueri tentabat; denique innumeras ſanguinis circulatio contradictiones paſſa eſt, antequam undique pateſceret; in quibuſdam tamen Univerſitatibus niſi poſt annum 1650. invaluiſſe credendum eſt, imo ſerius alicubi.

Ab eo tempore initium ſancivi quartæ Epochæ cum tunc primum fruerentur Medici utilitatibus, quas circulatio præſtiterat.

Paullo poſt Renatus Carteſius novum Philoſophiæ ſyſtema propoſuit; quod penitus deſtruebat Ariſtotelis dogma, quo Galenica Medicina fulciebatur; ipſum ſtatim, atque ejus doctrinam aggreſſi ſunt, at diſſentientes parum progreſſi ſunt, nam ea cito recepta undique fuit, ut ex medicinæ Scholis Peripateticiſmus prorſus proſcriberetur.

Sane veterum ſcriptorum dominium in animos validiſſimum fuerit modo udicemus a nixu, quo ipſos ſecuti ſunt, numquam tamen animi obverſio perfecta ita & celerrima fuit; Auctores enim, quos antea magis commendabant atque defendebant de repente ſpernebant, eorumque libros reſpuebant;

(*a*) Sub titulo *Quæſtionum Peripateticarum libri IV.*, *Quæſtionum Medicarum libri V.* in 4.
(*b*) *Quæſtionum Peripateticarum III. IV. V. VI. & Medicarum Lib. II. quæſtiones XVII.*, omnis quæſtio circulationis reperitur in Duglas ad p. 165. 168. juxta Ceſalpini ſententiam.
(*c*) Speciminis Bibliographiæ Anatomicæ, p. 167. 168.

fatebantur enim nihil veri adſuiſſe inter medicas notiones, quas uſque illuc docuerant; quaſi nonnulla Anatomiæ inventa, aut nova Phyſicæ argumenta obvertere valerent Medicinæ ſundamenta.

Huic tamen viciſſitudini, inverſo, & cogitandi luxuria ſucceſſerunt novarum rerum obviæ conſecutiones; at cum nulla exiſteret conſtans methodus, quiſque propriæ imaginationi conſulebat, ut protinus quot Medici totidem ſyſtemata haberentur.

Itaque Carteſii fautores ſubtiliori materiei omnia corporis Phœnomena tribuebant; eam pro naturæ indigentiis progredi, regredi, in vorticem circumvehi poſſe autumabant; tali pacto enim omnia explicabant quamvis hujuſmodi rationes neque veriores, neque magis rationi conſonæ eſſent iis, quas de qualitatibus afferebant & contemnebant.

Alii vero Chemiæ fautores in humano corpore ſalia, ſulphura, & acidas, vel Alkalinas ſubſtantias conſpiciebant, tum omnes fermenti ſpecies, atque fermentationes, effervеſcentias, vel exploſiones, ut in eo Chemicum elaboratorium conſtituerent.

Nonnulli vero corpuſculari Philoſophia delectabantur *Gaſſendi*, quæ tunc temporis plurimi exiſtimabatur, putabant ipſi ſanguinem, atque humores ſcatere atomis innumeris, ſive co rpuſculis ſphæricis, uncinatis, duris vel flexilibus, grandioribus vel exiguis, quibus omnes motus tribuebant; at parvi faciebant hujuſmodi qualitates arbitrarias nulla veritatis ſpecie fultas.

Earum opinionum nonnullæ in ſcholis adhuc vigebant dum Medicum Tyrocinium ipſe proſequebar; at noſtra fortuna ſecunda eæ abierunt Hypotheſes, ut Medicinæ tutiorem, certioremque nunc ſternat viam: ea itaque amplectimur tantum quæ a cognita partium ſtructura ſponte procedunt, aut functionibus earum; verum quæ conſequuntur certas leges circulationis ſanguinis atque lymphæ, aut cadaverum ſectionibus confirmantur.

Anatomiæ enim ſtudio in hac Epocha ſedulo incumbebant, at in præcedenti Anatomici tantum numerum detegere ſatagebant, figuram, atque nexus oſſium; verum poſitus, adhæſiones, & uſus muſculorum; denique diſtributionem arteriarum, atque venarum, quæ omnia Chirurgiæ potius quam Medicinæ utilia evadunt. Hodierni tamen ſcriptores *Splancbnologiam*; ſeu viſcerum conformationem utilius perſcrutati ſunt; inter quos celebriores fuerunt *Stenonus*, *Pecquetus*, *Malpighius*, *Ruyſchius*, *Morgagnus*, *Du Vernejus*, atque *VVinslovius*.

Ipſi enim glandularum, atque ab his haud abſimilium corporum indolem inveſtigarunt, excretorioſque ductus; injectionum vero ope diſtributionem ramificationum arteriarum, & venarum, anoſtomoſium plexus, qui continuos canales gignunt, oculis patefecerunt; Lymphæ denique exiſtentiam oſtenderunt, quæ nos latebat, ejuſdemque circulum, atque ſpeciales ſemitas invenerunt &c. ut ex iis notionibus facile naturales functiones explicarentur, harumque perturbationes proſpicerentur, quæ morbos conſtituunt.

Tandem veram cognoſcere ſupereſt ſtructuram cerebri, ejuſque partium uſus diverſos; in eo ſanguinis circulum, & lymphæ potiſſimum; originem, contextum, atque uſus nervorum, qui ab illo procedunt, ac per omnes diſtribuuntur partes; Phiſiologi enim de hoc ſolliciti quamquam ab oſſeo cranii canicul impediti multa utilia invenerunt; at multa adhuc reliqua ſunt, quæ niſi latitarent œconomiæ animalis explicationi non parum luminis afferrent.

Cum Anatomiæ in hac Epocha magis incumberent, ideoque & cadaverum ſectiones crebrius inſtituebantur, & utilius cum magis inveſtigarent viſcerum læſiones, quæ plerumque potiſſimæ ſunt Morborum cauſæ; nihilo

lo tamen minus interdum morbi affectum pro cauſa habuerunt, ſi quis confirmari velit, obſervationes pervolvat *ſepulchreti* anatomici *Boneti*, numquam enim ſatis edocti erimus, atque ſolliciti, ut rectas obſervationes inire valeamus, cum plerumque obſervatores decipiantur.

Botanicam æquo fructu excoluerunt, ac Anatomen perſcrutati ſunt; D. enim *Turnefortius*, *Rajus*, *Rivinus*, atque *Linnæus* genera, & ſpecies plantarum determinarunt, ut novam Botanicæ formam ſuppeditarent; utilior tamen hujuſmodi perquiſitio evaſiſſet, modo experientiis virtutes, & proprietates plantarum potius, quam nomenclaturam perpendiſſent.

Chemia pariter progreſſa eſt; *Stahlii* enim *Boerhaavi*, *Freindi*, *Hombergi*, plerorumque aliorum exemplo, qui præſtantiores fuerunt noſtris temporibus, compoſita corpora tantum diſgregare conati ſunt, ut principia eluceſcerent, vel notas ſubigere ſubſtantias, quæ nova præberent remedia; ſane plura, & Medicinæ valde proficua auxilia Chemia ſuppeditavit, at quo efficaciora evadunt, eo cautius incedendum erit, nam ſimilibus remediis errando, numquam errores leviores fiunt.

Pharmacia vero innumeris compoſitionibus veterum minime hodie infarcitur, eæque tantum retinentur, quæ ſalubriores, & magis neceſſariæ Medicinæ exercitio videntur; præparantur diligentius, quia ſimplicium indoles magis innoteſcit, cum eorum farrago non implicet ſcrutinium; intereſt quod remedia ſimpliciora præſcribantur, ut melius ſingulorum effectus diſtinguantur. Penitus jam obſolevit Aſtrologiæ & Taliſmanorum futilitas, cui veteres tantum fidebant, verum, etſi hujus ſuperſtitionis reliquiæ ſuperſint, vulgus potius, & mulierculæ, quam Medici inquinantur.

In hoc Medicinæ ſtadio tria nova remedia ab America exportata adepti ſumus, videlicet *Quinquina*, *Ipecacuanha*, & *Simarouba*.

Prior cortex eſt arboris cujuſdam, quæ *Gannaperis* appellatur, creſcit in montibus Peruviæ apud *Loxam* quæ ſexaginta leucas a *Quito* diſtat.

Hujuſmodi remedium Jeſuitæ Hiſpani *Romam* ex *Peruvia* tranſtulerunt; paullo poſt ejuſdem virtus innotuit, dum eo uxorem pertractarunt comitis *Cinchon* vice-Regis Peruviæ; at cum Jeſuitæ undique Pharmacum diſtribuerent, atque Cardinalis de Lugo eorumdem ſocius maximam copiam ægris Romæ ſuppeditaret, idcirco *pulvis Jeſuitarum*, aut *Cardinalis de Lugo* ſtatim fuit nuncupatus, ut adhuc interdum eo nomine inſignitur; at apud nos etiamſi appellationis lateat (*a*) origo, *Quinquina* dicitur; ſuſpicor tamen, id eveniſſe, quod pulvis *Chinæ* ea conſuetudine appellaretur, qua incognitas regiones uno verbo *Chinam* nuncupant, at cum diſtingui debeat a *Chinæ radice*, vulgo *ſquine*, ideo nomen repererunt *China Chinæ*, qua de cauſa ipſam ſub eo titulo diu recognoverunt, atque ab hujuſmodi nomenclatura illam *Quinquinæ* fabrefecerunt.

At quidquid ſentiendum ſit de ipſius Æthimologia, cortex Peruvianus utiliſſimum remedium præſtat, quod, modo prudenter, & generalioribus præmiſſis auxiliis adhibeatur, valde prodeſt, nullumque ſupereſt eo efficacius febrifugum, quare hujuſmodi remedii inventio Medicis, & ægris utiliſſima evaſerit.

Ipecacuanhæ reſpectu, quæ ex Braſilia ad nos exportatur, ut nomen *radix Braſiliana* indicat, quo a Medicis inſigniri ſolet, etiamſi vernaculo nomine appelletur *Ipecacuanha*.

(*a*) Crediderunt nonnulli Quinquinam appellari a Comitiſſa *Cinchon*, quæ primum eo remedio uſa eſt; *vid. Pauli Hermani Cynoſura materiæ medicæ edit.* 1726. *p.* 204. Et Mich. Bernardus Valentini, *diſcur. de China China* c. 2. §. 1.

Guillelmus Piſonus de ea locutus eſt an. 1656. *& in (a) Hiſtor. Natur. & Medic Braſiliæ* ejuſdem virtutem oſtendit, tamen nos adhuc remedium latebat; Medicus enim Gallus nomine (*b*) *Le Gras*, qi iter fecerat Americam verſus, maximam copiam hujus radicis in Patriam redux anno 1672. ſecum tulit, ut cum paullo poſt occubuiſſet, parum vero de remedii effectibus diſſeruiſſet, ideoque ejuſdem uſus obſolevit; putant nonnulli mercatorem quemdam *Garnierum* dictum denuo anno 1686. hanc radicem exportaſſe, diſſentiunt tamen materiæ medicæ Scriptores qua ratione Adrianus (*c*) Helvetius Medicus Batavus Garnier Ipecacuanha uſus ſit, at certum eſt, ipſum primum remedium jactaſſe, & inventoris nomen non parum remedium ipſum auxiſſe.

Ipecacuanha præſtantiſſimum eſt remedium, & adverſus dyſenteriam revera ſpecificum, modo inflammationem venæ ſectionibus præoccupemus, tum viſcerum calorem compeſcamus, humectantibus magis idoneis; ejuſdem virtus ab eo præſertim procedit, quod ſaburras ſolvere valeat, ut dejectionis mutationes oſtendunt.

Tertium vero nuperrimum remedium, quod America ſuppeditavit, cortex eſt arboris cujuſdam *ſimarouba* dictæ in *Gujane* obviæ; D. *Pontchartrain* a ſecretis rerum Maritimarum anno 1713. hujuſmodi Pharmacum ex novis Indiis accepit, at ipſum tunc parvi fecerunt; verum 1718. Dominus Antonius *de Juſſieu Doctor* præſes Facultatis Pariſienſis, & Botanicæ Profeſſor remedium exhibuit utiliter in dyſenterico fluxu, quo Pariſienſes tunc facile corripiebantur, incaſſum propinata Ipecacuanha; poſtquam pluribus experimentis certior factus eſt de præſtantiſſimis remedii effectibus ipſum ſcientiarum Academiæ ſociis communicavit.

Autumant enim Simaroubam ſpecificum remedium adverſus ſeroſos fluxus evadere, id fortaſſe ab ejuſdem diuretica virtute procedet, quæ ſerum quo inteſtina madent renes verſus impellit; animadvertendum tamen eſt, hujuſmodi remedium etiamſi in quibuſdam occaſionibus validiſſimum, crebro tamen fruſtraneum evaſiſſe.

Variolæ, lues venerea, atque ſcorbutus adhuc perſiſtunt; At Europa in hac Epocha nondum nuperrimos morbos experta eſt; nam minime cenſerem pro novo morbo haberi febrem, quæ Lipſiæ an. 1612. puerperas aggredi ſolebat ſub nomine *frieſel* cognita; paullo poſt hujuſmodi morbus totam Germaniam, vicinaſque Provincias invaſit, imo Angliam aggreſſa eſt, ut apparet opuſculo Sydenami ſub titulo: *Schedula monitoria de novæ Febris ingreſſu*; tum ex libello (*d*) *de febri miliari* Amilthonis; invecta eſt poſtea Taurinos (*) in Pedemontio, & in proxima Longobardia, imo nonnullas Galliæ Provincias infeſtavit.

Hujuſmodi febris plerumque a leviori rigore initium agnoſcit, quem ſubſequitur modica febris ſecundo, vel tertio die augenda, quam teterrima phœnomena comitantur; erumpit tunc per omnem corporis ambitum papularum innumera congeries, quæ grana miliacea æmulantur, ut febris miliaris appelletur; hujuſmodi granula ſupra cutim elevantur, ut in ſudaminibus accidere ſolet, plerumque rubra, interdum alba, ut duplex ſpecies *frieſel* oriatur modo ruber, modo albus; poſtremus tamen infenſus magis experiri ſolet.

Hic

(*a*) *Lib. II. Cap.* 53. (*b*) *Lemery Traitè univerſel des drog.* ad verbum Ipecacuanha.

(*c*) Geoffroy materiæ medicæ Tom. II. Sect. I. Cap. 2. Artic. 22. Guill. Gothofr. Leibnitz *de novo anti-dyſenterico Ephem. Germ. Decur. III. anno III. in appendice.*

(*d*) Impreſſus Londini anno 1710. in 8.

(*) Allionius *de febri Miliari Taurin. in* 8.

Hic morbus puerperas tantum adoriebatur, hodie tamen & homines crebro aggreditur; initio enim nocuus magis evadebat, atque facilius communicabatur, at noſtris temporibus valde ſubactus apparet, difficiliuſque propagatur.

Eruptionis miliaris ſpecies Græco nomine Ἐκτέματα in pluribus febribus obviæ fuerunt, & alibi pluries apparuerunt, ut ex obſervationibus Medicorum celeberrimorum conſtat; quare minime ut de febri petecchiali admonuimus, ipſam novum morbum eſſe credendum eſt, quod & hujus morbi ſcriptores oſtenderunt, duo reliqua ſunt in hac Epocha propoſita quæ ad Medicinam facere crediderunt. Primum ſe prodit *Transfuſio Sanguinis*; dum Anatomen perſcrutabantur, injectiones vaſorum inſtituerunt, quæ ramificationes diſtinguerent; eo ducti exemplo autumarunt venas ægrotantium liquidis remediis repleri poſſe ex genere præſertim purgantium, diaphoreticorum, ſolventium, eaque efficacius ita agere; hujuſmodi methodum tanti exiſtimabant, ut *Chirurgiam Infuſoriam* ipſam nuncuparent: extant de hac re duo tractatus, alter (*a*) Joan. Danielis *Major*, ſeu *Meyer*, alter Joan. (*b*) Sigiſmundi *Elshaltzii*, at teterrimi effectus cito hujus methodi fallaciam oſtenderunt.

Ea ratione igitur ſanguinis transfuſio invecta eſt; primum undique recepta fuit, & commendata ut novis rebus evenire ſolet; ſtatim maxima ſpes concepta eſt ſanitatem non ſolum ſed *juventutem* reſtitui poſſe. Medicorum enim quiſque (*c*) ſibi inventum arrogabat, Richardus Lovverus auctor tractatus cordis aſſerit ſe (*d*) primum exercuiſſe Oxonii ann. 1665. idque enunciaſſe in Tranſactionibus Anglicanis ann. 1666. quod verum eſt animalium reſpectu; Joan. Denys Pariſienſis ſimilem honorem ſibi vindicavit an. 1667. & *Diario Sapientum* inſeruit animalis in hominem transfuſionem; Claudius Tardy (*e*) Doctor Præſes Facultatis Medicinæ Pariſiorum, teſtatur ſe primum de homine in hominem ſanguinem transfuſiſſe; alii denique inſurrexerunt, & Hieronymus Vehr in Theſi, quam defendit Francofurti ann. 1668. ſub titulo *Diſputatio de Metæmachyma* eam Hofmano tribuit Altorffii Profeſſor, at funeſtus eventus omnem tollit contentionem.

Secundum locum obtinet *Variolaurm* Innoculatio, per quam earum fomes ex uno in alterum ſubjectum transducitur. Multiplex eſt innoculationis methodus; tutior tamen, & vulgatior obtinetur artuum carnem, cutimque ad pollicis circiter longitudinem incidendo, & teniam recenti pure imbutam vulneri apponendo, ex benignis variolis deſumpto; modo deficiat recens optimæ craſis exſiccatum inſpergitur quod ad opus in phiala obturata ſervatur ne ſpirituoſior pars in auras avolet; vulnus emplaſtro obtegitur & circa 7. aut 8. diem puſtulæ erumpunt cum majori vel minori phœnomenorum apparatu, verum ulcus ſuppurrat, fluitque pus.

Plures fatentur hujuſmodi praxim apud Circaſſiæ, & Mingreliæ populos antiquiorem fuiſſe, a quibus Bizantium tranſducta fuit; ibi Medici duo primum innoculationem ſuſtinuerunt: alter fuit D. Emmanuel Timonus Bizantinus qui ad Londinenſem Academiam miſit experimentorum ſpecimen

(*a*) *Chirurgia infuſoria* Kilonis *in* 4. 1617.

(*b*) *Chlyſmatica nova* Coloniæ Brandeburgicæ *in* 8. 1667.

(*c*) Certum eſt *Joannem Collo* profeſſorem Patavinum hanc tranfuſionem deſcripſiſſe in medico tractatu Venetiis impreſſo ann. 1628. ſub titulo *Methodus facile procurandi jucunda tuta, & nova medicamenta c.* 7. (*d*) Tractat. *de corde*.

(*e*) Tractat. *de l'ecoulement du ſang d'un homme dans un autre & de ſes ſuites*, Paris 1667.

men (*a*) Tranſactionibus Anglicanis inſertum an. 1714. n. 339. quod reperitur etiam in Ephemeridibus Curioſorum Germaniæ *Centur. V. & VI. obſerv.* 2. alter Doctor eſt Jacobus Pylarinus Cephalenus, qui circa hanc rem opuſculum edidit Venetiis anno 1715. cujus ſpecimen extat in Tranſactionibus Anglicanis anno 1716. n. 347.

Auctoritates eorum Medicorum ſuffultæ exemplo Miledy VVortheley Montaigu Legati Angli apud Turcas, qui unicum filium anno 1718. Byſanzii innoculavit, verum in patriam reſtitutus filiam eadem ratione innoculari ſinit, Medicos plures, Chirurgos & Pharmacopolas excitarunt, ut eamdem operationem tentarent invitis DD. (*b*) VVagſtaffe, (*c*) Plackmore, (*d*) G. Douglas & Freind (*e*) celeberrimis Medicis, qui contrarium ſentiebant; certum enim eſt ad annum uſque 1728. variolarum innoculationem communiter receptam fuiſſe, at cauſa latitante aſſerunt ipſam, (*f*) *fut ſuſpendue & comme oubliée depuis cette annèe juſqu' en* 1743., addunt tamen *s'y eſt relevè depuis, pour n'y plus eſſuyer aucun revers ſemblable.*

Tentarunt hujuſmodi praxim per univerſam Europam propagare, eamque pluribus experimentis ſategerunt, apud nos præſertim omni niſu ſtuduerunt ut undique amplecteretur, at, quamvis ſedulo prædicarent felices eventus, nondum celerrime progreſſa eſt.

Poſtquam innoculationis hiſtoriam expoſuimus, judicium proferre neceſſum eſſet, at quæſtio nedum nitida apparuit, quare autumo tantum utrinque patronorum & adverſariorum rationes referre.

Innoculatores enim aſſerunt rationem eorum, qui ſponte variolis correpti pereunt, ad eſſe ut 1. ad 14. vel 7. ad 100., verum qui ſuperſunt plerumque deformes evadere, ut ſtatuant minime ancipites eſſe debere, cum certi ſimus hac methodo mortem, & deformitatem eludere; hoc unicum eſt eorum argumentum, quod tamen magni facere oporteret, cum validiſſimum ſit & vitam, atque pulchritudinem tueatur.

Anti Innoculares vero reſpondent 1. Ex *una* parte nimis extolli numerum eorum, qui vulgaribus variolis obeunt, earum Regionum ſaltem reſpectu, quæ Anglia ceteris paribus temperatiores ſunt, ubi ratio emortuorum eſt 1. ad 30. & minor interdum; addunt comparationem minime æquam evadere, nam pro hoc ſcopo (*g*) juvenes ſeligere ſolent bene diſpoſitos, quibus minus detrimenti morbus afferat: verum in vulgari variolarum aggreſſu ſubjecta cujuſque generis, & ætatis corripiuntur, deleteriæ indolis morboſis conſtitutionibus occurrentibus, ad ægritudinem ſuſtinendam minus parata, quare nil mirum ſi majori numero pereant,

2. Ex *altera* parte detrimentum adumbrare innoculationis, quo interdum invitis cautelis omnibus, multi ſub innoculatione intereunt, etenim *D. Jurin* hujuſce (*h*) methodi patronus & ipſe teſtatur emortuorum rationem fuiſſe 2. aut 3. ad 100., & ultra quandoque.

3. Oſten-

(*a*) *Ajunt acta Lypſ. an.* 1714. *p.* 382. hujuſmodi opus impreſſum fuiſſe Byſanzii ann. 1713. quod vix credendum eſt.

(*b*) Epiſtola Guillelmi VVagſtaffe ad Doctorem Freind, impreſſa Londini anno 1721.

(*c*) Collectio fragmentorum de innoculatione p. 171. (*d*) Ibid. p. 285.

(*e*) Freind *Hiſtoire de la Medicine* Part. III. p. 113. *de la Traduction d'Etienne Coulet impreſſion de Leyde en* 1727. Poſtquam quaſi Agyrtam deſcripſit Joannem Gaddeſden veterem medicum Anglum, & addit *s'il avoit vècu de nos jours, je ne doute pas qu'il n'eut ètè a la tète des Innoculateur*, quod oſtendet ipſos Anglos innoculatores parvi feciſſe.

(*f*) Collectio de Innoculatione variolarum impreſſa *Pariſiis* 1756. *in* 12. *p.* 135.

(*g*) Vide quod D. Jurin commendat, *Recuel pag.* 92. *& ſuivantes*, verum quod propoſuit D. Ramby Chirurgus *ibid. p.* 224. *& ſeqq.*

(*h*) Hiſtoria eventuum innoculationum in Anglia in collectione ſuper allata pag. 98. *Ibid. p.* 132. 133. *Ibidem* Epiſtola D. Jurin ad D. Cotesvvorth p. 50. *du Recueil.*

3. Oſtendunt hujus detrimenti ambagem ſufficere, ut parentes natos innoculationi minime exponant, quæ mortis periculo non vacat morbum evitandi cauſa incertum; quo hominum dimidium expers evadit, modo caute incedat.

4. At ſaltem, inquiunt, antequam innoculationi ſubjiciantur infantes neceſſum eſſet certiores fieri amplius hoc morbo corripi non poſſe; innoculatores id fatentur, at adverſarii (*a*) contrarium ſentiunt, circa quod ineluctabilia hi afferunt exempla; idcirco Innoculatores animo deficiunt cum ipſis jam innoculati denuo innoculandi proponantur, & revera eum (*b*) pluries quandoque variolis laborent ægri citra innoculationem, quo ſpeciali favore innoculati ſemel tantum corripi poterunt?

5. Anti-Innoculatores teſtantur, variolas inſerendo periculum adeſſe quod ſtrumæ, herpes, ſcorbutus, aut lues venerea inſerantur, modo ab infecto ſubjecto alterius morbi pus deſumatur: ſi fomes variolarum vulnere intrinſus variolas excitet, idcirco ſtrumoſus, herpeticus, ſcorbuticus, celticus ſimiles morbos excitare potis erunt; minime rationibus tantum hanc opinionem confirmant, verum clariſſimis exemplis illam defendunt, quibus pro variolis alterutrum eorum morborum excitarunt.

6. Tandem referunt hujuſmodi variolas, legitimas puſtulas minime æmulari, ſed (*c*) ſcabiei potius haud abſimiles eſſe, verum papulas illas numquam in ſuppurationem vergere, neque pus novam innoculationem excitare poſſe, quod oſtendit minime eam materiam varioſolam fuiſſe, aut a veris variolis, proceſſiſſe, ut tuto ſtatui queat innoculatos, nunquam a variolis legitimis tueri poſſe.

Me latet an unquam hujuſmodi animadverſiones apud nos inſtitutæ ſint, felicem tamen innoculationis eventum eveniſſe obſervavi, quod innoculatorum ſententiam magnopere ſuſtinuit, & fautores ſui circumſtantiarum utilitates non neglexerunt; at ſpes eorum cito evanuit infortunii ergo, quod ab innoculatione proceſſerat, quare modo rei novitas ſuffragiis omnibus non fulciatur, verum ſententiam ſedulo magis perpendamus: hujus praxis conſuetudo adhuc incerta, & nocua apparet.

JACOBUS PRIMEROSUS originem Scotus Burdigalenſis. A. C. N. Ann. 1660.

De Morbis Mulierum & ſymptomatis Libri V. in quibus plurimi tum Veterum, tum Recentiorum errores breviter indicantur & explicantur. Roterodami, 1655. *in* 4.

PETRUS MICHAEL DE HEREDIA Medicinæ Profeſſor in Univerſitate Compluti per 25. an. conſecutivos poſtquam a Philippo IV. Hiſpaniarum Rege in Archiatrum electus fuit; obiit anno 1663.; Petrus Barca Aſturigenſis Medicinæ Profeſſor, & diſcipulos Herediæ ejuſdem opera collegit anno 1665. & impreſſit Lugduni in *fol.* in unicum volumen in quatuor partes diſtinctum. A. C. N. Ann. 1668.

In quarta parte tractatus extat perlongus de muliebribus morbis, quem tamen parvi puto, ut vix perlegi mereatur; Auctor Arabes proſequitur, ut vix fruitus ſit utilitatibus, quibus Medicina poſt Græcorum Medicorum ſcho-

(*a*) D. Kirkpatrick, *The analyſis of inoculation*, impreſſa Londini an. 1754. ipſe aſſerit ſex exempla innoculatorum qui variolis jam antea correpti fuerant, tres refutat; ceteros damnat. Vide *Recueil* citatam p. 255.

(*b*) D. Jurin affert D. Iſaaci Maſſei Pharmacopolæ exemplum qui idem teſtatur p. 84. *du Recueil*, & plura alia afferre poſſet.

(*c*) Sufficit pervolvere ipſam deſcriptionem variolarum quam innoculatores ipſi afferunt.

ſcholam ſcatebat, quod oſtendit eo tempore nondum nova Medicinæ inventa Hiſpaniam invaſiſſe.

A. C. N. Ann. 1667. ANTONIUS MENIOTUS Pariſienſis Medicinæ incubuit Monſpelii, ibique gradum Doctoris ſumpſit; verum Lutetiæ Medicinam exercuit, ibi Regis Medicus creatus fuit; obiit ante annum 1697. ætatis 80.

Plures faſciculos compoſuit pathologicos in quatuor partes diſtributos, quos Pariſiis in 4. ediderunt pluries, annis nempe 1665. 1674. 1677.

Inter eos nonnulli reperiuntur, qui de morbis mulierum agunt, ut *De furore uterino* in prima parte, *De Pica* in ſecunda, & *De ſterilitate* in tertia, at ſolum animadverſiones nonnullæ pathologicæ reperiuntur abſque Diagnoſi, Prognoſi, aut Curatione.

A. C. N. Ann. 1667. FRANCISCUS DE LA BOE Silvius Hannoverienſis natus anno 1614. Baſileæ anno 1637. gradum Doctoris adeptus eſt, verum Medicinam partim apud Hannoverienſes, partim Amſtelodamenſes exercuit; deinde apud Lugduno-Batavos advocatus Cathedram replevit defuncti Alberti Kyper ibique ſecundam vitam iniit an. 1672.

Hujuſmodi Medicus vivens plurimi exiſtimabatur, cujus tamen opera poſt mortem non ſuſtinuerunt.

Ediderunt poſt obitum ejuſdem quatuor volumina in 12. de omnibus Morbis, quorum tertium apparuit ſub titulo:

> *Praxeos Medicæ Liber tertius. De affectionibus generationi hominis dicatas functiones læſas vel conſtituentibus, vel producentibus, vel conſequentibus.* Amſtelodami, *in* 12. 1674.

In hoc Tractatu decem capita extant de Morbis Mulierum, quæ conceptionem præſertim, geſtationem, & partum reſpiciunt: ejuſdem theoria involuta maxime apparet, praxis vero ſane comburit, quia aromatibus ſcatet innumeris, quæ convenirent in iis regionibus potius, ubi Silvius praxim exercebat.

Hujuſmodi opuſcula collectioni inſerta fuerunt operum ſuorum *in fol.* editorum, quorum præcipuam partem conſtituunt.

A. C. N. Ann. 1667. THOMAS VVILLIS Medicus Anglus natus anno 1620. gradum Doctoris Medici ſumpſit in Univerſitate Oxonienſi, ubi paullo poſt naturalis Philoſophiæ Profeſſor creatus fuit, verum Londini advocatus anno 1667. ibi fama maxime increbuit, obiitque anno 1677.

VVillis Oxonii impreſſit anno 1667. Tractatus in 4. cujus titulus *Pathologiæ cerebri, & nervoſi generis Specimen, in quo agitur de Morbis Convulſivis, & de Scorbuto*, in eo ſancivit convulſiones omnes ab heterogeneis, & exploſivis moleculis oriri animalibus remixtis, quæ inæquales exploſiones inducunt in eas partes, in quas influunt, & convulſiones, aut convulſivos motus hinc excitare potis ſunt.

Highmorus, qui jam antea de hac re diſſeruit huic theoriæ minus quieſcebat, diſſertatione enim an. 1670. impreſſa, de qua ſequenti articulo locuturi erimus, ſententiam oppugnare tentavit; huic tamen diſſertationi VVillis ipſe reſpondit eodem anno ſubſequenti labore.

Affe-

Affectionum hyſtericarum, & hypocondriacarum Pathologia ſpaſmodica vindicata contra Reſponſionem epiſtolarum Nathanaelis Highmori. M. D. Londini, 1670. *in 8.*

Sequenti articulo diſcrepantiæ eventus innoteſcet.

NATHANAEL HIGHMORUS Oxonienſis edidit Oxonii anno 1660. opuſculum in 12. ſub titulo. A. C. N. Ann. 1679.

Exercitationes duæ, quarum prior de Paſſione Hyſterica, altera de Affectione Hypochondriaca.

Quæ ipſum excitarunt, ut VVilliſii ſententias refutaret circa hujuſmodi morbum, & ſequentem laborem anno 1667. exararet.

De Paſſione Hyſterica & Affectione Hypochondtiaca, Reſponſio epiſtolaris ad D. VVilliſium. Londini, 1670. *in 4.*

In hac diſſertatione Highmorus VVilliſio adverſatur, quia in ſua Pathologia circa cauſas affectionis hyſtericæ, & hypochondriacæ multa erronea dixiſſe autumavit; juxta VVilliſii enim ſententiam horum morborum cauſa in cerebro erat, qui ſuppeditat; & in nervis, qui deferunt animales ſpiritus heterogeneis particulis imbutos, ut convulſivas commotiones morbis iis obvias valeant excitare: contra hanc hypotheſim Highmorus epiſtolam ſuper allatam publici juris fecit, in qua oſtendit, hujuſmodi morbos a ſubtiliori elaſtico, & facile dilatabili ſanguine oriri, qui pulmones & cordis ventriculos infarciendo ſuffocationes, & oppreſſiones excitat; eorum morborum potiſſima ſymptomata, quæſtionem parvi puto, cum a cauſa procul diverſa has ægritudines originem ducere autumem.

MARIA MEURDRAC. A. C. N. Ann. 1676.

Mitleidende und leichte Chimie *vor das Fravenzbeitens, aus dem Franztœſiſchen ins Teatſche uberſezt von* I. L. M. C. Franckfurt, 1676. *in* 12.

Videlicet, Chimiæ *Synopſis luculenta pro matronis, earumque morbis; ex Gallic. Latine verſa, par* I. L. M. C. Francofurti 1676. *in* 12.

Titulum hujus libelli tantum novi, ut etiam ceterorum librorum Alemanno idiomate conſcriptorum, de quibus infra mentionem faciam, quare de iis pauca dicere potero.

HENRICUS CELLARIUS. A. C. N. Ann. 1671.

Vermeinte Matter-Beſchvvehrung. Halberſtad. 1677. *in* 12.

Videlicet, *Putatum uteri ulcus.* Halberſtad. 1677. *in* 12.

PAULUS DE SORBAIT Hannovienſis Medicinæ incubuit Vindobonæ Auſtriæ 24. annorum curriculum; Archiater fuit Imperatricis Eleonoræ Gon- A. C. N. Ann. 1678.

Gonzagæ Viduæ Imperatoris Ferdinandi III.; novam (*a*) vitam iniit anno 1691.

Praxis Medica ſeptem Tractatibus comprehenſa. Viennæ Auſtriæ, 1680. *in fol.*

In priori Tractatu capita 86. reperiuntur, inter quæ XIII. poſteriora de Morbis Mulierum agunt.

A.C. N. Ann. 1680. PHILIPPUS GEORGIUS GRULINGIUS.

VVon VVeibera Kranrkeiten, Franckf. 1680. *in* 4.
Videlicer, *De Morbis Mulierum*. Francfort, 1680. *in* 4.

A.C. N. Ann. 1682. MICHAEL ETTMULLERUS Lipſienſis in patrio Licæo Doctor, & Profeſſor Medicus, vixit annos 39. natus 1644., defunctuſque an. 1683. Georgius Francus ejuſdem Univerſitatis Profeſſor, opera ejuſdem congeſſit, & edidit Francofurti in duplici volumine in fol. anno 1638. Petrus Chauvin Medicus Londinenſis, eadem impreſſit Lugduni an. 1690. In ea collectione opuſculum reperitur ſub titulo

Collegium practicum ſpeciale de Morbis Virorum, Mulierum, & Infantum.

quod Mulierum morbos reſpicit, X. Capita complectitur, quæ potiſſimum ad conceptionem, geſtationem, & partum attinent.

A.C. N. Ann. 1682. THOMAS SYDENHAMUS Comitatus Dorſeti in Anglia, natus ann. 1642. Cantabrigæ Doctor; moram geſſit Londini anno 1661. ibique Medicinam ſummo cum decore exercuit; æternam vitam ſumpſit an. 1686.

Inter ejuſdem opera pluries impreſſa diſſertatio quædam reperitur epiſtolæ moræ conſcripta, & Gullielmo Colæ Medicinæ Doctori dicata.

De Obſervationibus nuperis circa curationem variolarum confluentium, necnon de Affectione Hyſterica.

In poſteriori parte hujus diſſertationis 1. miſcet VVillis more affectionem hyſtericam mulierum cum hypochondriaca virorum, 2 autumat vero hypotheſim VVillis amplectendo, ambos hos morbos a ſpirituum animalium defectu oriri, quem *Ataxiam* vocat, cujus vocabuli neque indolem, neque cauſam explanat, ut *Ataxia* Peripateticorum qualitas occulta videatur 3. pro hyſtericæ paſſionis curatione valde commendat Martialia, aquas minerales ferrugineas, Quinquinam, Opium, vinum Hiſpanicum, aut vinoſum infuſum radicis Gentianæ, Angelicæ, corticum Aurantiarum, & *equitationem* potiſſimum, ſpernit magnopere purgantium uſum de cetero vulgaria anthyſterica commendat.

Quod mirum eſt, putat tumorem, hydropem, & ſteatomata ovariorum, aut hydatides, quæ in iis partibus efformantur & a morte, obſervantur conſecutiones potius eſſe humoris cujuſdam, qui illa organa infarciat, quam cauſas eorum morborum.

Quam-

(*a*) *In Catalogo Curioſorum Germaniæ præfixo Volumen, I. Ephemerid. Anni* 1727.

Quamvis hujuſmodi opus ſolidam theoriam minime præſeferat, tamen Auctoris fama ipſum pervolvere cogit.

JOANNES GARMER Medicus Hamburgenſis. A. C. N. Ann. 1684.

Diatriba ſeu controverſia cum Beckio de uteri procidentia, curis ſecundis auctior, Hamburgi. 1684. *in* 4.

JOANNES DOLEUS natus Geiſman in Haſſia, Medicus Landgravii Haſſiæ-Caſſel, & Academiæ Curioſorum ſocius, obiit anno 1722. juxta Catalogum ejuſdem Societatis, quem reperies initio primi Voluminis anno 1627., etiamſi Kalendæ deſunt. A. C. N. Ann. 1684.

Encyclopædia Medicinæ Theoretico-practicæ, quam tam veterum, quam recentiorum, Paracelſiſtarum nempe, Helmontianorum, Villiſianorum, Silvianorum, Carteſianorum, de cauſis & curationibus Morborum ſententiæ exhibentur. Addita ſimul Auctoris de his opinione. Una cum medicamentis Galenico-chymicis, ut plurimum ab ipſo Auctore experientia comprobatis, Francofurti, 1684. *in* 4.

Hujus encyclopædiæ liber V. decem capita præſefert, quæ de Morbis Mulierum agunt, ſynopſim præſtant plurimorum auctorum, & quod mirum eſt, eorum, qui invicem contrarias ſententias tenebant, videlicet Paracelſiſtarum, Helmontianorum, VVilliſianorum, Carteſianorum, & ſectatorum Silvii de la Boe.

Demum hujuſmodi tractatus id præcipui habet, quod undique ſcateat Hebraicis, & Græcis vocabulis, idcirco cerebrum *Microcoſmetor* appellarunt, cor *Cardimelec*, ſtomachum *Gaſteranax*, orificium matricis, *Spiritus plaſticus*, aut *janitor uteri*, quæ ſunt futiles eruditionis jactationes.

Tandem admiratione dignum eſt: opus latinis verſibus adornari in laudem Dolei partim a Michaele, & Ettmullero; partim a Michaele, & Sydenhamio exaratis.

NATHANAEL SPRYE. A. C. N. Ann. 1685.

Tractatus de Fluxu menſtruo. Patavii, *in* 8. 1685.

Hic conatus eſt explicare periodicum menſium regreſſum ſolo augmento copiæ, & motus ſanguinis; tamen oſtendit, uteri ſtructuram ſpongioſam eſſe, quod fovet ſtatim ſanguinis in matricis anfractibus, ex quibus tandem plures ſibi pandit vias, autumat ſimul ab hac hypotheſi omnes deduci poſſe catameniorum aberrationes.

GUALTIERUS CHARLETONUS, Medicus Londinenſis. A. C. N. Ann. 1686.

Inquiſitionos Medico-phyſicæ de cauſis Catameniorum, ſive fluxus menſtrui; & uteri rheumatiſmo ſive fluore albo. Londini, 1684. *in* 8.

JOAN-

A.C. N. Ann. 1691. JOANNES NICOLAUS PHISER

Von oler VVeiber Naturæ, vvie auch deren Gebrechen una Kranckeiten. Altdorf. 1691. *in* 8.
Videlicet, *De natura mulierum, earumque infirmitatibus, atque morbis*. Altdorf. 1691. *in* 8.

A.C. N. Ann. 1691. JOANNES GEORGIUS SOMMERS

VVeiberg Pfleg-Buchlein, anneƈtirt deren hebammen Schule. Rudelſtadt, 1691. *in* 12.
Videlicet, *Synopſis Morborum Mulierum, cui additur praxis artis obſtetriciæ*. Rudelſtad, 1691. *in* 12.

Ant. C.N. Anno 1694. FRANCISCUS MAURICEUS Pariſienſis Chirurgus, & obſtetricans magni nominis, qui obiit anno 1709.; de arte Obſtetricia nonnulla opera exaravit.

Traitè des maladies des femmes groſſes, & de colles, qui ſont accouchès. A Paris, 1694. *in* 4.

Poſtea duplicem Tractatum compoſuit ſub titulo *Obſervations ſur la groſſeſſe, & l'accouchement des femmes*, ambo Pariſiis in 4. alter anno 1694. alter anno 1708.

Ipſe nullum ordinem, nullamque methodum in iis conſcribendis obſervavit; & dum rationes reddere ſatagit infidelis experitur magiſter; at cum experientia non deficeret inter legendum nonnullas præſtat utiles notiones.

A.C. N. Ann. 1695. BERNARDUS CONNOR Anglus, ſive Irlandus (*a*) Monſpeſſulii Medicinæ incubuit circa annum 1690. ubi fortaſſis Doctoris gradum ſumpſerat; verum Pariſios ſe tranſtullit, ubi Regiæ Societati ipſum addiderunt, quare ſpecioſo titulo nuncupari conſueverat *e Regia Cameræ Pariſienſis Societate*; tunc fortuito animadvertendum (*b*) ſibi præbuit Sceleton humanum ex vertebris, coſtis, oſſi ſacro, innominatis &c. in unicum corpus coalitum; obſervavit pariter maximum (*c*) Sarcoma, quod omnem pene uteri cavitatem replebat, quod expulſit mulier quædam poſt receptum in hypogaſtrio pedis ictum. Verum in Italiam proficiſcens criptam *del Cane*, & Veſuvii eruptionem anni 1694. obſervavit, in patriam tandem redux diſsertationes congerit, quæ circa eas compoſuerat, quas unico volumine edidit ſub titulo ſequenti.

Diſſertationes Medico-Phyſicæ.
De Antris lethiferis.
De montis Veſuvii incendio.
De ſtupendo oſſium coalitu.
De immani Uteri Sarcomate. Oxonii, 1695.

Alte-

(*a*) *De antris lethiferis pag.* 19.
(*b*) *Diſſertat. de ſtupendo coalitu pag.* 4.
(*c*) *Diſſertat. De immani uteri ſarcomate pag.* 38. 39.

Alterum opus ejuſdem Auctoris ſupereſt ſub titulo *Evangelium Medici ſive Medicina Myſtica, De ſuſpenſis naturæ legibus, ſive de miraculis, reliquiſque ἐν τοῖς Βιβλίοις, memoratis, quæ medicæ indagini ſubjici poſſunt*. Londini 1697. *in* 8.

PHILIPPUS FRAVENDORFFER natus (*a*) in Auſtria ſuperiori Medicus provincialis Moraviæ, Brini reſidebat, & Academiæ Curioſorum ſocius creatus, obiit (*b*) anno 1697. A.C. N. Ann. 1696.

De morbis mulierum. Norimbergæ 1696. *in* 12.

CHRISTOPHORUS HELVVIGS A.C. N. Ann. 1700.

Fravenſimmer Apothecegn. Leipſig. 1700. *in* 12.
Videlicet, *exigua Pharmacia muliebris*. Lipſiæ, 1700. *in* 4.

CHRISTIANUS-JOANNES LANGIUS Pegavenſis Saxo natus anno 1655. Doctor & Profeſsor medicinæ in facultate Lipſienſi: interiit anno 1701.: ejuſdem opera collegerunt, & publicarunt Lipſiæ anno 1704. in duplici volumine in *fol.* cura Auguſti Quirini, Profeſsoris Pathologiæ & Botanicæ in eadem Facultate; A.C. N. Ann. 1700.

Hujuſmodi collectio extat ſub titulo ſequenti

Chriſtiani Johannis Langi . . . . Opera omnia medica theorethico-practica.

In ea Tractatus invenitur ſub titulo *Praxis medica Langiana* in quo Auctor in XXIV. Capitulo pertractat *de morbis ſequiori ſexui tantum familiaribus*; quindecim in eo exiguos Paragraphos affert qui brevitatis ergo inutiles evadunt.

Huic collectioni theſes academicas addiderunt ejuſdem auctoris, quæ tertiam partem opus conſtituunt; nonnullæ de *ſterilitate, menſium ſuppreſſione*; *virginum morbis, & geſtatione fuſius agunt*.

JOANNES FREIND Medicus Londinenſis & Regiæ ſcientiarum Academiæ ſocius, qui obiit an. 1729. plures libros compoſuit, quibus fama inclaruit, hic tamen de ſequenti tantum verba faciemus. A.C. N. Ann. 1703.

Emmenologia, in qua fluxus muliebris, menſtrui phœnomena periodi, vitia cum medendi methodo ad rationes mechanicas exiguntur. Oxoniæ, 1703. *in* 4.

Ipſe pro catameniorum cauſa plethoram ſanguinis agnovit, qui ſingulis menſibus in utero cumulatur, & ſpecialis magnitudo arteriarum per uterum reptantium, eamque ſufficere autumant, ut catamenia periodice eveniant.

JOANNES DOMINICUS SANTORINUS Profeſsor Medicinæ, & Anotomiæ Venetiis. A.C. N. Ann. 1705.

Ope-

(*a*) In catalogo præfixo *Volum. I. Actorum Acad. Natur. Curioſ.* (*b*) Ibid.

Opuſcula Medica de ſtructura, & motu fibræ; De nutritione animali; De hæmorrhoidibus. De Catameniis. Venetiis, 1705. *in* 8.

De poſtrema tantum earum diſſertationum hic verba faciemus; Auctor poſtquam animadvertit §. I. haud facile eſſe catamenia explicare, oſtendit a triplici cauſa §. VII. illa oriri, a plethora vera aut apparenti, a ſpeciali uteri, & vaginæ diſtributione vaſorum, a ſpermatis actione in omni ſpirituum ſyſtemate *per totam ſpirituum ſyſtaſim*, quam poſtremam cauſam minus laudat auctor Gallus.

Hujuſmodi opus Roterodami recuſum fuit anno 1719. *in* 8.

A. C. N. Ann. 1708. HERMANUS BOERRHAVIUS Viennenſis Batavus Medicinæ Profeſſor in Univerſitate Lugduni, & ſocius Academiarum ſcientiarum, & Londinenſis, magni nominis vir, & ſcriptis major obiit anno 1708.

Aphoriſmi de cognoſcendis & curandis morbis. Lugduni Batavorum, 1708. *in* 8.

Hujuſmodi opus brevis eſt medicinæ ſynopſis, quæ nonnullas tantum ægritudines oſtendit, at Boerrhaviana ſynopſis ſemper maxima erit; IV. capita de Morbis Mulierum agunt ſub titulo ſequenti, *Morbi Virginum, morbi gravidarum, Partus difficilis, morbi Purpureii*; quæ Boerrhavius aphoriſtice indicat, fuſius tamen diſcipulis ſuis, explicabat.

A. C. N. Ann. 1708. JOANNES GABRIEL RUDOLPHUS.

De iis, quæ ſunt obſervanda in mulieribus largiter menſtruatis. Lugduni Batavorum *in* 8. 1708.

A. C. N. Ann. 1712. PETRUS FRESART Leodienſis Auctor ſequentis Tractatus.

Emmenologia, in qua fluxus muliebris menſtrui phœnomena, periodi, vitia, cum medendi methodo ad rationes Medico-Phyſicas exiguntur. Leodii, *in* 12. 1712.

Auctor cauſam perpendit menſtruationis, verum menſium aberrationem explicat, & quaſi totidem morbos conſtituit, adverſus quos remedia magis idonea ſuppeditat.

Juxta ejuſdem ſententiam menſes gignit fermentum quoddam uteri in matrice collectum, quod ſingulis menſibus rarefaciendo eruptionem provocat, credo auctorem hypotheſim didiciſſe Monſpelii. ubi Medicinæ incubuit ſub D. Chirac diſciplina, quod idem docebat, omne ſummis laudibus extollit. (*a*)

C. A. N: Ann. 1715. ANONYMUS.

Nouveaux ſecretes ... pour guèrir pluſieurs ſortes de Maladies des Dames, tirez *des Mèmoires de M. Digby.* 1715. *in* 8.

Titu-

(*a*) *Pag.* 81. & 242.

Titulus ſatis indicat opus parvi faciendum eſſe

JOANNES ANTONIUS TERENZONI Profeſſor Medicinæ Piſanus. A. C. N. Ann. 1715.

De Morbis uteri. Lucæ, 1715. *in* 4.

JOANNES GOLDHAMMERS A. C. N. Ann. 1717.

Compendioſer Weiber und Kinder Arzt. Muhlhauſen, 1717. *in* 12.

Videlicet, *Medicina contracta Mulierum, & infantum.* Muhlhauſen. 1717. *in* 12.

GASPAR SCROTERS A. C. N. Ann. 1721.

Junyfern. Weiberg und Kinder Apotheckgen. Franckf. 1721. *in* 8.

Videlicet, *Exigua Pharmacopea filiarum, mulierum, & infantum.* Francofurt, 1721. *in* 8.

HENRICUS VAN SANDEN A. C. N. Ann. 1722.

Obſervatio de prolapſu uteri univerſi. Regiomonti. *in* 4. 1722.

GEORGIUS-ERNESTUS STAHL de Halla natus an. 1660. Conſiliarius Aulicus, & Medicus primarius Friderici Regis Boruſſiæ, Academiæ Curioſorum ſocius, & Profeſſor Medicinæ in Univerſitate quæ Hallæ eſt obiit anno 1734. 75. ætatis ſuæ. (*a*) A. C. N. Ann. 1724.

Theſes nonnullas ejuſdem auctoris reperi quæ de morbis Mulierum pertractant, quas auctoris nomen me indicare cogit, etiamſi nullam referre putarem

Diſſertatio inauguralis Medica, De menſium Mulierum fluxu ſecundum naturam, & ſuppreſſionem præter naturam.

Reſpondente *Joh. Georgio Brebiſs, Curi-Variſco.* Hallæ Magdeburgicæ, 1694. *in* 4.

Stahlius pariter Germanico idiomate ſequentem tractatum edidit,

Propempticum inaugurale, De fluxus muliebris, quatenus menſtrui cauſa, *Hallæ Magdeburgicæ*, *in* 4. 1702.

Diſputatio inauguralis Medica, De menſium inſolitis viis. Reſpondente *Georg. Frider. Jaſebctke, Stroppa Sileſio.* Hallæ, 1702. *in* 4.

Diſſertatio Medica inauguralis, de Puerperarum affectibus.

(*a*) *In Catalogo Academicor. defunctor. præfixo Volumini IV. Ephemerid. Germanicar.*

Reſpondente Joachim-Coler, Pritz vvalcenſ-Marchico. Hallæ 1704. *in* 4.

Diſſertatio Medica inauguralis, De affectibus gravidarum. *Reſp. David Dittiman, Vilna-Lithunico*. Hallæ, *in* 4. 1708.

Diſſertatio innuguralis Medica, De ſterilitate feminarum. *Reſp. Gottfried VVilhelmi, Huvelb-Marchico*. Hallæ, 1711. *in* 4.

Stahlius pariter Germanico idiomate ſequentem tractatum edidit.

Von den Zuffalen und Kranckheiteu des Fravenzimmers. Lipſiæ, 1724. *in* 8.
Videlicet, *De phœnomenis, & morbis mulierum*, Lipſiæ, 1724. *in* 8.

.... LE TELLIER filius.

Reflexione critiques ſur l'Emmenologie de M. Freind. Pariſiis, 1730. *in* 8.

Ecce vobis quot extant emmenologiæ tractatus; at animadvertendum eſt menſtruorum explicationem includere explanationem morborum omnium ad mulieres pertinentium, ut incaſſum conemur iis mederi quando cauſa catameniorum non eluceſcat, quæ in omni menſium aberratione uteri ſtatum potiſſimum manifeſtare ſolet.

A.C. N. Ann. 1752. ANTONIUS CÆLESTINUS COCCHIUS in Urbe Botanice Profeſſor.

De immani hyſterico affectu, inter *Epiſtolas Phyſico-Medicas*, Pariſiis, 1732. *in* 4.

A.C. N. Ann. 1734. JOANNES AUGUSTUS OEHEMENS.

Efronete Geheimuſſe der natur und iur eines Malader Fravezimmers. Leipſig, 1734: *iu* 4.
Videlicet, *Naturæ arcanum ægram pertractando detectum*. Lipſiæ, 1734. *in* 4.

A.C. N. Ann. 1735. GEORGIUS PHILIPPUS NENTER Medicus Argentinus.

Fundamenta Medicinæ theoretico practica, ſecundum celeberrimi D. D. Stahlii potiſſimum, aliorumque celebriorum Medicorum placita conſcripta, & propria experientia confirmata, in forma Tabularum. Venetiis, *in fol.* 1735.

In ea parte hujus operis, quæ ſub titulo extat *Praxis ſpecialis* in VIII. libros diſtincta, duplex locus reperitur, ubi auctor de morbis Mulierum agit. 1. In priori libro ad Caput VIII., IX., X., & XI. verba fiunt menſtruorum, lochiorum, eorumque aberrationum, 2. in libro VII. vero quinque ſectiones habentur, quæ pertractant *De Morbis impregnandarum*. *De affectibus impregnatarum*. *De affectibus parturientium*. *De affectibus puerperarum*

rarum. De lactantium affectibus. At hujuſmodi methodus per claſſes ſive tabulas morbos pertractandi laborem valde ſuperficialem reddit, qui vix neceſſarias notiones lambit.

FRIDERICUS HOFFMANUS natus Hallæ circa Magdburgum anno 1666. Medicinæ ſtuduit in Univerſitate Jenæ, ubi gradu Doctoris ſumpto anno 1681. Profeſſor inde Medicinæ creatus fuit anno 1691. in ea Univerſitate, quam Hallæ inſtituit eodem anno Fridericus III. Elector Brandemburgi, & I. Rex Boruſſiæ, quod onus ſummo cum decore implevit ad mortem uſque, quæ anno 1742. evenit. A.C.N. Ann. 1740.

Fratres de *Tournes* Typographi Genevenſes completam Hoffmani operum editionem confici curarunt; cum partim Francofurti, Venetiis, & alibi impreſſa fuerint: ad Hoffmanum enim litteras miſerunt, qui ſumptum laudavit, pluresque Tractatus ipſis ſubminiſtravit, quos huic primæ collectioni ab Hoffmano ipſo comprobatæ an. 1740. inſeruerunt, tria grandiora volumina in *fol.* ipſa collectio conſtituebat in VI. Tomos diviſam, quam ipſi *Tournes* recuſerunt anno 1748.

Ea codicem quam maximum conſtituit inſtitutionum medicarum, attamen incompletum, qui poſt auctoris mortem valde increbuit, tria enim volumina anno 1754. addiderunt ex Theſibus Academicis, conſultationibus, & miſcellaneis congeſta, quas veroſimiliter ſua prima juventute Hoffmanus collegerit, at ineunte ætate ipſe reſpuerat, ſed editores in iis peragendis magis Typographiæ utilitati, quam auctoris nomini conſuluerunt.

Certum enim eſt utiliſſimas in Hoffmani ſcriptis notiones reperiri; ſecus enim ad ſummum nominis columen non attigiſſet, at fateri oportet, ejuſdem ſtylum laxum, perlongum nimis experiri, & obvia ſæpe narrare, crambem etiam recoquere in ipſis operibus, quæ ipſius auctoritate fulciuntur; nam ejuſdem poſthumi labores magis defectivi evadunt.

Nihilo tamen minus Hoffmanus inter præſtantiores Medicinæ auctores recenſeri meretur, verum ſi cum Græcis Auctoribus ipſum comparemus, non Hippocratem, ſed Galenum potius æmulatur.

Ipſe hinc inde de morbis mulierum in ſua ampla congeſtione diſſeruit; at cum morborum diſtributio ſpecialis auctoris ſit, idcirco hac illac de hac re notiones piſcari neceſſum erit.

Etenin I. in *Tom. IV.* tres centuriæ conſultationum inveniuntur, inter quas plures de mulieribus, & remediis in iis circumſtantiis idoneis agunt, ſpecialibus tamen hypotheſibus referuntur; non generaliori theſi, quæ caſus omnes complectatur.

II. In Tom. III. Hoffmanus locutus eſt *pag. 50. De Malo Hyſterico. Pag. 176. De convulſione uteri, ſive abortu. Pag. 311. De cachexia, & chloroſi. Pag. 348. De cachexia uterina ſive fluore albo*, quæ dogmatice oſtendit.

III. Tandem in ſecundo ſupplemento Part. II. pag. 389. Theſis Academica reperitur, *De Genuina chloroſis indole, origine, & curatione.*

Minime ſatagerem ea exponere, quæ in pleriſque articulis Hoffmanus circa hanc rem oſtendit, cum nihil novi aut ſingularis præſeferat; ſat erit animadvertere ipſum reſpuere opiniones Highmorri, Silvii, & Sydenhamii, qui morbi ſedem in ſtomacho, pancreate, meſenterio, aut vena portarum conſtituebant, tum Piſonis ſententiam, qui in cerebro, aut nervorum origine ipſam ponebat. Hoffmanus enim cum veteribus in utero morbi cauſam adeſſe putat, eamque triplici occaſione oriri a menſibus retardatis, lochiis ſuppreſſis, aut ſpermatis acrimonia, at pro muliebri ſemine niſi ovula recognovit, quibus cogitur corruptionem explicare eorum ovu-

 lorum

lorum in hyſterico morbo; tandem autumat deleteriæ indolis vapores ab utero elevari, qui per omnem corporis ambitum diſtribuuntur, & omnia teterrima phœnomena producunt.

A.C.N. Ann. 1743. J. R. --n Londinenſis, Medicinæ Doctor.

A Treatiſe on all the Diſeaſes incident to VVomen, by John Aſtruc, Phyſician to his preſent Majeſty, &c. and Author of a Treatiſe on the Venereal Diſeaſes, translated from manuſcript copy of the Author's Lectures read at Paris. London. *in* 8. 1743.

De hoc Tractatu in Præfatione hujus operis jam mentionem fecimus.

Ant. C.N. Anno 1751. RICHARDUS MEADIUS natus an. 1673. Stephey prope Londinum, poſtquam Ultrajecti, & Lugduni Batavorum Medicinæ conſuluit, in Italiam profectus eſt, ubi Patavii Doctoris gradum ſumpſit; in Patriam vero redux ſumma cum laude Medicinam exercuit; tandem obiit anno 1754.

Meadius varia opuſcula exaravit a Medica Republica lubenter accepta, quæ tamen etiamſi plurimi facienda videantur, minime tamen rem noſtram reſpiciunt, idcirco poſtremum ejuſdem opus tantum indicabimus, videlicet.

Monita & præcepta Medica. Londini, 1751. *in* 8.

Hujuſmodi tractatus magnopere inſtruit, & XXI. Capita tantum complectitur, eorum tamen XIX. de nonnullis Mulierum morbis agit in quinque *Sectiones* diſtinctum.

I. *De menſtruorum ſuppreſſione,*
II. *De immodico menſium fluxu,*
III. *De fluoribus albis mulierum,*
IV. *De morbo hyſterico,*
V. *De partu difficili.*

De ſingulis nonnulla monita practica ſuppeditat citra theorias, breviterque remedia magis tuta indicat, idcirco teſtatur elleborum nigrum validiſſimum evaſiſſe ad menſtrua provocanda, verum bis in die proponit cochlear tincturæ *Melampodii* juxta pharmacopeam Londinenſem paratæ, & in ciatho aquæ propinatæ.

A.C.N. Ann. 1753. JACOBUS LAZERME Doctor, & Profeſſor Facultatis Medicæ Monſpelienſis, qui paullo antea occubuit, edidit Monſpelii anno 1751. ſpecimen Medicinæ ſub titulo.

Curationes Morborum ex ſcriptis Jacobi Lazermis Regis Conſiliarii; & Profeſſoris Medici Monſpelienſis excerptæ. Monſpelii, 1750. *in* 12. *Tom. I. pag.* 357. *Tom. II. pag.* 303.

Opus hujuſmodi tradiderunt paullo poſt, & excuſerunt Pariſiis in duplici volumine ſub titulo ſequenti.

Me-

Methode pour guèrir les Maladies, traduit du Latin de M. Lazerme. Paris, 1753. *in* 12.

Ægritudines arctiſſimo ordine in hoc tractatu pertractantur, nam ipſe omnes morbos complecti maluit præter celticam luem, & podagram; in eo futilis tantum invenitur formularum vulgarium congeries, abſque ulla theoria, quæ morborum ſedem, aut cauſam indicet, vel differentia, quæ ſpecies deſignet, aut ſymptomatum concomitantium diſcretione, aut ſignis denique, quæ prognoſim recte doceant, atque indicationes ſtatuant.

Hujuſmodi defectus præſertim animadvertuntur in tractatu de Morbis Mulierum, in quo deeſt tum menſtrationis; cum periodorum explicatio; verum de menſibus nimiis, ac ſuppreſſis in illo verba fiunt abſque eo quod pateſcat cauſa fluxus methodici; deinde formulas auctor oſtendit adverſus chloroſim difficillimum morbum, ſilet tamen cauſam, quæ illum producat: ipſe autumat uteri deſcenſum a laxitudine ligamentorum procedere, quod falſum eſſe ſupra demonſtravimus, tandem rationem reddere ſatagit, qua pertractari debeant hujuſmodi morbi, tamen nullam vel uteri, vel ejuſdem functionum deſcriptionem exhibet.

Si hac ratione tyrones inſtruerentur, Medicina cito ad Empiricam reverteretur, ut in ſecunda Epocha eveniſſe oſtenditur; igitur tali pacto Gordonus, Valeſcus de Taranta, Gerardus de Solo Medicinam Monſpelii docebant.

Uno verbo Medicinæ Elenchos reſpuere debemus, qui doctis inutiles, tyronibus nocui evadunt; hujuſmodi enim pervolvendo libellos aliquid addidiciſſe ſibi ſuadent, etiamſi revera nihilum prorſus adepti ſint; excipiantur ab hac cenſura excerpta concinno ordine elaborata, qua una celebriores quæſtiones congerunt, & totidem ſumma capita conſtituunt fuſius a præceptoribus explicanda; hujus indolis ſunt Aphoriſmi Boerrhavii *de cognoſcendis & curandis Morbis*, tum ejuſdem Phyſiologia.

Damnando Elenchos, tamen non laudo ea medicinæ farcimina, in quibus pauca utilia, & neceſſaria inter multa exotica, & futilia natant; hujuſmodi errores alibi ſatis pluries contempſi, atqui medium tenent, eruditi nempe medici, ſumma laude digni videntur. *Eſt modus in rebus &c.*

GERARDUS FITZ-GERALD origine Irlandus, Doctor, & Profeſſor Medicus in facultate Monſpeſſulana, qui interiit anno 1748. A.C. N. Ann. 1748.

Ejuſdem poſt obitum pertractationem de Morbis Mulierum ſequenti titulo inſignitam ediderunt.

Traitè des malades des femmes, traduit du latin de M. Fitz-Gerald, Profeſſeur de Mèdecine en l'Univerſitè de Montpellier, a Paris (*a Avignon*) *in* 12, 1758.

Me latet indoles hujus operis, neve revera verſus ſit ut titulo deſignat; in duas ſectiones tractatus dividitur, altera *des Maladies chroniques des Femmes*, quæ VIII. Capita complectitur, altera *des Maladies aigues des Femmes*, quæ totidem exhibet.

In hoc opere fuſius nonnihil, quam in præcedenti de his morbis agitur, at eadem principia, eamdemque praxim Auctor proſecutus eſt: fateret enim Medicinam centum ab hinc annis parum profeciſſe cum hujuſmodi opuſcula Monſpelii anno 1750. perlecta ſint: quæ nihil iis præcellent, quæ Riverius in eadem Facultate anno 1640. præcepit.

CONCLUSIO.

SAtis oſtendit adhuc expoſita brevis Medicinæ hiſtoria, hujus ſcientiæ fulcimenta continenter ſimilia fuiſſe, videlicet cognoſcere, & diſtinguere morborum ſpecies; certas aut veriſimiles cauſas eorum ſancire; indicationes proponere, quibus mederi oportuerit; tandem mitiora, & magis idonea ſeligere remedia, quæ objectum medicinæ conſtanter conſtituunt.

Nemo tamen negabit noſtris temporibus partium ſtructuram melius detexiſſe Anatomicos, ſedem & cauſam ſingulorum morborum melius determinaſſe, imo pleraſque immediatas inveniſſe, ut hac de cauſa novis inventis adornata magis Phyſica eluceret; theoria vero certior, tutiorque fieret; rationes innoteſcerent plurimorum phœnomenorum prius latitantium; attamen quoad praxim ſpectat parum ipſa progreſſa eſt, una conſtanter perſiſtit.

Nonnulli contenderint nova remedia inventa fuiſſe, atque nova in diem innoteſcere, verum novas proprietates in obviis detectas fuiſſe, ut vires ſunt antinecrotica & antiſpamodica in Quinquina. At hujuſmodi quæſtio etiamſi praxim reſpiciat, parvi penditur.

Eorum enim pleraque, quorum ad aſtra virtutes extollunt, a vanitate haud infrequenter, aut mercimonio medici cujuſdam originem recognoſcunt, vel argytarum audaciæ, aut inopinatæ magnæ perſonæ valetudini, vel Meſſalinæ patrocinio, aut ſolæ novitati tantum tribuuntur; primum ſane jactantur hujuſmodi remedia, at illuſione abeunte inventoris, dedecus tantum ſupereſt.

Si nonnulla tamen valida reperiantur auxilia qualia ſunt Quinquina, & Ipecacuanha pluribus experimentis fulcita, libenter illa amplectimur, & inter ſalubriores pharmacos reponimus; hujuſmodi pariter ſunt novæ medendi rationes, vel novi quos ſternimus ſtramites, ut tutius ſancitas jam, & vulgares impleamus indicationes; neque ex eo medicinam pervagam eſſe cenſebimus, ſed dum ſua ſervat veterrima præcepta novis frui non reſpuere auxiliis.

Mihi itaque cogitatum explicare liceat exemplum ab aliqua phyſicæ parte deſumendo; arborum enim fructiferarum cultura, non exiguam rei agrariæ partem conſtituit; olim jam innoteſcebat circa plantas, terram ſcindere neceſſum eſſe, eamque emollire atque idoneo impinguare ſedimento, a nocuis ipſas tueri inſectis, tum ab aeris intemperie defendere, ramos ſteriles ſecare, ut fructicoſi magis ingrandeſcerent.

Quid proinde utilitatis attulerunt circa rem ruſticam nuperrima inventa? indagarunt ſtructuram fibrarum lignearum, tracheas ipſis remixtas, humorum circulationem; medullæ, atque corticis uſus, verum inſectorum naturam, quæ arbores rodunt, fructuſque corrumpunt; his ſane vegetationem plantarum declararunt, at nihil culturam, quod maxime intereſt, immutare valuerunt.

At longius procedamus, pinguedines, aut fimi reperti ſunt idonei magis, & utiles; inſectorum venena derexerunt; ſpurios ramos a fructicoſis facilius diſtinguere docuerunt; hæc omnia cultorem dirigunt, ut propoſitas indicationes facilius impleat, at nihil hujuſmodi notiones veteres culturæ leges pervertunt.

Idem de arte noſtra ſolet evenire, nam modo quæſtiones ſcindamus, quæ cum Medicinæ eſſentia nullam rationem habent, apparebit hujuſmodi artis fundamenta eadem conſtanter fuiſſe.

Pli-

Plinius enim ſi melius perſcrutatus eſſet minime judicaviſſet medicinam ceteris artibus inconſtantiorem eſſe : ait ille , *nullam artium inconſtantiorem eſſe (a)*. Tunc temporis cum Medicorum variationes quarum teterrima ipſe affert exempla a voluntate procedebant qua corripiebantur Medici, ut novis rebus famam potius abriperent , quam ægris nocuit remediis ſanitatem lædere abſtinerent, (*b*) *nec dubium*, aſſerit , *omnes iſtos famam novitate aliqua aucupantes, animas ſtatim noſtras negotiari*, at id Medicis potius, quam Medicinæ erat tribuendum ; nam , (*c*) *non eſſe artis iſta , ſed hominum* Plinius teſtatur.

Plinii enim redargutiones agyrtas potius reſpiciebant, qui turpi ratione ſubdolis auſpiciis, aut mercimonio Romæ ægris illudere tentabant , ſimili ratione, ut Pariſiis nova remedia ſed futilia, & nocua plerumque defendere conati ſunt; hujus ſenſus enim Medicos Plinius merito aſpernatur , qui noſtras vitas proſtrant, (*d*) *animas noſtras negotiari*.

(*a*) Hiſtor. Natural. *Lib. XXIX. §. I. edit. II. Harduin.*
(*b*) Ibid. §. *VI. pag.* 497.
(*c*) Ibid. §. *V. pag.* 495.
(*d*) Ibid. §. *VII. pag.* 497.

FINIS TOTIUS OPERIS.

INDEX

ALPHABETICUS AUCTORUM

Qui ſpeciales Tractatus de Morbis Mulierum ediderunt, vel de iis Morbis in inſtitutionibus mentionem fecerunt.

A

AEtius quando inter vivos erat. pag. 304.; Ejuſdem Tractatus de morbis Mulierum primus eſt qui pervolvi mereatur. ib.

Akakia (Martinus) Profeſſor Collegii Regis anno 1574. compoſuit opuſculum de morbis Mulierum poſt ejuſdem obitum in collectione Spachii impreſſum. 327

Albucaſis Medicus Mahumetanus) Aboulcaſem). 312,; agebat de morbis Mulierum qui Chirurgiam poſtulant. ib.

Alexander Benedictus Veronenſis Medicus ſæculi XVI. Græcorum doctrina valde inſtructus. 316.; egit de omnibus Mulierum morbis, excepto furore uterino. 317

Anonymus. 351

Areteus Cappadox; cum vixerit, ejus ſtylus. 302.; primus obſervationem oſtendit hydropis cum hydatidibus. 303.; quales perſcrutatus ſit Mulierum morbos. ib.

Aſclepiades Medicus, & amicus Ciceronis, de ulceribus uteri mentionem fecit. 300

Avenzoar Medicus Arabus religione Judæus, quid de morbis Mulierum ſcripſerit. 322

Averroes Medicus Arabus ſæculi XII. arcte locutus eſt de Mulierum morbis. 313

Avicenna Medicus Mahumetanus ſæculi X. ejuſdem opera. 310.; ipſum difficillime perſcrutamur. ib.

B

Ballonius Gullielmus Doctor Pariſienſis auctor Tractatus de morbis Virginum, & mulierum juxta doctrinam Hippocratis. 331.; valde prolixus, & inconcinne digeſtus. 332

Bayro (Petrus de) Pedemontanus nonnulla de morbis Mulierum affert. 324

Bertrucius (Nicolaus) Medicus Italus ſæculi XII., de nonnullis Mulierum morbis egit. 313

Boerrhavius (Hermanus) Profeſſor Lugduno-Batavus, ejuſdem Aphoriſmorum judicium circa morbos Mulierum. 352

Bon (Joannes le) Medicus Regius, & Cardinalis de Guiſa, Auctor Tractatus ſpecialis de morbis Mulierum, cujus plures editiones exſtant. 326

Bonacciolus (Ludovicus) Medicus Florentinus ſæculi XVI. duplicem tractatum digeſſit de morbis Mulierum. 321

Bottonus (Albertinus) Profeſſor Patavinus Auctor ſpecialis Tractatus circa Mulierum morbos. 328

C

Campolongus (Æmilius) Profeſſor Patavinus egit de morbis uteri. 322

Capivaccius (Hieronymus) Profeſſor Patavinus ſæculi XVI. 329. Auctor de morbis Mulierum. ib.

Cellarius (Henricus) ſcripſit de ſuppoſita exulceratione matricis. 347

Celſus Medicus Romanus ſub Imperio Tiberii. 301.; cenſura ejuſdem operis de morbis mulierum pertractantis. ib.

Cer-

Cermeſonus (Antonius) Profeſſor Patavinus ſæculi XV. 326. ; ejuſdem conſilia circa morbos Mulierum. 326
Ceſalpinus (Andreas) exacte deſcripſit circulationem ſanguinis ante Harveum. ib.
Charleton (Gualtierus) Medicus Londinenſis ſcripſit de uteri effluviis. 349
Cleopatræ Ægyptii Reginæ tribuunt Tractatum de Mulierum morbis. 305
Cocchi (Antonius Cæleſtinus) Romæ Botanicæ Profeſſor de hyſterico morbo locutus eſt. ib.
Columbus (Realdus) Anatomiæ Profeſſor Patavinus, verum Piſanus, Romæ medicinam exercuit, docuitque ſanguinis circulationem ante Harveum. ib.
Connor (Bernardus) Medicus Anglus, aut Irlandus Pariſiis moram geſſit. 350.; in ſuis operibus deſcripſit Sarcoma uteri, quod conſecutus eſt hypogaſtri ictum. ib.
Conſtantinus Medicus ſæculi XI. libellum ſcripſit de morbis Mulierum, & matricis, qui tres paginas æquat. 311
Corbeus (Hermanus) ejuſdem Tractatus de morbis Mulierum. 333
Cordeus (Mauritius) Doctor, & Medicus Facultatis Pariſienſis primus interpres Libri de morbis Mulierum Hippocratis. 328.; oſtendit obſervationem hydropis hydatidicæ uteri. ib.

D

De la Boe (Franciſcus) *Silvius* Medicus Lugduno-Batavus de morbis Mulierum egit. 346., ejuſdem opera poſt obitum obſoleverunt. ib.
De la Boe (Jacobus *Silvius*) compoſuit opus de Catameniis, & generatione. 313
Deodatus (Claudius) obſervationem præſtitit valde utilem circa uteri ſarcoma. 335
Digby arcana remedia adverſus plures Mulierum morbos, futilia tamen exhibuit. 352
Doleus (Joannes) Medicus Landgravii Haſſiæ. 349.; Auctor Encyclopædiæ Medicæ, ubi pertractat de morbis Mulierum, opus tamen parvi duco. ib.
Doringius (Michael) Medicus Uratiſlavienſis; ejuſdem epiſtola de uteri hernia, & operatione Cæſariana, quam perperam tentavit in relato caſu. 335
Dunus (Thaddæus) Locarnenſis collectionem publicavit remediorum contra Mulierum morbos, quæ a veteribus deprompſit. 325

E

Ettmullerus (Michael) Profeſſor Lipſienſis. 348.; egit de conceptione, geſtatione, & partu: obiit ann. 1683. ætatis ſuæ 39. ib.

F

Fabricius (Gullielmus) *Hillanus* Chirurgiæ celeberrimus Profeſſor ſex centurias obſervationum digeſſit, quarum nonnullæ utiliter reſpiciunt partum, abortum, fœtum mortuum, ceteroſque præcipuos uteri morbos. 335
Fabricius (Hieronymus) *ab aqua-pendente*, Profeſſor Anatomiæ in Patavino Lycæo, invenit an. 1574. valvulas venarum. ib.
Fernelius (Joannes) primus Medicus Henrici II. 323.; tria capita ejuſdem operis morbos muliebres reſpiciunt. ib. ipſe deceptus eſt, cum bullam hyſtericam, quam per imum ventrem natare ægræ perſentiunt, pro utero habuiſſet. 324
Fitz-Gerald. (Gerardus) Profeſſor Monſpeſſulanus obiit an. 1748. poſtquam inconcinne de morbis Mulierum ſcripſiſſet. 357
Fontanus (Nicolaus) Medicus Amſtelodamenſis auctor tractatus Mulierum. 336
Fontanonus (Dionyſius Profeſſor Monſpelienſis locutus eſt de morbis Mulierum. 322
Foreſtus (Petrus) in Lugduno-Batava Univerſitate primus Profeſſor circa recenſitos morbos utiles obſervationes exhibuit. 330

Fra-

Fravendorfius (Philippus) Medicus Alemannus tractatus edidit de morbis Mulierum. 351
Freind (Joannes) celebris Medicus Anglus. 351.; ejuſdem ſyſtema circa cauſam menſtruationis. ib.
Freſart (Petrus) Medicus Leodienſis auctor emmenologiæ: hujus operis judicium. 352
Fuchſius (Leonardus) Medicus Bavarus, Ingolſtadii Profeſſor, quid ſcripſerit circa Mulierum morbos. 322

G

Galleatius de S. Sophia Medicus Patavinus ſæculi XV. celebris interpres operum Rhazis. 316
Galenus doctus Medicus, qua ætate floruit. 301.; ejuſdem ſtylus, character, & operum judicium. 302.: *ex Profeſſo* de morbis Mulierum minime egit. ib.
Garmer (Joannes) Diatriba de uteri procidentia. 349
Gatinaria (Marcus) Medicus Italus ſæculi XV. locutus eſt de morbis Mulierum. 315
Gordonus (Bernardus) Profeſſor Monſpeſſulanus ſæculi XIV. 314. Morbos Mulierum pertractavit juxta Arabum ſententiam, quam propriis obſervationibus confirmavit. ib.
Grulingius (Philippus Georgius) Germanico idiomate de morbis Mulierum ſcripſit. 348
Guainerius (Antonius) Medicus Mediolanenſis. 315.; auctor tractatus conceptionis, qui eo collineat, ut optato partui Duciſſæ Mediolanenſis opitularetur. ib.
Goldhammers (Joannes) Auctor Synopſis Medicæ de Mulierum, & infantum morbis germanice conſcriptæ. 353.
Guntherius (Joannes) Andernacus Medicus ſæculi XVI. auctor ſpecialis tractatus de morbis gravidarum, parturientium, & infantium. 326

H

Hally Abbatis opera de morbis Mulierum. 311
Hellvvigs (Chriſtophorus) Auctor brevis Pharmacopeæ Mulierum germanicæ ſcriptæ. 351
Henricus de Saxonia Auctor ſæculi XIII. diſcipulus Alberti Magni ejuſdem opera vix pervolvi merentur. 314
Hercules Saxonia Profeſſor Patavinus; ejuſdem tractatus de morbis Mulierum. 332
Heredia (Petrus Michael de) Medicus Hiſpanus ſuum tractatum de morbis Mulierum ab Arabis excerpſit. 345
Hernius (Joannes) Medicus Batavus Auctor exigui libelli de morbis Mulierum. 333
Highmorus (Nathanael) Medicus Oxonienſis, ejuſdem opera de hyſterico morbo, & hypocondriaco. 347
Hippocrates vetuſtiſſimus Medicus: quanti pendantur ejuſdem opera inquiritur quæ Mulierum morbos reſpiciunt. 300
Hoffmanus (Fridericus) Auctor nuperrimus, Hallæ Profeſſor, cum primum Univerſitatem inſtituiſſent 357. hujus celeberrimi Medici ampli codicis cenſura ib. ejuſdem ſtylus Aſiaticus, & infirmus ib. nihil ſpecialis habet circa Mulierum morbos. 356
Horſtius (Gregorius) Medicus Ulmenſis obſervationes perraras circa Mulierum morbos exaravit. 334
Hucher (Joannes Profeſſor Monſpeſſulanus, Auctor tractatus de ſterilitate, qui magni penditur. 332

I

Jaſon Pratenſis Zelandus magni nominis vir, Medicus ſæculi XVI., ejuſdem opera de morbis Mulierum ad ſterilitatem arcendam, & conceptionem fovendam pertinent. 321

L

Langius (Chriſtianus Joannes) Profeſſor Lipſienſis. 351., ejuſdem ope-

opera de morbis Mulierum parvi penderent. ib.

Lazerme (Jacobus) Profeſſor Monſpeſſulanus: brevem vitam duxit; cenſura ejuſdem operis quod medendi rationem complectitur 356. errores nonnulli hujus medici circa Mulierum morbos. 357. redarguntur ii qui Lazermi methodo tyrones inſtruunt. ib.

Leonellus Faventinus Medicus Bononienſis ſæculi XVI. 321.; ejuſdem opera de morbis Mulierum. ib.

Liebaut (Joannes) Medicus Facultatis Pariſienſis. 327.; quod edidit opus circa Mulierum morbos, ab eo Marinelli depromptum eſt. ib.

M

Marinello (Joannes) Auctor tractatus Italici *delle Malattie delle donne*. 326

Maſſarias (Alexandri) ſectiones circa Mulierum morbos in Patavino Licæo habitæ. 330

Mauriceus (Franciſcus) Chirurgus Pariſienſis & in obſtetricis arte peritiſſimus: in ſuo tractatu de Mulierum morbis utiliſſimas obſervationes præbet quæ ſunt maximæ praxis fructus. 350

Meadius (Richardus) Medicus Anglus cujus opera valde docent. 356. ejuſdem remedium ad catamenia revocanda. ib.

Meniotes (Antonius) Medicus Regius, Auctor nonnullarum diſſertationum circa Mulieres. 346

Mercatus (Ludovicus) Medicus Hiſpanus. 327.; Auctor aurei libelli circa illos morbos. ib.

Mercurialis (Hieronymus) Forolivienſis ſubſecutive Profeſſor Patavinus, Bononienſis, & Piſanus, auctor eximii tractatus de morbis Mulierum. ib.

Meurdrac (Maria) Auctor tractatus Chemiæ germanice conſcripti pro Mulieribus, earumque morbis. 347

Montanus (Joannes Baptiſta) celebris Profeſſor Veronenſis; ſpecialem tractatum ſcripſit de morbis Mulierum. 324

Moſchionus Medicus Græcus, ſæculi VI. peculiarem de morbis Mulierum Libellum ſcripſit. 304

N

Nenter (Georg-Philippus) Medicus Argentinus, ejuſdem opera de morbis Mulierum. 356

Nonus Medicus Græcus X. ævi ſub imperio Conſtantini Porphyrogenetæ: explanavit Mulierum morbos juxta ſententias Æginetæ, & Aetii. 305

O

Oehemens (Joannes-Auguſtus) Auctor tractatus Germanici qui ſub eo titulo extat, *Naturæ Arcanum, ægrum Mulierum pertractando detectum*. 356

Oribaſius Imperatoris Juliani amicus. 303.; ejuſdem opera, in quibus de morbis Mulierum locutus eſt. 394

P

Pareus (Ambroſius) celebris Chirurgus XVI. ævi; in ſuo Tractatu de generatione de partu agit, & nonnullis Mulierum morbis. 326; ejuſdem opera latine verſa a *Guillelmau*. ib.

Paulus Æginetа quando inter vivos erat; 304.; editiones, & verſiones ejuſdem operum; ib. ubi locutus ſit de morbis Mulierum. ib.

Pe (Lazarus) Joannis Marinello opuſculum de morbis Mulierum latine vertit. 333

Pfiſer (Joannes Nicolaus) Auctor tractatus quem de morbis Mulierum germanice conſcripſit. 350

Platearius (Ioannes) Medicus Salernitanus ſæculi XIV. 314.: opus in quo de Mulierum morbis diſſeruit. 315

Platerus (Felix) Icones delineavit quæ ad ſtructuram pertinent genitalium Muliebrium, & earum partium morbos. 327

Prævoſtus (Joannes) Profeſſor Patavinus de morbis Mulierum egit. 335

Primeroſus (Jacobus) Medicus XVII. ævi

ævi, Auctor tractatus de morbis Mulierum. 345

R

RAnchinus (Franciſcus) Profeſſor, & Cancellarius Facultatis Monſpeſſulanæ; Auctor tractatus de morbis filiarum. 334
Rhazes Medicus Arabus ſæculi XI. parvifaciendus circa ea quæ ſcripſit de morbis Mulierum. 311
Riverius (Lazarus) celeberrimus Profeſſor Monſpeſſulanus; ejuſdem opera. 336. explicant nitide Mulierum morbos. 337. fuit Sennerti Aſſecla. ib.
Rodericus a Caſtro Medicus Luſitanus religione Judæus Hamburgum profugus opuſculum edidit ann. 1604. de Mulieribus morbis. 332
Rocheus (Nicolaus) Auctor ſpecialis tractatus de morbis Mulierum Avicennæ doctrina & propria experientia ſuffulti. 322
Rondeletius (Gullielmus) Cancellarius Facultatis Monſpelienſis magis naturæ Hiſtoria quam medicina inſtructus. 325.; Auctor tractatus nondum impreſſi de morbis Mulierum. ib.
Ronſeus (Balduinus) Medicus Batavus, ejuſdem opera de morbis Mulierum. 319
Rudolphus (Joannes Gabriel) diſſertationem compoſuit in qua nonnullas obſervationes oſtendit, quæ ad mulieres pertinent menſibus nimiis laborantes. 352
Rueff (Jacobus) Chirurgus Tigurinus Auctór latini opuſculi circa generationem, conceptum, & partum. 323

S

SAnden (Henricus Van) obſervavit uterum in deſcenſu obverſum. 353
Santorini (Joannes Dominicus) Venetiis Anatomiæ Profeſſor, quid ſentiret de Catameniorum origine. 351
Savonarola (Joannes Michael) profeſſor Patavinus de geſtatione, & partu egit. 316
Schenkius (J. G.) Medicus Alemannus, Editor Catalogi tractatuum de morbis Mulierum. 330
Schrotters (Gaſpar) brevem Pharmacopeam impreſſit circa virgines, mulieres, & infantes Germanico idiomate conſcriptam. 353
Sebizius (Melchior) profeſſor Argentinus, Auctor obſervationis circa molam carneam uteri. 334.; Suſpicatur tamen hujuſmodi molam Steatoma matricis fuiſſe. ib.
Sennertus (Daniel) Profeſſor VVitembergenſis. 335., egit de omnibus Mulierum morbis ſolidiſſima, & admiranda methodo. ib.
Serapion (Joannes) Medicus Arabus XI. ævi. 311.; ipſius opera. ib.
Servetus (Michael) cognovit ſanguinis circulationem. 338
Semmers (Joannes-Georgius) Auctor opuſculi Germenice exarati ſub titulo . . . . *Uſuel de Femmes, avèc l'ecole des accouchment*. 350
Soranus in ſuo tractatu de morbis Mulierum luculentiſſimam exhibuit uteri deſcriptionem. 302
Sorbait (Paulus de) Auſtriacus medicinæ profeſſor, egit de morbis Mulierum. 347
Spachius (Iſrael) Profeſſor Argentinus Auctores collegit, qui de recenſitis morbis ſcripſerunt. 331
Sprye (Nathanael) Auctor tractatus fluxus menſtrui; ejuſdem doctrina exponitur. 349
Sthallius (Georg-Erneſtus) primus Medicus Regis Boruſſiæ, Auctor plurium diſſertationum de mulierum morbis. ib.
Sydenhamius (Thomas) Medicus Anglus, magni nominis vir. 348. ſcripſit de Affectione Hyſterica; opus quanti pendatur. 348

T

TErenzoni (Joan-Antonius) Profeſſor Piſanus; Auctor libelli de morbis uteri. 353
Teillier (Le) filius; Animadverſiones criticæ circa Emmenalogiam *Freyndi*. 353

Theo-

Theodorus Pariſetanus Medicus Latinus VIII. aut IX. ſæculi. 305. ; Auctor opuſculi de morbis Mulierum cujus plures Editiones exiſtunt. ib.

Trincavellus (Victor) Venetus Profeſſor Patavinus, ſæculi XVI. : Auctor conſultationum medicarum circa morbos Muliebres. 324

Trotula Obſtetrix XIII. ævi . Quæſtio eſt de ejuſdem opere. 313

V

VAleſcus de Taranta Luſitanus Monſpeſſulii Medicinam exercuit ſæculo XIV.; 315. de iis morbis præceſſoribus ſuis melius egit. ib.

Varandeus (Joan.) Profeſſor Monſpeſſulanus, clare, & luculenter de morbis Mulierum pertractavit 333

VVier Medicus Ducis Cliviæ Auctor obſervationum de morbis genitalium Muliebrium. 325

VVillis (Thomas) Medicus Anglus qui plurimi exiſtimabatur . 346.; ejuſdem Apologia adverſus Highmorum circa Affectiones Hyſtericam , & Hypochondriacum. 347

VVolphius (Gaſpar) Medicus Tigurinus alterum collectionem edidit auctorum , qui de iis morbis ſcripſerunt. 328

Z

ZAcutus Luſitanus, ejuſdem operūm cenſura. 336. ; ipſius obſervationes, quæ morbos Mulierum reſpiciunt; caute tamen perlegi debent. ib.

IN-

INDEX
RERUM LOCUPLETISSIMUS.

A

Abſceſſus uteri, innoteſcit per ſigna indicata. Pag. 192 Diſtinguitur in phlegmonoſum, & tuberculoſum. ib. Differentiæ. ibid. & ſeq. Cauſæ. 193. Inflammatorii. ibidem. Tuberculoſi. (Vid. *tubercul.*) Theoria generalior. 194. Symptoma. 196. Pus diverſas ſibi pandit vias. ib. Diagnoſis generalior. 197. ſpecierum. ibid. cauſarum phlegmonoſi & tuberculoſi. ibid. Curatio dum ipſe gignitur. 198. jam ſuppuratione perfecta. ibid. quomodo ſcalpello aperiatur pro diverſo ejuſdem poſitu: 199. anomalus. 225

Abſinthii planta ſtomachica eſt, eaque in decoctionibus uſuvenit. 83, infuſum vinoſum. ibid. quinta-eſſentia. ibid. Syrupus. ib.

Acetoſæ radix refrigerans. 104. Syrupi uſus. 105

Acetum in uteri ſuffumigiis utile quomodo adhibeatur. ib.

Acta Eruditorum Lypſienſ. oſtendunt rubram ſanguinis partem exiguam eſſe. 74

Adſtringentia remedia potiſſima evadunt adverſus Menorrhagiam, 79. quomodo adhibeantur. ib. in uteri hæmorrhagiis extrinſecus applicantur. 99. nonnulla ex vegetabilibus deſumuntur: 101. videlicet ex radicibus. foliis. ib. floribus. ib. fructibus. ibid. ſuccis. 102. lignis. ib. reſinis. ibid. nonnulla ex animalibus. 102. nonnulla ex mineralibus. ib. *vulneraria* vaſorum elaterium reſtituunt, impediuntque albos fluores, quos eorum laxitas produxerat. 126. ſunt radices. 127. folia. ibid. ſucci. ibid. ligna. ibid. & reſinæ. ib. ſimpliciora ex vegetabilium tantum radicibus. 128. foliis. ibid. floribus, fructibus, ſuccis. ibid. lignis, & corticibus deſumuntur. ibid. ſimpliciora nonnulla ex animalibus. 127. alia ex mineralibus ſumuntur. ib. intrant præparationes Galenicas adſtringentes. 103. & ceteras officinales, ſyrupos nempe, & aquas deſtillatas. 129. crebro adhibita nimis uterum lædunt. 107 externe ſuſpecta ſunt in uteri morbis. ibid. quibus cautelis tute exhibeantur. ib. commendantur adverſus vaginæ deſcenſum. 267

Aeris magnus æſtus cauſa fluxus immodici, aut menorrhagiæ. 89

Affinitas humorum uteri cum iis mammarum, eorum ſympathicæ relationis explicatio. 4

Agnus caſtus in furore uterino commendatur. 164

Agreſtæ (ſyrupi) uſus. 105

Alberti (D.) diſſertatio de *Bella donna* cancrum adverſus. 237

Alcis ungula ſpecifica ſua virtute hyſterico vapori adverſatur. 294

Alchimilla planta vulneraria. 104

Aloes medicus uſus in catameniis ſuppreſſis. 46

Alimenta potiſſimam præſtant ſanguinis materiam. 74. qua de cauſa reſpuant ægræ chloroſi affectæ. 76

Althææ radix remedium præſtat dulcificans, ejuſdemque uſus. 104

Allumen valde adſtringens. 102. credunt ſpecificum remedium adverſus hæmorrhagiam. 109

Amputatio uteri, quando inſtitui poſſit. 190. 263. qualia damna in gangrænoſo prolapſu afferat. 259

Amuleta veteres magnifaciebant. 299

Anaſarca (vid. *Oedema*.)

Anaſtomoſes ſive communicationes laterales arteriarum, & venarum uteri. 3. appendices ſuppeditant, quæ intimam uteri tunicam perfodiendo. ib. patulas ſe oſtendunt. ib.

Anatomiam Græci ignorarunt. 298. Arabes neglexerunt. 308. Monſpeſſulani primum excoluerunt *anno* 1376. & cada-

cadavera diſſecuerunt de licentia Ludovici Andegavorum Ducis, & Occitaniæ Præſidiis. 309. cum ſcientiarum reſtauratione floruiſſe conſtat, ac proinde magni nominis Anatomicos ſurrexiſſe. 319. utilem evadere ad inveſtigandam ſedem, & cauſam plerorumque morborum. ib. magno cum fructu excolebant poſtquam circulationem ſanguinis invenerunt. 340. (circa) notiones neceſſariæ, ut rite inſtituantur obſervationes, quæ morborum indolem patefaciunt. ib.

Aneuriſmatica uteri *vaſa* Menorrhagiam inducunt. 89

Angelicæ radix ſpecifica ſua virtute chloroſim compeſcit. 84

Animi affectus interdum fluentes ſiſtunt menſes. 28. *deliquium* in menorrhagia quale auxilium poſtulet. 98

Anodina in hyſterico morbo uſitatiora. 292

Anthracis origo. 299

Anthyſterica qualia ſint. 292. diluentibus, & humectantibus copulantur, ut calor imminuatur, quem ipſa excitant. 293

Antiphlogiſtica remedia, eorumque virtutes, atque uſus in uteri inflammatione. 178

Aperientia mitiora ſtomachicis debent copulari in chloroſis curatione. 83 idonea ſunt in ea chloroſis ſpecie quæ ab obſtructione procedit. 292. martialia eorumque præparationes, & doſes. ib. mercurialia dulcis. ib.

Apium prodeſt in albo fluore. 126

Apoplexiam interdum gignit menſium ſuppreſſio. 34. æmulatur vapor hyſtericus. 287. qua ratione ipſam diſtinguant Medici ab hyſterico morbo. ib.

Appendices venoſæ uteri ex arteriarum cum venis connubio prodeunt, & interna facie matricis perfoſſa patulæ ibi fiunt. 3. placentam cum utero nectunt. ibid. & 16. circa geſtationem oculos effugiunt. 3. menſtruum ſanguinem effundunt. ib. & 10. vitiatæ catameniorum ſuppreſſionem faciunt. 28. dilatatæ nimis hæmorrhagiam inducunt. 88. conciſæ, vel excoriatæ dulcificantia, atque agglutinantia poſtulant. 103

Appetitus in chloroſi proſtruatur. 76. palloris curationem implicat. 80. amiſſus, aut depravatus, qua de cauſa in menorrhagiis reperiatur. 91

Aqua caſtitatis (Sennerti) commendatur in furore uterino. 165. camellitarum. 83. clavorum potum aperientem ſuppeditat in virginum pallore. 84. aut eſſentia Rhabellij in minorrhagiis utiliſſima. 100. valde adſtringit. 103. ejuſdem compoſitio. 109. quomodo exhibeatur. ib.

Aquæ anthyſtericæ. 290

Aquæ minerales menſes provocant. 24. ferrugineæ quando conveniant in menſium ſuppreſſione. 37. in pallore proſunt cum cautelis in earum exhibitione neceſſariis. 84. elaterium reſtituunt appendicum venoſarum. 106. thermales adverſus chloroſim utiles evadunt. 84. tum intrinſecus cum extrinſecus conveniunt in albo laticinoſo fluore a vaſorum laxitate procedente. 126. pro injectionibus uſuveniunt, quæ uteri elaterium reſtituere valent. 220. roborant matrcis fundum in ejuſdem deſcenſum labefactatum. 261

Aquarum (*de Barege*) utilitates generales, & ſpeciales ad ſolvendos uteri ſcirrhos. 221

Arabes Medicinæ incubuerunt Sæculo IX. 307

Ariſtolochiæ uſus in menſtruorum ſuppreſſione. 45

Artemiſiæ ſimilis uſus. ib.

Arteriæ ſpermaticæ partem ſupremam uteri aggrediuntur. 2. hypogaſtriæ medium tenent. ibid. hæmorrhoidales per infernam reptant. ibid. quomodo diſtribuantur intra uteri tunicas.

Aſari uſus adverſus album fluorem. 126

Aſinini fimi ſuccus expreſſus contra menorrhagiam valde commendatur. 109. ſyrupus album fluorem compingit. 135

Aſtrologia a Medicis Arabis exculta. 298. ab ipſis pluribus tentaminibus inveſtigata. 309. judiciaria poſt ſcientia-

tiarum reſtaurationem parvi exiſtimabatur. 319
Aſthma conſequens eſt haud infrequenter ſuppreſſæ menſtruationis. 34
Aurantia acria & viridia; eorumque præparationes quas *Septalius* patrabat adverſus Menorrhagiam. 120. corticem habent adſtringentem. 102
Atheroma ſpecies eſt tumoris ciſtici. 222

B

B*Aglivius plagiarius* fuit, ejuſdemque ſententiam circa diſtinctionem albi fluoris a gonorrhæa virulenta erroneam eſſe oſtendimus. 122
Balauſta remedium adſtringens. 128
Balnea, *& ſemibalnea* utilia evadunt, adverſus uteri denſitatem, quæ primam menſium eruptionem retardat. 24. eorum uſus in menſium ſuppreſſione. 37. ex decoctionibus parantur plantarum emmenagogarum. 43. *calida* nimis Menorrhagiam inducunt. 89. *frigida* maxime in furore uterino commendantur. 163. utilia evadunt in uteri ulceribus. 211. ſcirrho 218. cancro. 234. quales animadverſiones poſtulent in uteri inflammatione. 180
Balſamica remedia adverſus ulcera matricis commendantur. 208
Balſamum Canadenſe remedium adſtringens quomodo adhibeatur. 102. de *Coppay* eamdem indicationem implet. ibid. utrumque appendices venoſas conſtringit. 105
Belladonna ſpecifice laudant ad ſubigendum cancrum. 237. circa id perſcrutata a D. Lambergem. 236
Betonica planta adſtringens, ejuſdemque exhibendæ ratio. 101
Bezoardicum Orientale: laudes, quas a nonnullis promeritum eſt adverſus chloroſim. 84
Bilis uſus in œconomia animali, in digeſtionis præſertim negotio. 74
Biſtorta planta adſtringens. 101
Boli anthyſterici, eorumque compoſitio & uſus. 291
Bolus armena remedium adſtringens. 102
Botanicæ progreſſus poſt ſcientiarum reſtaurationem. 318. incubuerunt recentiores magnopere. 341
Bovilis carnis fumo induratæ pulvis albos fluores ſiſtit. 134
Buchnerus (D.) theſes defendit de mercurialium uſu adverſus cancrum, hujuſmodi ſententiam perſcrutamur. 236
Bugula planta vulneraria. 104
Burſa-Paſtoris planta adſtringens. 101 (ex) diſtillata aqua quomodo uſuveniat. 103
Braſilienſes mulieres pauciora habent catamenia. 17
Bryonia remedium minus tutum in menſium ſuppreſſione. 49
Brunella planta adſtringens. 101
Brutorum fœmellæ menſibus gaudent. 17

C

C*Achexia* in filiabus effectus eſt remediorum emmenagogorum, quæ milium induxerint menſium profluvium. 21. Quid ſit; & qua de cauſa ſubſequatur Menorrhagiam. 92 Symptoma eſt fluoris albi. 119
Camphora ſuſpecta eſt in albo fluore. 135. ejuſdem uſus in furore uterino. 164. in vapore hyſterico. 295
Cancer uteri conſequens eſt albi fluoris in menſium ſuppreſſione obvii. 34 ejuſdem deſcriptio. 230. Differentiæ. 231. Cauſæ. ib. Symptomata. 232. Diagnoſis. 233. Prognoſis teterrima eſt. ib. Curatio palliativa quatuor indicationes poſtulat. 234. ipſum adverſus propoſita remedia. 236
Cantharides intus ſumptæ in albo fluore, lædunt. 139
Capitis gravedo in Chloroſi, qua de cauſa habitualis fiat. 77. *morbi* in menſium ſuppreſſione obvii ſunt. 31. *affectio* qua de cauſa in febre appareat, quæ comitatur uteri inflammationem. 172
Carantia uſuveniunt in menſium ſuppreſſione. 45
Cardamomum remedium ſtomachicum. 82
Cardialgia, ſive cordis affectus comitantur uteri inflammationem. 173
Caryophillata, planta vulneraria quomodo exhibeatur. 104

Caryophilli remedium ſtomachicum. 82
Carteſii ſyſtema philoſophicum illud Ariſtotelis a medicina proſcripſit. 339
Caſcharilla in uteri ulceribus adhibetur. 207
Caſſia lignea remedium ſtomachicum. 82
Caſtoreum in menſium ſuppreſſione proficuum. 48
Cataplaſmata adſtringentia in Menorrhagiis uſum habent. 99. anodyna in uteri inflammatione. 177. adverſus matricis gangrænam. 189
Catechu remedium adſtringens. 102. ejuſdem tinctura. 103
Cauterium utile in palliativa curatione albi fluoris. 133 tum in uteri ulcere. 206
Cerebrum œdematoſum fit in Chloroſi, hujus phænomeni effectus. 78
Celtica lues ſubigitur uſu interno ſublimati corroſivi. 236
Chalybs in catameniorum ſuppreſſione exhibetur. 47
Chamæmeli uſus in menſium ſuppreſſione. 45. Aperientia uſitatiora in Chloroſi ſuppeditat. 83
Chemiæ origo apud Arabes, 309. progreſſus poſt ſcientiarum reſtaurationem veram medicinam deturpabant 319. ad æqua principia redacta recentiorum cura. 311
Chinæ radicis Decoctio elaterium reſtituit appendicum uteri venoſarum. 106
Chirurgia infuſoria quid ſit. 243
Chloroſis etymologia. 72. 73. *Vid. Pallor virginum*.
Chylus liquor lacticinoſus ab alimentis digeſtionis ope depromitur. 74. multiplex ratio, qua perficitur antequam ſanguinis indolem ſumat. ibid. Obſervationes Microſcopiorum, quæ ipſum globulis conflari oſtendunt. 75. imperfectum pravum ſanguinem gignit. ibid.
Chymus pulmentum refert ex cibis congeſtum. 74
Cicatrices, quæ jungunt vaginæ parietes. 53. a præcedentibus exulcerationibus aut ſciſſuris originem habent. ibidem. ſuperficiales vaginæ quomodo cultro deſtruantur. 59. profundiores quomodo emolliantur, ibid. operationes Chirurgicæ quomodo inſtituantur. ibid. ab his operationibus quando abſtineri debeat. ibid. & 60
Cicer in menſium ſuppreſſione uſuvenit. 47
Cicuta commendatur vel ſub cataplaſmatis forma, vel infuſa, & intus exigua doſi ſumpta adverſus uteri furorem. 165. adverſus cancrum ſpecifice præponitur. 239
Clyſterica ſtimulantia in menſium ſuppreſſione adhibentur. 43. qualia conveniant in laborioſa menſtruatione. 66. utilia evadunt in appetitus depravatione. 81. anthyſterica pharmaca, quæ hæc intrant. 285
Cinnamomi uſus ſtomachicus. 82
Colica uteri a menſtruo tempore obvia. 16. filiabus præſertim, quæ menſibus carent. 22. Quid prænunciet. 23 Quomodo a menſium ſuppreſſione originem agnoſcat. 30. Morbus erat, cujus nomen ſub Tiberii Imperio latebat. 299
Colon in Chloroſi flatu tumet. 77
Color faciei, a quo procedat, qua de cauſa abeat. 73. *totius corporis* vividus a quo procedat, & cauſæ quæ cutim deturpant in Chloroticis mulieribus. 76
Conatus ventris validiores in diarrhæis Menorrhagiam inducunt. 90
Conceptio intra ovaria. 269
Confeſſio Alchermes remedium ſtomachicum. 83. *hyacinthina* idem præſtat. ibid.
Conformatio vitiata uteri, & partum vicinarum menſes implicat. 50
Conſolida major planta vulneraria. 104 ſyrupum præbet adſtringentem. 105
Conſumptio effectus albi fluoris in menſium ſuppreſſione. 34
Convulſio uteri excitatur a grumis ſanguinis in ejuſdem cavitate detentis. 92
Convulſivi motus quomodo ſpeciali potionis formula compeſcantur. 36
Contractio convulſiva uteri repentinam ſuppreſſionem facit. 28. in laborioſo partu uteri obverſionem producit. 268
Coralia inter remedia adſtringentia locum habent. 102. eorumdem tinctura, & ſyrupus. 103
Cordialia jure adhibentur in pulſuum lan-

languore, obvium ſymptoma uteri inflammationis, uſuveniunt 178. contra uteri gangrænam. 105
Coriandria remediorum ſtomachicum. 83
Cornu Cervi remedium adſtringens. 104
Cortex, & *capſulæ quercus* valde adſtringens. 101
Cotoneorum flores. 101. ſyrupus valde adſtringens. ibid.
Creta Brianconia remedium adſtringens. 102
Crocus Orientalis in menſium ſuppreſſione valde confert. 47. remedium ſtomachicum 82 Martis aperientis uſus, & doſis Martis adſtringens. 83
Cruditates primarum viarum confirmant menorrhagias. 164
Cucumis Silveſtris remedium ſuſpectum in menſium ſuppreſſione. 49
Cucurbitulæ coxis appenſæ in menſtruorum retentione inutiles evadunt. 43. pariter fruſtraneæ in uteri hæmorrhagiis. 111. ſcarificatæ quandoque in uteri inflammatione venæ ſectionibus ſubſtituuntur. 176
Culcitæ lana repletæ nocent in ſanguineo uteri fluxu; ſtraminibus potius, aut crinibus repleri debent. 96

D

DEclamatio elata voce increpata, uteri hæmorrhagiam inducit. 90
Decoctiones refrigerantes in menſium ſuppreſſione quando conveniant. 37. *aperientes* qua methodo parentur: 42. quomodo adhibeantur in difficili menſtruatione. 66. *refrigerantes* emulſionibus remixtæ exhibentur in uteri hæmorrhagia. 98
Decoctum refrigerans in uteri inflammatione locum habet. ibid.
Dejectiones ſupprimuntur, aut dolorem inducunt, modo uterus inflammatione laboret. 172
Delirium, ſymptoma inflammationis matricis. ibid.
Deſcenſus uteri, hujuſque morbi deſcriptio. 256. vel incompletus eſt: ib. vel completus. ib. cauſæ hujus morbi. ibid. ejuſdem ſymptomata. 258. Diagnoſis. 259. Prognoſis incompleti deſcenſus. ibid. completi. ibid. quando amputari debeat. 259. *vid. amputatio*. detrimenta completa deſcenſus uteri, qui reſtitui nequeat. ib. Curatio completi deſcenſus. 260 injectiones adſtringentes in deſcenſu incipienti. ib. methodus reſtituendi uterum in deſcenſu incompleto. 261. quid faveat reſtitutioni completi deſcenſus. 262. medendi ratio modo reſtitutio non obtineatur. 263. amputationis methodus in præcipiti caſu. ib. Deſcenſus vaginæ, *vid. vagina*. ibid.
Deſidia in filiabus obvia chloroſi laborantibus. 78
Deobſtruentia quæ conveniunt in obſtructionibus uteri. 130
Diæta in uteri inflammatione ſtrictiſſima eſſe debet. ib.
Diapedeſis, ſeu cruoris trans poros vaſorum uteri diaphoreſis minime locum habet in menſtruo fluxu. 11
Diaphoretica remedia quando adhibeantur in uteri inflammatione. 178
Diaphragma dum ſympathiæ lege contrahitur, hypochondriorum intumeſcentia gignitur. 77
Digeſtio depravata qualia remedia poſcat. 25. alimenta in chylum convertit. 74. cum optima fiat bonæ craſis ſanguinem gignit. 75. difficillime, & imperfecte in chloroſi perficitur, 76. incompleta obvium eſt albi fluoris ſymptoma. 77
Diluentia, & *refrigerantia* in ulcere matricis uſuveniunt. 216. qualia validiora ſint ad lympham, cruoremque abluendum. ibid. in hyſterico morbo uſitatiora. 293
Diminutio menſium triplici ratione oriri poteſt. 27. 28. vel quia catamenia minus uberrima ſint. 28. vel minus perdurent. ibidem vel ſerius revertantur. 29
Diſſimulatio ex parte ægrotantium circa cauſas circumſtantiarum uteri ante primam menſium eruptionem inutilis evadit. 22
Diſſolutio ſanguinis, ptiſanam poſtulat

lat a nobis deſcriptam, quæ valde prodeſt. 98
Diuretica quotidie, vel crebro hauriri debent in menſtruorum ceſſatione. 46. qualia conveniant in uteri inflammatione. 178. in hydrope matricis. 245. ſeries eorum medicamentorum, & exhibendi ratio. 246
Dolores capitis qua de cauſa ægras infeſtent prope menſes. 16. uteri; valde nocui ſunt poſt menſium ſuppreſſionem. 34
Dyſuria ſeu *urinæ ardor* qua de cauſa producatur in uteri inflammatione, 172

E

EBur combuſtum adſtringit. 122. raſpatum ſæpiſſime adhibetur. 104
Effluvium lymphaticum præcedit, & ſubſequitur menſtruationem. 6
Elixior proprietatis ſimplex, remedium eſt ſtomachicum. 83. deſtillatum, ſeu *Garrus*. ibid.
Embrocatio in uteri inflammatione proficua. 177
Emetica in ſuppreſſione menſium exhibentur. 43. quando conveniant in Menorrhagiis. 108. qualia uſitatiora ſint, & qua doſi propinentur. 109
Emmenagoga remedia noſtrorum fluxum provocant, ſunt vel aperientia vel ſolventia. 24. in eorum adminiſtratione neceſſariæ cautelæ. 25. quando conveniat. 38. eorum diverſæ ſpecies, & doſes vulgatiores. 39. & ſeq. eorum abuſus qualia detrimenta afferant. 21. 90. ſuſpecta ſunt in menſium ſuppreſſione. 147
Emplaſtra adſtringentia inefficacia in uteri hæmorrhagia. 99. anthyſterica umbilico apponuntur. 290
Epidermis ſubtiliſſima & diaphana eſt vividumque idcirco cutis colorem oſtendit. 73
Epilepſia hyſterica quomodo diſtinguatur a morbo herculeo. 287
Equiſetum planta adſtringens. 101. uſus aquæ deſtillatæ ex eadem planta. 103
Erpes oris ſeu *Mentagra* quando invecta. 299
Eſcharotica in uteri gangræna utilia evadunt 189. ab iis tamen interdum deſiſtitur ib. fovent caſum eſcharæ uteri gangrenæ. ib.
Æthiops martial. remedium aperiens, ejuſque doſis. 83
Excreſcentiæ vaginæ 53. neque eſcharoticis conſumi, neque cultro abradi deberent, ſed forbice ſecari. 58. ib. in iis operationibus cautelæ neceſſariæ. 59
Exercitia corporis varia in menſium ſuppreſſione idonea. 44. augent in chloroticis reſpirandi difficultatem. 77. augentque capitis gravedines in illo morbo obvias. 78. violentiora hæmorrhagiam uteri inducunt. 89
Exſiccantia in uteri ulceribus uſum habent. 209

F

FEbris lenta effectus albi fluoris in menſium ſuppreſſione occurrentis. 34. 39. *amatoria* interdum appellatur chloroſis. 72. *alba* interdum. ib. veſpere revertens in chloroſi valde nocua. 84. remittens nimios menſes inducit. 89. *Lypria* ſymptoma plerumque grandioris viſcerum inflammationis. 173. lenta evadit in uteri abſceſſu. 196. character in ulcus matricis occurentis. 202. *miliaris* origo, & progreſſus. 343. *purpurea*, ſeu petechialis minime novus morbus putatur. 320
Ferrum uſuvenit in menſium ſuppreſſione, uſitatiora præſtat aperientia in albo fluore idonea. 83
Filipendula planta adſtringens. 101. ejuſdem pulvis in albo fluore commendatur. 135
Fimi aſinini ſuccus expreſſus laudatur ad injectiones conficiendas contra uteri hæmorrhagias. 100
Fluores albi in filiabus occurrunt menſtruis orbatis. 21. conditio earum quæ iis ſunt obnoxiæ. ib. menſium ſuppreſſionem inducunt. 28. vel a ſuppreſſis menſibus procedunt. 29. qualia phœnomena tunc ſuperveniant. 34. fluores albi in difficili, aut laborio-

ſa menſtruatione facile occurrunt. 63. quare menſes nimios faciant. 87
Flores albi deſcribuntur. 113. eorumdem differentiæ a laticis natura deſumptæ. 114. a colore. ib. a qualitate. ibid. ipſi vel *lactei* apparent, vel *lymphatici*. ibid. cauſæ fluoris albi lacticinoſi explanantur. ib. cauſæ lymphatici 116. omnium differentiarum hujus morbi deſcriptio. 177. ipſi vel ſuppreſſionem comitem habent vel non. ibid. vel continentes ſunt, vel intermittentes. ibid. incontinenti albi fluoris fluxu materies, vel una eſt, vel variabilis quantitatis reſpectu. ibidem. augmentum hujus morbi vel periodum ſervat vel nullam. ib. regreſſus albi fluoris intermittentis, vel periodicus eſt vel non. ibid. fluores albi diverſos colores præſeferunt. 118. modo a crimonioſi ſunt, modo graveolentes. ib. eorum ſymptomata deſcribuntur. ib. albi fluoris acris in ſolida effectus enumerantur. 119. albi fluoris Diagnoſis generalior. 120. quomodo diſtinguantur a purulento uteri fluxu. ibid. a gonorrhæico effluvio. ib. error illorum, qui albos fluores gonorrhææ methodo pertractant. 122. Diagnoſis ſpecierum. ibid. Diagnoſis cauſarum. 123. morbi prognoſis. 124 fluores albi lactei lymphaticis qua de cauſa mitiores. ibid. quando incurabiles utrique fiant. 125. curatio albi fluoris ab ubertate lactis uterini procedentis. ib. curatio diætetica. ibidem. medendi ratio venæ ſectionum ope, clyſterium, catharſis, diureticorum, diaphoreticorum ſolventium, aut aperientium auxilio. 126. curatio albi fluoris lacticinoſi qui a maxima procedit fluiditate lactis uterini incraſſantibus inſtituta. ib. de lactis, ptiſanarum incraſſantium, narcoticorum, & abſorbentium uſu verba fiunt. ib. indicationes curativæ albi fluoris quem gignit vaſorum atonia. ib. uſus balneorum, injectionum, & potus aquarum thermalium. ibid. adſtringentia vulneraria in hoc ſtatu conveniunt. ibid. fluores lymphatici, eorum curatio. 129. triplicis cauſæ reſpectu. 130. vel quando ab uteri prolapſu procedunt. ib. vel ab obſtructione, aut tuberculis uteri. ib. remedia idonea in hoc poſtremo caſu. 130. fluores albi lymphatici a ſciſſuris matricis procedentes remedia poſtulant agglutinantia, nutrientia, farinacea, & incraſſantia. 131. curatio palliativa hujus ſpeciei, regiminis ope quod morbi violentiam compeſcit & effectus retardat. 132 leviori catharſi. 133. vel diluentibus, humectantibus, & dulcificantibus remediis. ib. cautelæ neceſſariæ in albi fluoris curatione. ib. remedia ſpecifica adverſus hunc morbum commendata quibus uti poteſt citra detrimenti metum. 134. remedia propoſita nocua tamen vel ſuſpecta. 136
Fluores albi ſubſequuntur uteri ſcirrhum. 215. vapores hyſtericos excitant, quibus medemur remediis indicatis. 292
Fluxus menſtruus. 5. ejuſdem periodicus regreſſus, & perduratio. ibid. tria ſtadia menſtrui fluxus. ib. copia ejuſdem. 6. indoles menſtruati ſanguinis. ib. ſigna quæ menſium eruptionem prænunciant. ib. geſtationis tempore plerumque deeſt. ibid. quamdiu hujuſmodi fluxus perduret. ibid. ex quo loco ſtillet ſanguis. ibid. rationes, quæ confirmant ipſum ab uteri cavitate procedere. 7. interdum ex vaginæ parietibus erumpit. ibid. in quibus circumſtantiis id poſtremum eveniat. ib. quandoque hujuſmodi ſanguinis effuſio per totum geſtationis tempus perſiſtit: ib. menſtruus ſanguis ab arteriis procedit aut venis. 8. ipſe ab univerſali vaſorum, aut locali uteri plethora dependet. 9. rationes, quæ localem vaſorum matricis repletionem defendunt. ibid. quomodo menſtrua eveniant ratione plenitudinis vaſorum lacteorum matricis. 11. menſtruus fluxus quomodo periodice deſinat. ib. cauſæ prioris eruptionis. 12. cauſæ periodici regreſſus qui menſe brevior ſit. ib. copia ejuſdem fluxus ab

Hip-

Hippocrate, & a nobis dimenſa. 13. quare deſiſtat ingraveſcente ætate. 14. idem fluxus partum fovet. 17. generationem juvat. ib. quo in caſu pedum venæ ſectio ipſum evocet. 25. quando hæc noceat. ib. *vid. Menſes*.

Fomenta emollientia in menſium ſuppreſſione adhibentur. 38. dulcificantia in uteri inflammatione locum habent. 117

Foreſtus arcanum remedium adverſus uteri hæmorrhagias prædicabat. 110

Fragrariæ radix refrigerans Monorrhagiam ſiſtit. 101. 104

Frictiones circa coxas calidis linteis inſtitutæ utiles evadunt in repentina menſium ſuppreſſione. 35. inutiles experiuntur in ſanguinis jactura. 96. *Mercuriales* quando conveniant in uteri ulceribus. 210. quamdiu produci debeant. ibid. regimen in hoc ſtatu neceſſarium. ib. juvant in quibuſdam uteri cancris, modo caute adhibeantur. 235. in cancro proſunt a lue celtica nato. 236. earum uſus adverſus ejuſdem partis ſcirrhos. 221

Frigus repentinum qua ratione menſes intercipiat. 28. modo repente agat, uteri hæmorrhagias inducit. 89

Fungus uteri idem producit. ib.

Furor uterinus deſcribitur. 148. nubiles filias infeſtat ib. hujus morbi cauſæ. 150. Differentiæ. 154. Symptomata. ib Diagnoſis. 156. Prognoſis. 157. Curatio primi gradus. 158. remedia generaliora. ibid. venæ ſectiones, decocta, & apozemata refrigerantia. 159. ſerum lactis, lac aſininum, & emulſiones. ibid. Curatio aquarum mineralium ope. 160. vel regimine humectante, temperanre, diluente, refrigerante. ibid. verum balneis, aut ſemibalneis. 161. aut clyſteribus, & injectionibus refrigerantibus. ibid. uſus peſſariorum in hujus morbi curatione. ib. quando hirudines conveniant. ibid. adverſus uterinum furorem turpe auxilium. 162. hujus morbi curatio in ſecundo ſtadio. ib. in tertio ſtadio quando ægræ maniacæ fiunt. 163. remedia in hoc morbo commendata. ib. aqua quæ ſponte ſtillat ex tenellis ſalicis ramis magnopere laudatur. 164. decoctio tamen foliorum ejuſdem plantæ incaſſum propinatur. ib. titillamenta quibus credunt exuberantis humoris effluvium provocare, qui furorem uterinum induxerat potius intendit, quam compeſcat morbum. 166

G

GALENUS putabat chloroſim tantum ſymptoma eſſe menſtrui ſuppreſſi aut imminuti. 2

Gangræna conſequens teterrimum inflammationis matricis quando adoriatur. 175. uteri gangræna deſcribitur. 181. diſtinguitur in humidam, & ſiccam. ibid. quando occurrat. 182. inflammationem ſubſequitur. ibid. aut grandiorem deſcenſum vel ulcus phagedenicum matricis. ibid. Ipſa vel univerſalis eſt, vel partialis. ib. gangrænæ theoria generalior panditur. ib. ejuſdem theoria peculiaris. 183. differentiarum explicatio. ib. ipſa vel incipiens eſt, vel confirmata. ib. omnem uteri ambitum infeſtat, vel partem aliquam. ibid. ſicca eſt vel humida. 184. ſymptomata hujus morbi, & caloris imminutio. ib. ſenſus abolitio. ib. hujus partis tenſio. ib. ejuſdem aucta mollities. ib. livor. ib. pulſuum parvitas frequentia, & durities. 185. Lypothimiæ, & rigores ſpaſmodici. ib. hujus poſtremi phœnomeni explicatio. ib. effectus eſt acrioris ſeroſitatis, & corrodentis, quæ ſanguinem inquinat. ib. morbi diagnoſis. 186. ſigna illius gangrænæ quæ inflammationem uteri ſubſequitur. ib. quæ ulcus. ib. quæ uteri deſcenſum. ib. diagnoſis vaginæ, aut vulvæ gangræna affectæ. ib. ſigna diagnoſtica differentiarum hujuſmodi ſpeciei. ib. Diagnoſis cauſarum. 187. Prognoſis generalior gangrænæ. ibid. periculum in hoc morbo maximum. ibid. periculum gangrænæ vaginæ. ib. gangræna uteri prolapſi nullam ſpem valetudinis relinquit. ibid. curatio uteri gangrænæ. ibid.

prior indicatio poſtulat vim compeſcere cauſarum morbi. 188. quod obtinetur vulnerariis, & ſpirituoſis remediis in confirmata uteri gangræna. ibid. cataplaſmatis magis idoneis. 189. & eſcharoticis. ibid. quando Quinquina in hoc morbo locum habeat. 190
Geranium ſanguineum planta eſt vulneraria. 104
Geſtationem qualia ſigna prænuncient, quæ perſcrutari oportet ne menſium ſuppreſſionem, quam comitem habet cum ſuppreſſione præternaturali confundamus. 32. ipſam ſuſpicamur in omni menſium retentione.
Geſtatio tubarum. 273. 274. cauſæ hujus morbi. 274. plerumque lethalis eſt. 275. operationem cæſarianam poſtulat. 276
Glandes, earumque calices valde adſtringunt. 102
Glandulæ & *glanduloſæ partes* ſcirrhis magis ſunt obnoxiæ. 212
Globulus martis aperiens quomodo exhibeatur. 84
Glutinantia vulneraria in appendicum venoſarum laceratione conveniunt. 103. qualia ex vegetabilibus deſumantur. 104. qualia ex animalibus. 105
Gmelin (D.) medicinæ profeſſor; ejuſdem cancrum curandi methodus examinatur. 213
Gnafalium montanum planta adſtringens. 104
Gonorrhæa quomodo diſtinguatur ab albo fluore. 120
Granata inter remedia adſtringentia. 102
Granatorum cortex exſiccatus valde adſtringit. 101. eorumdem ſirupus. 102
Groelandiæ mulieres paucioribus donantur catameniis. 17
Gummi Tragacantha, vel *Arabicum*, edulcorantia remedia præſtant. 104 quomodo uſuveniant in uteri hæmorrhagia. 110. uteri obſtructiones pariter ſolvunt. 131
Gummi aperientia in uteri ſcirrhis adhibentur. 219
Gummi depravatio chloroticas infeſtat. 78
Guttæ (Ducis Lamot) quid ſint atque præſtent. 190

H

Elleborus niger remedium adverſus ſuppreſſionem minus tutum. 49
Hæmorrhagia periodica in menſium ſuppreſſione. 31. uteri valde infenſa. 86. in uteri ulcere ſuperveniens quomodo aſtringentibus internis aut injectionibus compeſcatur. 211. maxima evadit in uteri ſcirrho. 215. ratio medendi eam quæ uteri ſcirrhum conſequitur. 235
Hæmorrhoides internæ & externæ menſes prænunciant. 6. ipſas interdum gignit uteri plenitudo. 15
Highmorri obſervatio anatomica circa hujuſmodi fluxum. 11
Hippocrates ex profeſſo de chloroſi minime locutus eſt. 72
Hircinus ſanguis induratus in ſuppreſſione uſuvenit. 46
Hirudines in furore uterino adhibentur. 161
Humor uteri lacticinoſus ab illo mammarum haud abſimilis. 4
Hydatides ovariorum. 169. tubarum. 273
Hydrops albi fluoris in ſuppreſſione occurrentis conſequens eſt. 34. uteri deſcribitur. 240. cauſæ hydropis aſciticæ matricis. ibid. cauſæ hydropis hydatidicæ. 242. hujuſmodi hydropis ſymptomata. 244. Diagnoſis. ibidem. Prognoſis. 245. Curatio. ibid. methodus aquas excernendi per uteri orificium. 248. tum uteri cum imi ventri hydrops conſequi poſſunt ſcirrhum uteri. 215. ovariorum. 269. tubarum. 273. morbus eſt pertinax, quomodo deſinat. 275. quando paracenteſis conveniat. 276
Hymenis exiſtentiam quales auctores defendant. 51. quales contendant. ib. hujus membranæ anatomica deſcriptio. 52. ejuſdem ſtructuræ varietates. ib.
Hypochondria qua de cauſa in chloroſi tendantur. 77

I

IMperforatio *vaginæ* quomodo Chirurgiæ auxilio, & quando ſcindatur. 58. cautelæ neceſſariæ in membranis profundioribus incidendis. ib. obſervationes neceſſariæ in iis operationibus peragendis. 60
Indigeſtiones quibus filiæ ſunt obnoxiæ ante primam menſium eruptionem. 19
Infartus diverſarum partium ante primam eruptionem. 19
Inflammatio uteri menſium ſuppreſſionem inducit. 27
Inflammatio uteri. Ved. *matricis inflammatio*; cauſæ generales omnium inflammationum tria ſtadia reſpiciunt. 168. in primo ſtadio *phlogoſis* appellatur. ib. in poſtremo inflammatio *ſyſtrophica* dicitur. ibid. in medio caſu *inflammatio* tantum nuncupatur. ib. ovariorum inflammatio. 269. tubarum. 273. hujus poſtremæ ægritudinis diagnoſis. 275
Injectiones uteri in menſium ſuppreſſione. 38. adſtringentes. 99. in hujus partis inflammatione quales. 176. peritia neceſſaria ne damnum inferant. 177 *veſicæ* in uteri inflammatione proponuntur. 180. efficaciores in uteri gangræna. 188. in uteri ulcere. 208. injectionum formulæ. ibid. injectiones deterſivæ. ib. dulcificantes. 221. 226. in canceroſa matrice conveniunt. 235. in vagina ad laxandum uteri orificium hydrope affectum. 250. ad uterum roborandum. 249. adſtringentes ad firmandum vaginæ fundum in uteri deſcenſu incipienti. 260. infirmiores tamen evadunt ſpongia applicata. 261
Inoculatio variolarum: ſynopſis hiſtorica originis, & progreſſus hujuſmodi praxis. 343. circa ejuſdem utilitates ambages exponuntur. 344
Jonſtonus, remedium quod propoſuit adverſus uteri inflammationem quando proſit. 181
Ipecacuanha verum remedium antidyſintericum, ejuſdem inventi hiſtoria. 341
Iteritia: quare cutis ſuperficies in hoc morbo fœdetur. 73
Juniperi baccæ ſtomachicum præſtant remedium. 80. ex iis compoſitus extractus, ejuſdemque uſus. 83

K

KArabe ſeu ambra lutea remedium eſt adſtringens ex quo trochiſci præparantur. 102. 103.

L

LAbefactatio virium in albo fluore ægras adoritur. 119
Lac æmulatur humor ſpecialis indolis quem peculiaria uteri vaſa ſecernunt: 4. quid præſtet. ib. quomodo hujuſmodi latex ſenſim in mammis, & utero a conceptione gignatur. 5. *brutorum* hæmorrhagias impedit. 106. in albo fluore uſuvenit. 116. ſucco naſturtii copulatum in eodem morbo prodeſt. 135. caprinum, & aſininum in uteri ulcere adhibetur. 206. 207. *aſininum* præſertim ſanguinis acrimoniam contundit. 218. in uteri cancro propinatur. 235
Lactuca planta dulcificans. 104. ejuſdem ſemina emulſiones intrant. ib.
Laudanum remedium vulnerarium. ib.
Lapis Hematites remedium adſtringens. 102
Lavendula in menſium ſuppreſſione præſcribitur. 45
Laxitas quare chloroticas mulieres vexet. 72
Lectio elata voce inſtituta menorrhagias producit. 89
Lentiſco (lignum de) remedium adſtringens. 102. & vulnerarium. 104
Lepræ origo. Illam Arabes Europeis communicarunt dum Galli eas regiones religionis cauſa ſæculo XI. & XII. armis aggreſſi ſunt. 310. abiit tandem 500. poſt annos. ibid.
Lethargia effectus eſt menſium ſuppreſſionis. 34
Leucophlegmatia effectus eſt albi fluoris in ſuppreſſionis aggreſſu occurrentis. ib. chloroſis ſymptoma. 78
Levvenhoeckius plures microſcopiorum ope

ope circa ſanguinis globulos obſervationes inſtituit. 74
Ligamenta lata & teretia uteri. 2
Limatura chalybis modice aperit, ejuſdem uſus, atque doſis. 83
Limoni ſyrupus quid præſtet, & quomodo adhibeatur. 105
Linguæ ariditas in inflammatione uteri obſervatur. 172. a quo procedat linguæ ſabura, qua obtegitur. ibid.
Litrii (D.) opinio circa catameniorum ſcaturigines. 7. ejuſdem circa id obſervationes. 7. 8
Lochia qualia vaſa ſuppeditent. 7 ſuppreſſa inflammationem uteri gignunt. 168
Lumbrici terreſtres in menſium ſuppreſſione exhibentur. 49
Lunæ Phaſes nihil influunt in catameniorum regreſſum. 12
Lympha mammaria, & uterina ſimiles ſunt. 4. *Lactea* ſecernitur ab uteri glandulis pubertatis tempore: 41. hujuſmodi ſecretio periodicam evacuationem gignit. ibid. modo deficiat deſunt menſes. 27. ejuſdem in utero inopiæ cauſa. ib. ea *ſanguinis* diſtinguitur in gelatinoſam craſſiorem, in lympham ſpiſſiorem, ea in gelatinoſam ſubtiliorem, aut lympham tenuiorem. 74. proprietates quæ indicant duplicem hanc lymphæ ſpeciem. ib. qua de cauſa inſpiſſetur in uteri tuberculis. 194

M

Macies effectus eſt hæmorrhagiæ. 91.
Macis remedium ſtomachicum. 82
Malacia ſeu guſtus depravatio ante primam menſtruationem ſupervenit. 19. a menſium ſuppreſſione producitur. 30. aut eorum retentione. 55. appetitum delet. 72. hujus phœnomeni explicatio. 76
Mammarum inflatio, atque tenſio prope menſes in juvenibus mulieribus præſertim apparet. 16. vel in menſium ſuppreſſione. 30
Martialia remedia ſcirrhos uteri ſolvunt poſt diluentes & emollientes adhibitos. 219
Marubium album in menſium ſuppreſſione locum habet. 47
Matrix remedium ſtomachicum. 83. adſtringens. 102
Matrimonii uſus pene certiſſimum eſt remedium filiabus catameniis deficientibus. 26. exercitium vaginæ vitia impedit. 54. menſtruum fluxum tute revocat. 70
Matricis deſcriptio generalior. 1. poſitus intra rectum, & veſicam. ibid. ejuſdem figura diverſa in filiabus, & mulieribus. ibid. partes & ligamenta. 2. orificium. ibid. vaſa arterioſa, venoſa, & lymphatica, nervi, tunica triplex. ib. ejus craſſitudo a tunica carnea præſertim procedit. ib. vaſa lactea & vermicularia uteri. 3. morbos, quos vaſorum eorum intumeſcentia inducit. 15. nimiæ uteri ſubſtantiæ denſitati, quæ primam eruptionem retardat, quomodo medeatur. 23. repentina uteri convulſiva conſtrictio ſtatim menſes intercipit: 28. quibus morbis in menſium ſuppreſſione uterus ſit obnoxius: 34. matricis ſtatus diverſas phœnomenorum varietates in ſuppreſſione oſtendunt. 77. ejuſdem exulceratio menſes nimios facit. 87. ulcera & ſciſſuræ, quæ in laborioſo partu eveniunt hæmorrhagiam inducunt. 89. doloris in utero poſitus ſedem oſtendit morbi. 91. matrix ſiſtalticis contractionibus fit obnoxia in tranſitu grummoſi ſanguinis. 92. dolet in albo fluore. 119 *matricis inflammatio*. 167. diverſi inflammationis gradus. ibid. ſigna, quæ illam prænunciant. ibid. ea vel univerſalis eſt vel partialis. 168. cauſæ generaliores inflammationis matricis. ib. cauſæ peculiares primæ claſſis. 169. ſecundæ claſſis. ib. tertiæ claſſis. 170. explicatio differentiarum hujuſmodi inflammationis. ibid. morbi ſymptomata. 171. ſympathiæ relaxationis uteri cum ceteris partibus. 172. hujus inflammationis diagnoſis. 173. ſigna ſpecialia, quæ ſingulas ſpecies inflammationis deſignant. ibid. quomodo

modo a poſitu atque dolore amplitudo, & ſedes inflammationis cognoſcantur. ib. morbi prognoſis. 174. quatuor deſinentiæ inflammationis. 175. per reſolutionem. ibid. gangrænam. ibid. ſuppurationem. ib. & indurationem. ibid. inflammationis uteri curatio juxta tres præcipuas indicationes. 176. venæ ſectio priorem potiſſimamque implet. ibid. falſæ ſunt contra indicationes hujus auxilii. ib. cautelæ generaliores in uteri inflammationis curatione neceſſariæ. 177. quietis reſpectu, & poſitus ægræ. ibid. regiminis reſpectu. 178. diureticorum, aut cordialium uſus. ibid. praxis erronea, aut ſuſpecta in uteri inflammatione a nonnullis propoſita. 179. matricis gangræna. 181 *vid. gangræna*: uteri deſcenſus hujus viſceria gangrænam inducit. 182. uſus venæ ſectionum in gangrænoſa diſpoſitione. 188. topica ſpirituoſa & irritantia in uteri gangræna. ib. quando conveniat gangrænæ abraſio. 190. *vid. amputatio*: uteri ulcus. 199. *vid. ulcus*: ſcirrhus matricis. 212. *vid. ſcirrhus*: cancer matricis. 230. *vid. cancer.* uterus tumens craſſitudinis parietum ergo partum plerumque conſequitur. 255. deſcenſus matricis. 256. *vid. deſcenſus*: hydrops uteri. 240. *vid. hydrops*: quando fas ſit conatibus aperitionem uteri hydropici promovere. 248. uterus in tympanitide a folle haud abſimilis eſt. 254. *vid. tympanitis*: amputatio corporis uteri. 259 *vid. amputatio*: decipiuntur ii qui negant uteri deſcenſum. 263. ſigna pathognomica hujus morbi. ib. amputatio interdum citra noxam patrata fuit. ibid. uteri obverſio morbus eſt deſcenſui valde abſimilis. 268. quando hujuſmodi ægritudo occurrat. ib. placenta violenter abraſa uterum obvertit. ib.

Medicinæ hiſtoria in quatuor Epochas diſtinguitur. 297. *prima Epocha*: ab ortus origine ad annum circiter 800. a C. N. ibid. pathologiæ conditio in hac Epocha. ib. pharmacia valde exculta fuit. 298. anatomia neglecta: ibid. *ſecunda Epocha*: medicinæ conditio poſt Imperii Occidentis deſtructionem. 307. decretum Ducis Monſpeſſulani anni 1196. qui permiſit indiſcriminatim omnibus nationibus in ea Civitate Medicinam docere. 308. origo Facultatis Monſpeſſulanæ. 309. *tertia Epocha*: medicinæ conditio poſt ſcientiarum reſtaurationem captumque Byzantium. 318. *quarta Epocha*: medicinæ conditio poſt inventam ſanguinis circulationem. 338. & ſeq. hujuſmodi artem perperam inconſtantiæ accuſarunt. 359. ejuſdem fundamenta præcipua eadem conſtanter fuerunt. ib.

Meliceris ſpecies tumoris eſt cyſtici. 222

Meliloti florum decoctio in albo fluore uſuvenit. 135

Meliſſæ aqua deſtillata præſtantiſſimum eſt ſtomachicum remedium. 83

Membrana, quæ vaginam intercludit menſes intercipit. 56

Menſes quare perdurationis reſpectu varient. 12. tria ſtadia præſeferunt, augmentum, ſtatum, & decrementum. 13. quando alternatim plus, minuſve uberrimi appareant: ibid. brutorum fœmellæ catameniis donantur ſuis indigentiis accommodatis. 17. ubertas menſium obvia minime a primitiva naturæ inſtitutione fortaſſe dependet. ibid. deſcriptio filiarum primæ menſium eruptioni obnoxiarum. 18. cauſæ, & ſymptomata menſium nimiorum, & crebrorum in juvenibus filiabus. 20. quando ſtomachi elaterium tantum reſtituere conveniat, dum menſium reſtitutio deſideratur: 25. remedia uſitatiora, quæ primam eruptionem promovent: 26. *difficiles*, & *laborioſi* menſes qualia phœnomena inducant. 61. cauſæ difficilis menſtruationis. ib. ſunt vitium ſanguinis. 62. vitium appendicum venoſarum. ibid. vel utraque cauſa una agens. ib. differentiæ indicantur. ibid. menſes difficiles filias magis quam mulieres infeſtant. 63. ſigna diverſarum cauſarum menſium laborioſorum. 64. eorum prognoſis. ibid. quomodo iis medeamur 65. cau-

65. cautelæ neceſſariæ, ibid. *menſes alio devoluti* deſcribuntur. 66. devolutionis cauſæ explicantur. 67. menſes devoluti irregulares ſunt, & niſi vaſorum ruptura eveniunt. 68. eorum ſymptomata, ib. Diagnoſis. 69. Prognoſis. ib. difficillime pertractantur. ratione habita menſium ſuppreſſioni per loca conferentia. 70. damna quæ afferunt partibus, quæ ſanguinis tranſitum morboſe ſinunt. ibidem. Curatio menſium devolutorum. ibidem. prior indicatio poſtulat reſtitutionem naturalis fluxus. ibid. altera eſt imminuere eorum effuſionem, quomodo id obtineatur. ib. tertia indicatio ad acrimoniam ſanguinis corripiendam attinet. 71. poſtrema indicatio reſpicit imminutionem menſium nimiorum alio devolutorum. ibid. *vid. fluxus menſtruus, & menſtruatio*: menſes retinentur vitio conformationis. 50. *vide imminutio menſium*: menſes ſuppreſſi, vide *ſuppreſſio*; menſium vitia chloroſim potiſſimum inducunt. 72. *menſes nimii* quid ſint. 86. differentia hujus ſtatus ab uteri menorrhagia: ibid. menſes nimii evadunt vel crebrorum regreſſuum ergo, vel fluxus diutinis, vel fluxus copiæ ratione. ibid. vel dum eæ circumſtantiæ invicem copulantur. ib. quando morbum referant difficillime determinatur. ib. eorum cauſæ generales. 87. cauſæ eorum qui crebro revertuntur. ib. eorum qui diu perdurant, atque eorum, qui nimis uberrimi effluunt. ibid. explicatio differentiarum inter menſes immodicos, & ſanguinis jacturam. 90. prognoſis menſium nimiorum: 95. illorum curatio. ibid. *menſes* tandem *ceſſant*, & phœnomena nonnulla inducunt. 139. qua de cauſa abeant. 140. ſymptomata diverſa quæ menſium ceſſationem ſubſequuntur. ibid. hujus morbi Diagnoſis. 153. quomodo diſtinguatur menſium ceſſatio a morboſa ſuppreſſione ib. quomodo a ſuppreſſione gravidarum. 144. Diagnoſis differentiarum conditionis uteri, ejuſdemque vaſorum in menſtruorum ceſſatione. ib. Prognoſis. 145. eo collineat ut phœnomena cuique ſpeciei ſuppreſſionis propria rite diſtinguamus. ibid. Curatio in menſium ceſſatione. 146. cautelæ neceſſariæ in hujuſmodi morbi pertractatione. 147. menſes in quibus circumſtantiis perſiſtant, aut deſiſtant utero ſcirrho affecto. 215. in tympanitide ſupprimuntur. 251

Menorrhagia ſive uteri hæmorrhagia futurum abortum prænunciat. 7. menorragia quid ſit. 86. effectus eſt abortus. ib. modo abundans ſit, *hæmorrhagia* uteri vocatur. ib. ſi modica, uteri *ſtillicidium*, aut *ploratus*. ib. hujus morbi cauſæ. 88. quomodo diſtinguatur hæmorrhagia a nimio menſium profluvio. 90. hæmorrhagiæ ſymptomata. 91. Diagnoſis generalior, quæ naturam morbi reſpicit. 93. quæ ſpecies. ib. quæ cauſæ. ibid. atque diverſus poſitus. 94. Prognoſis. 95. in vetuſtiori affectione magis teterrima. ibidem. anibus magis infeſta. ibid. indicationes curativæ quæ ad varios caſus attinent. ib. Curatio efficacior uberioris ſanguinis jactura. 96. hæc poſtulat remedia adſtringentia. 97. quomodo exhibeantur. ibid. narcotica uſuveniunt. 98. quomodo agant in iis circumſtantiis. ib. vitæ regimen in hoc morbo magis idoneum. ib. potus quotidianus. ibid. ptiſana quæ magis convenit, in ſolutione, aut rareſcentia ſanguinis. 98. 100. modica ſanguinis jactura, aut uteri *ſtillicidium* 100. ex ſe morbum conſtituit, aut ſymptoma. ib. in hoc morbo venæ ſectionis, aut catharſis uſus. ib. *vid. ſtillicidium* methodus præcavendi menorrhagiæ regreſſum. 106. cautelæ in hoc morbo magis neceſſariæ. 107. detrimenta quæ inducunt cita nimis hæmorrhagiæ ſiſtentia. ib. Saturni præparationes tum pro injectionibus cum uſu interno valde ſuſpecta ſunt in uteri hæmorrhagia. ib. circa hoc remedium Boerrhavii judicium. 108. quando emetica ſint purgantibus anteponenda, & contra. ib. compoſitio cataplaſma

plaſmatis cujuſdam adverſus ſanguinis jacturam a nonnullis auctoribus commendata : 110. remedia minus tuta a nonnullis propoſita . 111. in uteri inflammatione minime ſiſti debet. 179. *vid. hæmorrhagia*.
Menſtrua: Freindi ſententia circa ea redarguitur. 10
Menſtruationis leges . 9. ſymptomata : 15. uſus : 16. hic impeditur vaginæ adhæſione: 54. *vid. fluxus menſtruus, & menſes*.
Menſtruus ſanguis a venoſis uteri appendicibus procedit. 3. hujuſmodi appendices deſcribuntur. ib.
Mentha planta ſtomachica. 83
Mercurialis in menſium ſuppreſſione adhibetur. 47
Mercurialia remedia ſcirrhos uteri ſolvunt præmiſſis præmittendis. 219
Mercurium nocet in ulceribus internis: 110. quomodo exhibeatur ut in uteri ulcere hujuſmodi detrimentum caveamus. ib.
Metromania ſeu furor uterinus. 148
Millefolium planta adſtringens. 101. ejuſdem ſyrupi. 103. aut aquæ diſtillatæ uſus. 124
Millii decoctio in albo fluore commendatur. 135
Millepedes remedium ſolvens & aperiens. 130
Minorativa in uteri inflammatione uſum habent. 178
Moſchus in vapore hyſterico utiliter exhibetur. 294
Morgagnus nonnulla obſervavit circa originem catameniorum. 7. 8
Mors in quo conſiſtat, ſeu partium maceratio. 182. *vid. gangræna adparens* in tertio gradu hyſterici vaporis frequens . 273. 283. qualia ſigna diſtinguant mortem certam ab adparenti. 287
Mulieres & filiæ ſuſpectæ ſunt circa ea quæ de menſium ſuppreſſione narrant. 79. deſides fiunt immodicis menſibus obnoxiæ. 87. ætate conſiſtentes ſecundum naturæ leges menſibus deficiunt: 26. quam patiuntur ſuppreſſionem mulieres geſtantes non naturalis eſt. ib. quæ nunquam conceperunt magis laborioſis corripiuntur menſibus, quam eæ, quæ pepererunt: 64. *ſilveſtres* paucis vel nullis menſibus gaudent. 17 ruſticæ, & defatigatæ quare minus menſtruo fluxui obnoxiæ ſint : 14. quomodo menſtruent. 17
Moſchata nux remedium ſtomachicum. 83
Myrrha, in ſuppreſſione adhibetur. 47 remedium ſtomachicum. 83. & vulnerarium : 104. tinctura myrrhæ commendatur in albo fluore. 135
Myrti folia adeo adſtringunt. 101. baccæ idem praſtant. 102. ex iis ſyruppus conficitur. 103

N

NAboth Medicus Lipſienſis veſiculas ſphæricas tunicarum uteri pro ovulis habuit. 2
Narcotica quando in menſium ſuppreſſione ſpecifice agant: 38. eorum in menſibus laborioſis uſus : 66. quid præſtent in uteri hæmorrhagia : 98 quid in albo fluore laticinoſo tenuiori humore donato. 126. quid in palliativa curatione albi fluoris . 133 ipſa exhibentur in uteri inflammatione. 177. in ſcirrho dolente. 221 in palliativa cancri curatione . 235 in hyſterico morbo. 293
Narium hæmorrhagia periodica ſymptoma eſt menſium devolutorum. 67
Nationes cultæ mulieres habent uberrimis, & laborioſis magis menſibus donatas, quam ſilveſtres. 17
Naturæ Hiſtorici errarunt deleteriæ indolis qualitates menſtruo ſanguini tribuendo. 14
Nuces cupreſſi adſtringunt. 102. *gallarum* idem. ib.
Nucum flores in pulverem redacti adverſus ſanguinis jacturam exhibentur. 110
Nucum juglandium decoctio proponitur ad abluenda ulcera matricis. 211
Numularia planta adſtringens. 101
Nutrices menſibus carent: 6. quare: 14 menſium ſuppreſſionem patiuntur, quæ *non naturalis* vocatur, ut a morboſa ſuppreſſione diſtinguatur : 26. quæ ab opere lactationis deſiſtunt menſibus nimiis fiunt obnoxiæ. 87

Nu-

Nutrientia farinacea, & incraſſantia valde proſunt. 132
Nymphea remedium dulcificans: 104

O

OBſtructio uteri ſcirrhoſa, ejuſdem in filiabus diſpoſitio. 20. menſes intercipit: 27. vel ſuppreſſionem conſequitur. 34. *viſcerum* qua de cauſa producatur: 77. qua ratione abdominis viſcera menorrhagiæ cauſa obſtruantur. 92. conſequitur albos fluores, 119. in uteri obſtructionibus remedia magis idonea. 130
Odores graveolentes in menſtruorum ſuppreſſione utiles evadunt. 35
Oedema crurum in uteri hæmorrhagia quomodo producatur. 92. in chloroſi a quo procedat. 78. faciem noctu præſertim adoritur, crura vero in die deturpat, harum differentiarum explicatio: ibid. remedium præſtans adverſus anaſarcam in albo fluore ſupervenientem. 85. vultus oedema albos fluores comitatur. 119. pedum, & crurum Oedema pallorem comitatur. 72. vultus intumeſcentia noctu apparet. 92
Oleum amygdalarum dulcium in uteri inflammatione potiſſimum evadit. 176
Operatio Cæſarea in tubarum geſtatione uſuvenit. 276
Opiata emmenagoga qua ratione conficiantur. 42
Opiatum Salomonis remedium ſtomachicum. 83
Oſſa humana calcinata proponuntur in uteri hæmorrhagiis, ſed fruſtranea evadunt. 111
Os ſepiæ remedium adſtringens. 102
Oſtiakes Siberiæ populi qui adverſus luem Veneream ſublimatum commedunt. 236
Ovorum teſta calcinata remedium adſtringens. 102. *luteum* in uteri hæmorrhagiis valde prodeſt. 109
Ovariorum ſtructura. 268. *morbi*. ibid. ovaria inflammatione, abſceſſu, & gangræna corripi poſſunt. 269. ſcirrho, & cancro. ibid. vel hydatidibus. ibid. aut hydropi ſaccatæ fiunt obnoxia. ib. concepto interdum embrioni locum præſtant. ib. tumores cyſtici efformant. ib. cauſæ explicantur inflammationis eorum: 270. ſcirrhi. ib. hydatidum, hydropis ſaccatæ, & præternaturalis conceptionis. 271. qualem morbum inducat in hac parte fœtus corruptio. ib. difficillime morbus dignoſcitur. 272. Prognoſis. ibidem. Curatio. ib. remedia in hoc caſu indicata. ibid. remedia interna: ib. potio in ovariorum hydrope utiliſſima. ib.
Ovum in utero fœcundatum naturaliter menſtruum fluxum intercipit. 28

P

PAllidi colores primam menſium eruptionem præcedunt. 22. hujus ſtatus Prognoſis. 23. iis ſtomachicis medetur: 25. conſequuntur menſium ſuppreſſionem. 34
Pallidi colores conſequuntur uteri tympanitidem. 251
Pallidi colores alias *chloroſis*. 71. hujus morbi deſcriptio: 72. 200. ab hinc annis inter ſpeciales mulierum morbos recenſentur. ibid. eorumdem cauſæ. 73. ab amiſſo ſanguinis colore procedunt. ib. cauſæ quæ producunt vultus pallorem in ſuppreſſione, ſegnitie, aut imminutione catameniorum. 75. ſymptomata. 76. diagnoſis. 79. pleraque eorum ſymptomata æmulantur paſſionem hyſtericam. ibidem; ii geſtationem comitantur, ſedulo enim diſtinguere oportet hujuſmodi morbum a præternaturali ſuppreſſione. ibid. eorum Prognoſis. ib. recentes plerumque detrimento expertes ſunt. 80. ægrarum inobedientia plerumque difficiliorem reddit valetudinem. ib. quando pallores maximum damnum inferant. ib. Curatio. ib. ii pallidi colores qui geſtationem ſubſequuntur, nullum remedium poſtulant. ib. cautelæ in hoc caſu neceſſariæ. ibid. Curatio palliativa. 82. quando morbus catharſim exigat. ib. in eo aperientium uſus: 83. matri-

trimonium efficaciſſimum remedium. 85. quare opus ſit interdum in hoc morbo remedia mutare. ib.
Pallor faciei a quo dependeat. 73. macies ſimul & pallor ſunt ſymptomata albi fluoris. 118
Palpitatio in chloroſi occurrit. 72
Pancreaticus ſuccus quid præſtet in chyli formatione. 74
Pareus Ambroſius celebris Chirurgus ſæculi XVI. in ſuo Tractatu de hominis generatione, de partu, & nonnullis mulierum morbis egit. 326. ejuſdem obſervationes circa uteri amputationem. 263
Partus laborioſus fit vaginæ conſtrictionis ergo. 55. primus partus in mulieribus omnia uteri vaſa reſerat. 26. quando id proſit. ib.
Partus, & abortus quomodo menorrhagiam inducant. 90. crebri partus vaginæ deſcenſum faciunt. 264
Paſſio hyſterica a menſium ſuppreſſione originem ducit. 31
Paſſio hyſterica perbelle deſcribitur. 276 irregulariter revertitur. ib. phœnomena quæ ipſa producit. ibid. quatuor potiſſima phœnomena. 277. cauſæ paſſionis hyſtericæ. ib. tripliciter conſideratur. ibid. modo convulſiva eſt. 278. modo ab animalibus ſpiritibus dependet. ib. modo uterus morbi ſedes eſt. ibid. hujuſmodi principia demonſtrantur. ib. verum oſtenditur diverſas partes ſympathiæ uteri legibus agitari. 279. cauſæ conſtantes hujus morbi. ib. quomodo variabiles commotiones producat. 280. præ ceteris mulieres hyſterico morbo ſunt obnoxiæ. ib. cauſæ quæ inducunt, & quæ ſiſtunt hyſtericos vapores. ib. ſymptomata paſſionis hyſtericæ magis obvia. 281. dependent a ſympathica uteri affinitate. ibid. quatuor ſymptomata-pathognomonica deſcribuntur. ibid. ea enunciantur quæ abdomen reſpiciunt 282. quæ ſtomachum. ibid. quæ caput. 283. & quæ totum corpus reſpiciunt. 285. diagnoſis hyſtericæ paſſionis 286. difficillima cum morbus tertium gradum attigerit. ib. prognoſis. 288. diſtinguitur in illam quæ citra damnum curationem amittit. ibid. in alteram ſpeciem valde interdum periculoſam. ibid. curatio generalior. ibid. intra paroxiſmum. 289. extra paroxiſmum. 292. auxilia externa ex parte uteri adverſus vapores hyſtericos. 290. praxis obvia mulierculorum aſpernatur. 292
Pediluvia in ſuppreſſione utilia. 35. vix proſunt in chronica menſium ſuppreſſione. 43. in chloroſi quomodo agant. 82. frigida in uteri hæmorrhagiis adhibentur. 100
Pedum œdema uteri ſcirrho laborantes infeſtat. 215
Peritoneum externam uteri tunicam ſuppeditat. 2
Perlæ inter media adſtringentia recenſentur. 102
Pervigilium inflammationis uteri effectus. 172
Pervinca planta adſtringens. 101
Peſſaria medicamentoſa a genuina praxi adverſus menſium ſuppreſſionem proſcribuntur. 38. peculiaris generis filiarum vulvæ appoſita; cur *naſcalia* dicantur. 44
Peſſaria adſtringentia in uteri hæmorrhagia conveniunt, qualia damna interdum inferant. 99. quomodo fabreſiant. ib.
Peſſaria ſeu uterina orbicula quid ſint. & quomodo patrentur. 261. quomodo applicentur. ibid. qualia detrimenta afferent modo incomplete conſtruantur. 262. ex pulpa plantarum emollientium confecta in uteri inflammationem adhibentur. 177
Peyerus quid cogitaret circa menſium ſcaturigines. 6
Pharmacia a recentioribus valde exculta. 341
Phlogoſis primus gradus inflammationis eſt. 168
Phthiſis teterrimum eſt palloris phœnomenon. 84. ſigna quæ illam prænunciant. ibid. curandi methodus. ib. venerea mercurialibus frictionibus compeſcitur. *Vid. frictiones*.
Phytolaca ſpecifice proponuntur adverſus cancrum. 238

Pica, ſeu guſtus depravatio primam eruptionem præcedit. 19. vel menſium ſuppreſſionem, aut deficientiam menſtrui fluxus conſequitur. 30. 55. appetitus depravatus idem ſonat. 72. quid hoc phœnomenon inducat. 76
Piloſella planta adſtringens. 101
Pilulæ anthyſtericæ. 36, Elvetii adverſus hæmorrhagiam quomodo præparentur. 109. Hoffmani utiliter uſuveniunt in hydrope affectis. 248
Pimpinella planta adſtringens. 101
Pineola decocta in albo fluore conveniunt. 134
Plantago planta adſtringens. 101. ex ea aqua deſtillata. 103. ſyrupus. ib.
Plenitudo uteri localis potiſſima eſt fluxus menſtrui cauſa. 9. quomodo autumaſſent hujuſmodi plethoram gigni. ibid. rationes, quæ vulgarem vaſorum ſanguineorum uteri deſcriptionem oppugnant. ib.
Plethora localis, quæ in utero fit ab univerſali plenitudine non dependet. 10. teterrima phœnomena quæ conſequi poſſunt univerſalem plethoram a menſium ſuppreſſione natam. 34. maxima plethora menſium devolutionem interdum inducit. 68. vera, & ſpuria producunt menſes nimios. 87
Plumbi præparationes intus ſumptæ ſuſpectæ evadunt. 112
Polypharmaciæ abuſus. 308
Polygonum planta adſtringens. 101. ex ea aqua deſtillata. 103
Portulaca planta dulcificans. 104. ejuſdem ſemina emulſiones intrant. ib.
Porrum, planta quæ adverſus menſium ſuppreſſionem commendatur. 47
Potiones emmenagogæ quæ ratione conficiantur 42. anthyſtericæ 290. catharticæ conveniunt in hyſterico morbo. 293
Potus in ſanguinis hæmorrhagiis magis idoneus. 98
Praxis ſuperſtitioſa ad ſanguinis jacturam ſiſtendam. 113
Præparationes martiales deobſtruentes ſunt mercuriales, non catharticæ; idem præſtant in uteri ſcirrho. ib.
Prolapſus uteri eſt albi fluoris ſymptoma. 124
Ptiſana ſudorifera, & cathartica in albo fluore magnopere commendata. 134
Pubertas: quid tunc temporis natura agat intra uteri, & mammarum vaſa in filiabus. 4
Pulmones in chloroſi infarciuntur. 77
Pulmonaria, planta adſtringens. 93
Pulmonia, *vide phthiſis*.
Pulſus quare exigui, & frequentes in chloroſi appareant. 77
Pulveres emmenagogæ qua methodo exhibeantur. 42
Pulvis aperiens in chloroſi laudatus. 84. cornachinus hydragogus putatur. ib.
Purgantia ſtimulantia quando in ſuppreſſione conveniant. 43. in depravato appetitu exhibentur. 81. horum remediorum in chloroſi delectus. 82. uſus in quibuſdam menorrhagiis. 108. in hoc neceſſariæ cautelæ. ib. qualia vero in menorrhagiis ſeligantur. 108. *hydragoga* in uteri hydrope. 248
Purgare fruſtraneum eſt plerumque in uteri hæmorrhagiis. 97. quando id conveniat. ib. neceſſum erit in uteri ulcere. 206. vel dum ſolventia exhibentur remedia. 220
Pyrola, planta adſtringens, quomodo exhibeatur. 101

Q

Quercus folia tenella adſtringentia ſunt. 101. 103
Quies neceſſaria evadit in uteri hæmorrhagia; quare ægræ continenter lectulo detineri debent. 96. 106
Quinquefolium, planta adſtringens radix. 101. & folia ſubveniunt. ib.
Quinquina, animadverſiones circa ejuſdem uſum gangrænam adverſus. 203. exhibendi ratio. 191. novum remedium, ejus brevis hiſtoria. 341

R

Radices aperientes quando adhibeantur. 30
Ranæ exſiccatæ, & combuſtæ pro ſuffumigiis in uteri ſtillicidio proponuntur. 105
Remedia uſitatoria quæ primam menſium

ſium eruptionem promovent. 26
Renum dolores quomodo inducant uteri plethora. 15
Regimen vitæ chlorothicis idoneum. 82 quale conveniat in uteri hæmorrhagia. 98. quale in menſium ceſſatione. 122
Repercutientia frigida in uteri inflammatione valde nocua evadunt. 180
Reſinæ quid præſtent ad ſolvendas uteri obſtructiones. 131
Reſpiratio difficilis in plethoricis mulieribus prope menſes qua de cauſa appareat. 16. crebra ante primam ſanguinis eruptionem. 19
Reſpiratio difficilis in chloroſi. 72. qua de cauſa. 77. exercitio corporis nimio augetur. ib.
Reſolventia remedia in inflammatione adhibentur. 178. hujus generis cataplaſmata in uteri ſcirrho præſcribuntur. 220
Reſolutionem (in) deſinit fortuna ſecunda uteri inflammatio, quando id contingat: 175. quid fieri oporteat in uteri inflammatione incipiente, vel confirmata. 178. quomodo in tumoribus reſolutio obtineatur. 217
Reticularis membrana diaphanis ſcatet vaſis. 73
Ribeſiorum ſyrupi uſus. 105
Riverius quando ipſe præſcribat venæ ſectionem ex brachio potius quam ex pede menſium revocandorum cauſa. 26
Roſæ rubræ adſtringentes ſunt. 101. ex iis aqua deſtillata 103. tinctura & ſyrupus. ib.
Roſmarinus in menſium ſuppreſſione commendatur. 45
Retentio menſtruorum morbus eſt a ſuppreſſione prorſus diverſus. 56. ejuſdem ſymptomata deſcribuntur. 55
Rotulæ cordiales & aperientes primam eruptionem promovent. 26. aperientes & catharticæ idem præſtant. ib. qua ratione conficiantur. 42
Ruſchwort (D.) Chirurgus in Northampton primus qui adverſus gangrænam Quinquinam exhibuit. 190

S

Sabina, remedium ſuſpectum adverſus menſium ſuppreſſionem. 48
Sagou pulpa incraſſans arboris cujuſdam exoticæ. 132
Sanchez (D.) Medicus Luſitanus: ejuſdem obſervationes ad luem veneream compeſcendam ſublimati corroſivi ope. 236
Sanguificatio, aut chyli in ſanguinem methamorphoſis, quomodo fiat. 75
Sanguis in chloroſi decolor fit. 73. quomodo ejuſdem naturalis color deturpetur. ib. cruoris analyſis. ib. ex quatuor ſubſtantiis conflatur. 74. qua de cauſa rubrus appareat: ibid. pars ejuſdem colorata decima aut duodecima eſt totius maſſæ. ibid. cruoris globuli quomodo efformentur. ibidem. eorum numerus atque tenuitas a quo dependeant. 75. perfecta ſanguinis circulatio chyli, aut novi ſanguinis completam reproductionem fovet. ibid. cruoris denſitas, & phœnomena hic ſuperventura. 77. ejuſdem rareſcentia, quæ conpeſcitur ſpeciali indicata decoctione. 98. remedia magis idonea, quæ ſanguinem ſolvunt. ib.
Sanguinis hiſtoria, ſive ejuſdem circulationis inventum. 338
Sanguis Draconis remedium adſtringens. 102
Sanguis menſtruus qua natura polleat, 6. ab arteriis prodit, aut a venis? 8. lympha lactea remiſcetur. 11. ex vaſis ſanguineis in lymphaticam minime irrumpit. ibidem. neque illum ſciſſuræ vaſorum effundunt. ibidem. copia variat. ibid. plerumque inter octo, & ſexdecim uncias conſiſtit. 13. erronea eorum ſententia, qui credunt deleteriæ indolis qualitatibus ipſum pollere. 14. eruptionem præcedit, & ſubſequitur lymphaticum effluvium. ibid. hujuſmodi ſanguis fœtum alit. 16. idem ex menſtruata muliere deſumptus adverſus menſium ſuppreſſionem remedium præſtare autumant. 50

Sanicula planta vulneraria. 104
Santala idem præſtant. 102
Salſæ-parillæ decoctio appendicum venoſarum elaterium reſtituunt. 106
Saponaria remedium in albo fluore commendatum. 135
Sal de duobus remedium diureticum in albo fluore. 126. *Glauberi* idem. ib. Martis *Riverii* remedium aperiens. 83
Salia ſolventia in uteri ſcirrho præſcribuntur. 219
Sarcoma vaginæ cauſtico abraditur. 230
Scabioſa planta vulneraria. 264
Scarificationes quando conveniant in uteri gangræna. 188
Schurigii opinio circa menſium ſcaturigines. 7
Scilla remedium diureticum. 126
Scorbutus minime novus eſt morbus. Germanici acies trans Rhenum miſſa eo correpta fuit. 320. ad littora Baltici Endemius eſt, interdum comitatur paupertatem, & ſordes. ib.
Scorzoneræ decoctio in pallido colore commendatur. 84
Semina frigida qua doſi emulſiones intrent. 104
Serpentaria virginiana in menſium ſuppreſſione remedium ſuſpectum. 26
Singultus uteri inflammationis ſymptoma. 173
Simarouba novum remedium, ejus inventi hiſtoria, & utilitates. 342
Scirrhus uteri ſuppreſſionem gignit. 27 menorrhagiam inducit. 89
Scirrhus matricis cum ſuis differentiis deſcribitur. 212. ſcirrhus in genere quatuor charactères potiſſimum oſtendit. ibid. cauſæ. 213. rationes, quæ demonſtrant ipſum a ſanguinis congeſtione minime oriri poſſe. ib. lymphæ congeries, aut humoris lacticinoſi duplicem ſcirrhi ſpeciem producit, modo lymphaticum, modo lacticinoſum. ibid. cauſæ generales ſcirrhi efficientes. ibid. cauſæ occaſionales, ſeu locales; ibid. ſunt vitium venereum. ib. uſus nimius injectionum adſtringentium. ibid. frigus nimium fluente menſtruo, aut lochio de repente ſuperveniens. ibid. uteri obſtructio. ibid. explicatio differentiarum. 414. inter eas differentias ſunt ſcirrhus lymphatico lacticinoſus. ib. totalis, vel partialis. ib. perfectus & legitimus. ibid. ſpurius, ſeu imperfectus: ib. œdematoſus, & phlegmonoſus. ib. hujus morbi ſymptomata. 215. Diagnoſis. 216. rite diſtingui debet ab hydrope, geſtatione, aut mola. ibid. ſigna diagnoſtica diverſarum ſpecierum. ibid. Prognoſis generalior. ib. ſpecialior vaginæ, atque vulvæ. 217. curatio generalior. ibid. quatuor potiſſimæ indicationes. ibid. duplex indicatio quam implere debemus in palliativa ſcirrhi curatione. 220. methodum quam proſequi fas erit, ne ſcirrhus in cancrum degeneret. 221. remedia ſpecifica ad uteri ſcirrhum reſolvendum ſpecifice præſcripta. ib.
Scirrhus ovariorum. 269
Smaragdia remedium in uteri hæmorrhagiis valde incertum. 113
Solventia externa. 220. interna quid præſtent, & quando conveniant. 219
Somno quare chloroticæ valde obnoxiæ fiant. 78
Sopor quare prope menſes aggrediatur 16. a ſuppreſſione lethargum æmulatur, ipſum adverſus remedia magis idonea. 36. in pallore obvium eſt phœnomenon: 72. effectus eſt febris ſymptomaticæ in uteri inflammatione ſupervenientis. 172
Souci quid præſtet in menſium ſuppreſſione. 95
Sperma ranarum & ejuſdem aqua deſtillata remedium præſtat adſtringenti facultate donatum. 103
Specilium quando intromitti debeat ad inquirendum uteri ſtatum. 249
Sphacellum uteri. 181. *vide gangræna*.
Spica Nardus remedium cujus virtus in uteri hæmorrhagia admodum ſuſpecta eſt. 111
Spigelii obſervationes circa catameniorum ſcaturigines. 7. 8
Splen Bovis in menſium ſuppreſſione uſu venit. 47
Splen in ægrotantibus mulieribus chloroſi affectis tumet. 77
Spongia adſtringenti decoctione imbuta

ta vaginam roborat in incipienti deſcenſu. 261
Stannum calcinatum adhibetur in ſanguinis amiſſione. 111
Sterilitas effectus menſium ſuppreſſionis. 35. effectus veterrimæ chloroſis. 80. albi fluoris ſymptoma. 119. ob ſtructionem tubarum conſequitur. 177
Sternutatoria in ſuppreſſione conveniunt. 43. in uteri abſceſſu rupturam fovent. 199
Steatoma ſpecies eſt tumoris ciſtici. 222
Stillicidium uteri ab atonia aut laxitudine appendicum venoſarum dependet. 100. remedia adſtringentia tunc magis idonea. 101. in hoc caſu vitæ regimen. 106
Stomachica dulcia digeſtionem fovent; ſimpliciora, & compoſita magis exponuntur, eorumque doſes. 82
Stomachus qualia remedia ipſum roborent. 25. ſymptomata quibus ſit obnoxius in chloroſi. 76. Qua de cauſa in hoc morbo tumeat. ibid.
Stoerck (D.) Opus circa cicutæ exhibitionem cancrum adverſus. 230
Stranguria, aut mingendi difficultas in inflammatione uteri obvia. 269
Sublimatum corroſivum limatura ferri pp. adverſus albos fluores ſpecifice commendant. 137. Qualia damna inferat. ib. Mercurio vivo, & Scamonio copulatum in albo fluore ſuſpectum evadit. ibid. Idem pro injectionibus præſtat. 138
Succi depurati plantarum apozematis anteponuntur. 97
Sudores nocturni in chloroſi, & in omni morbo malum prænunciant. 84
Sudorifera in curatione fluoris albi lacticinoſi conveniunt. 126
Suffocatio hyſterica. 276
Vide Paſſio hyſterica.
Suffumigia humida in menſium ſuppreſſione conveniunt. 38. 43. Formulæ decoctionum pro hoc ſcopo. 43. qualia eorum in uteri ſtillicidio conveniant. 106. ſicca adverſus uteri morbos quomodo parentur. ibid. Ad uteri elaterium reſtituendum qualia patrentur. 107. humida in uteri ulceribus. 208 reſolventia in uteri ſcirrho. 220. 221 in uterum intromittuntur. 226. intra vaginam. 248. ſicca commendantur adverſus incipientem uteri deſcenſum. 260
Sumach planta coriaria, remedium adſtringens. 102
Suppoſitoria. 199
Suppreſſio menſium diſtinguitur in naturalem, non naturalem, & præternaturalem. 26. tres diverſas cauſas reſpicit. 27. videlicet uteri morbos. ibidem. vitium lymphæ lacticinoſæ. ibid. quia hujuſmodi lympha ex vaſis vermicularibus effugit, fluoreſque albos producit. 28. vel defectum appendicum venoſarum. ibid. aut convulſivam uteri contractionem. ibid. denique ſuppreſſiones animi pathemata pro cauſa recognoſcunt. ibid. lentum ſanguinis circulum, aut vaſorum laxitudinem. ibid. ſuppreſſio vel de repente. 29. vel paullatim aggreditur. ibid. interdum in menſium ſuppreſſione albi fluores naturæ officium implent. ibid. ſuppreſſio hujuſmodi fluore orbata. ibid. quæ dolore, & tenſione uteri expers eſt, quæque utrumque comitem habet. 30 differentiarum explicatio. ib. ſymptomata diverſa, quæ hujuſmodi ſuppreſſionis ſpeciem comitantur. ibid. ſymptomata repentinæ ſuppreſſionis. 31. ſigna quæ indicant geſtationis ſuppreſſionem. 32. cautelæ neceſſariæ in iis ſuppreſſionibus pertractandis, quæ ſuſpectas mulieres adoriuntur. ibid. quam methodum medicus proſequi debet dum mulieres pertractat ætate conſtitutas. 33. diverſæ ſuppreſſionis ſpecies, & peculiares cauſæ. ibidem. utriuſque ſpeciei prognoſis. 34. teterrima phœnomena in repentina ſuppreſſione occurrentia: ib. ratio medendi hanc ſuppreſſionis ſpeciem dum fluente ſanguine occurrit. 35. menſium ſuppreſſio, quæ extra tempus ſupervenit, quæque quatuor caſus complectitur. 36. tres potiſſimas indicationes, quas medicus in menſium ſuppreſſione implere debebit. 37. remedia quæ denſum uteri contextum relaxant. ib. cautelæ in hoc morbo neceſſa-

ceſſariæ. 44. remedia minus tuta in hoc morbo commendata. 48. menſium ſuppreſſio interdum ſanguinis jacturam inducit. 89
Suppuratio uteri in quibus circumſtantiis appareat. 175. mechanicæ in utero ſuppurationis leges. 193
Sympathiæ leges inter mammas & uterum conferentes. 4. illa uteri cum diverſis corporis partibus in matricis præſertim inflammatione locum habet. 172
Syncopes frequentes ſunt in uteri hæmorragia. 84. hyſtericæ ſigna. 276

T

TAbula chronologica auctorum qui de morbis mulierum ſcripſerunt. 297
Taliſmana ſuperſtitionis ergo uſu veniebant. 298
Tartarum Martiale ſolubile remedium aperiens. 84
Teneſmus hæmorrhagiam uteri inducit. 90
Terebinthina remedium adſtringens. 702 in albo fluore quomodo adhibeatur. 134
Terra ſigillata remedium adſtringens. 102
Theriaca remedium ſtomachicum. 83
Tinctura Martis remedium aperiens. 84
Topinambous mulieres nullis, vel paucis menſibus laborant. 17
Tormentilla planta adſtringens. 101
Transfuſionis ſanguinis hiſtoria, origo, & proſcriptio. 343
Trillerii diſſertatio adverſus inveterati cancri amputationem. 238
Trochiſci Catechu remedium adſtringens. 103. Gordoni idem. ibid. de Carabe idem. ib.
Tubæ Fallopianæ ovaria attingunt. 2 deſcribuntur. 273. ovariorum morbis ſunt obnoxiæ. ibid. ſimilibus de cauſis. 274. diagnoſis niſi incerta præbet indicia. 275. tubarum ægritudinum curatio. ib.
Tubercula ſeu abſceſſus tuberculoſi uteri. 194. eorum natura. ib. diverſus poſitus. ib. triplex ſpecies tubarculorum uteri. ib. quomodo lympha, & lac uterinum id producant. ib. quomodo ſuppuratio in iis circumſtantiis producatur. 195
Tumores cyſtici uteri, & vaginæ. 222 cauſæ. 223. ſymptomata. 224. diagnoſis. ibid. quomodo diſtinguantur ab hydrope, aut geſtatione. ibidem prognoſis. 225. curatio. 226
Turtur qua ratione in pulverem redigatur, & adverſus menorrhagiam adhibeatur. 110
Tuſſis frequens moleſtum chloroſis ſymptoma. 84. quomodo compeſcatur. 85
Tympanitis uteri deſcribitur. 249. cauſæ tympanitidis veræ, aut permanentis. 250. *ſymptomata*. 251. ea vel ſicca eſt. ib. vel humida. ibid. hujus morbi diagnoſis. 252. prognoſis. ib. curatio eo collineat, ut aer per uteri orificium exeat. 253. ſpecilli intromiſſio valde prodeſt. ibid. cautelæ neceſſariæ. 254. tympanitis pervaga in mulieribus, quas pudet morbum fateri, communis eſt ægritudo. ibid. prognoſis, & curatio ejuſmodi morbi. ib.

V

ULcera uteri albos fluores conſequuntur poſt menſium ſuppreſſionem occurrentes. 34. menſes ſiſtunt. 27 menorrhagiam inducunt. 89. quæ ſigna illa prænuncient in albo fluore. 124
Ulcus uteri deſcribitur. 199. hujus morbi cauſæ. 200. Differentiæ cauſæ immediatæ ergo. 201. cauſæ antecedentis reſpectu. ibid. poſitus cauſa. ib. qualitatis rationa. ib. extenſionis reſpectu. ibid. propinquitatis partium vicinarum ergo. ib. ulceris ſymptomata. ib. cauſæ doloris levioris, aut intenſioris in uteri ulcere. 202. quando ulcus ſcirrhoſum fiat. ib. quomodo innoteſcat ulceris ſedes. ib. phœnomena quæ rationem habent diverſo poſitui ulcerum matricis. ibidem. morbi diagnoſis. 203. ſigna pathognomonica. ibid. indicia cauſæ proximæ ulceris. ib. diagnoſis cauſæ remotæ. ib. ſigna diverſarum qualitatum ulcerum. ib. prognoſis. ib. curatio. 205 re-

remedia generaliora quæ in omni ulcerum ſpecie conveniunt. ib. methodus curativa in ulcere incipiente. 207. methodus tutior, & efficacior in ulcere confirmato ſed ſimpliciori. 208 ratio medendi ulcera venerea. 209 methodus curativa ulcerum incurabilium. 210. uſus narcoticorum in iis circumſtantiis. ib. remedia ſpecifica adverſus uteri ulcera a nonnullis propoſita. 211

Ululatus vehementiores uteri hæmorrhagias inducunt. 89

Urinæ ardor qua de cauſa ægras infeſtet prope menſes. 15. turbidæ, & ſpiſſiores fiunt in hoc caſu. ib. exitus implicatur a morbis qui vaginam deturpant. 55. vitia in iis mulieribus quæ albo fluore corripiuntur. 214

Urtica alba planta adſtringens. 101. emortuæ ſyrupus adſtringens. 103. ejuſdem conſerva & infuſum commendantur in albo fluore. 229. hujus plantæ ſuccus infantum urina admixtum injectionum ope adverſus uteri ulcus commendatur. 211

Uſnea in uteri menorrhagia ſpecifica proponitur. 112

Vagina membranis, excreſcentiis, aut cicatricibus occluſa menſes impedit. 50. contra naturæ ordinem obducta quinque functiones implicat. 54. *vaginæ* ſarcoma. 263. *deſcenſus* deſcribitur. 264. niſi productiones ſint membranæ internæ vaginæ. ib. harum productionum differentiæ diſtinguuntur in ſarcomata, fungos, & plicarum tranſverſalium productiones. ib. indolis eorum reſpectu molles ſunt flaccidæ, ſpongioſæ, varicoſæ, lymphaticæ, calloſæ, & ſcirrhoſæ. ibid. differentiæ craſſitudinis & longitudinis. ib. differentiæ adhæſionum. ib. cauſæ vaginæ deſcenſus. ib. cauſæ & ſedes ſarcomatis. ibid. cauſæ fungi. ib. cauſæ ſimplicis productionis. ib. rationes differentiarum diverſorum morborum, quæ deſcenſus vaginæ audiunt. ibid. hujus morbi ſymptomata. 265. diagnoſis. ibid. qua ratione ab uteri deſcenſu differat. ib. prognoſis. 266. curatio. ib. methodus curativa pro diverſa morbi indole varia. ibid. in excreſcentiæ vaginæ curatione amputatio cauſticis anteponitur. ibid. vincula obſoleverunt qua ratione. ib. methodus hujus amputationis. ib. Chirurgicæ animadverſiones, quæ hanc conſequuntur operationem. 267. excreſcentiæ vaginæ venereæ mercuriales frictiones poſtulant. ib.

Vapores emollientes per ſellam familiaricam occurrente menſium ſuppreſſione uſuveniunt. 38. 43. *hyſterici* ante primam eruptionem apparent. 20. remedia quæ ipſos compeſcunt. 147. diſtinguuntur ab hypocondriacis. 286. remedia ſpecifica adverſus hunc morbum commendata. 294. *Vid. Paſſio hyſterica.*

Varices vaſorum uteri conciſæ ſanguinem effundunt. 89

Variolæ ſanguinis effuſionem induunt. ibid. variolarum origo quas Arabes ſæculo VIII. exportarunt. 303

Vaſa lymphatica in utero innumera ſunt. 2. ſanguinea uteri ſpeciali methodo deſcribuntur. ibid. lactea, & vermicularia deſcribuntur. 3. quomodo inſpici queant in utero mulieris poſtremo geſtationis menſæ diſſectæ. 4. horum vaſorum diſtributio. ibid. organa quæ lympham lacticinoſam ſecernunt. ib. hypotheſes circa diſtributionem vaſorum ſanguineorum uteri. 9. vermicularia uteri, quare ſingulis menſibus periodice inflentur 11. quomodo hujuſmodi tumeſcentia menſtruum fluxum gignat. ib. eorum uſus ante pubertatem. 12. ipſorum inanitio menſes impedit. 27. cauſæ hujus imitationis in menſium ſuppreſſione. ib.


Venæ ſpermaticæ, hypogaſtricæ, & hæmorrhoidales internæ ab utero ſanguinem recipiunt. 2. earum intra uteri tunicas diſtributio. 3. per hæmorrhoidales interdum menſes alio deflectunt. 67

Venæ ſectiones in hyſterica paſſione uſuveniunt. 292

Verbaſcum planta refrigerans emulſiones intrat, quæ in uteri hæmorrhagia exhibentur. 98

Veſalii opinio circa menſtruorum originem. 6
Veſiculæ quæ per internam uteri faciem reptant. 2
Vincula brachiorum, & crurum inutiliter adhibentur in uteri hæmorrhagiis, quamquam veterum medicorum auctoritate fulciantur. 97. nocent in uteri inflammatione. 179
Vinum album chalybeatum remedium præſtat aperiens, quomodo exhibeatur. 84
Virga aurea, planta adſtringens. 101
Vitæ conditio, & partium vitalitas in quo conſiſtat. 182
Vitia venerea ſcirrhos producunt. 191
Vomitoria remedia interdum proſunt in ſanguinis amiſſione. 97. nocua ſunt in uteri inflammatione. 180
Vomitus ſanguinis ſymptoma eſt effectus menſium ſuppreſſionis. 34. *non cruentus* primo geſtationis menſe parvi faciendus. 81. remedia quæ illum compeſcunt. ib. utilis evadit tartaro emetico excitatus in violento vaporis hyſterici aggreſſu. 292
Vultus præ ceteris partibus quare pallori magis obnoxius. 91. quare noctu intumeſcat. 91

FINIS.


A
D
E
F
C
B
Fig.ª I.
G
Fig.ª III.
A
B
Fig.ª IV.
B
A
Fig.ª II.
C